Prodest etiam potus ▽ frigidissimæ, cui quoque membrum immergi potest.

Erectiones hæ sæpius fiunt à pilulis aloëphanginis, quæ constant ex meris aromatibus. Prodest quoque V. S.

In INFLAMMATIONE conducunt ♐ ⊕ cum ▽ refrig. usurpatum.

VERRUCÆ ☿rialibus absumuntur. Radicalis verò curatio ad luem ♀ dirigatur.

ULCERA VIRGÆ si sint virulenta, eodem modô curantur. Decoctum ♆ resistit inflammationi, & exsiccat, si præprimis aliquid de saccharô ♄ addatur; resistit quoque putredini, si tempestivè adhibetur. Internè anti-Gallica propinentur.

CAP.

Caput L.

De

Læsa Seminis Generatione.

Semen augent radices Satyrionis conditæ, ♃ pini, & pistac. expressa sunt ejusdem effectus. It. ambra, morsuli viriles Mynsichti, rotulæ stimulantes ejusdem, confectio prolifica, succolata vel chocolata, rad. eryngii condit. lapathi majoris, sem. erucæ, urticæ, pastinacæ, sanguis & testiculi ut & crista Galli, priapus & boletus cervinus, cerebella passerum, stinca marina, borrax, dens hominis demortui valet ad incantationem.

Ad læsionem igitur seminis generationis & erectionis virgæ.

℞. *Essent. satyr.* ʒii.
ambræ ʒi.

M. Dosis 60. gutt.

℞. *Essent. satyr.* ʒß.
ambræ ʒi.
☉ *cum* ♃ *cinam.* ℈ii.

M. S. Kräfftige Tinctur. Dos. 40. gutt. pro ditioribus.

℞. *Conserva magnanimit.*
satyrionis ana ʒiß.
Essent. satyrii ʒiii.
ambræ ʒß.

M. S. Kräfftige Lattwerg einer halben Castanien groß auf einmal zu nehmen.

Oleum formicarum & erucæ externè valent. ♃ sanguinis galli hic est arcanissimus. Farcimina ex cristâ Galli & testiculis ejus parata mirè prosunt adsumpta.

Quædam medicamenta tantum stimulant, *quædam* verò etiam augent semen, & hæc semper præ reliquis sunt eligenda, præcipuè si simul ♃ vitales confortent.

Impotentiam ab incantatione optimè proponit Keslerus. Rasura annuli conjugalis assumta prodest; externè verò fumus dentis maris demortui. Potest quoque ablui membrum decoctô florum aquilegiæ.

℞. *Elect. de succolata Mynsi.* ʒii.
Essent. ambræ ʒiß.
℞ ☉ ℈ii.

℞. *Rad. eryngii conditæ*
satyrionis conditæ ana ʒi.
Zingib. condit.
Nuc. Indic. condit. ana ʒiii.
Rasi. Priapi cervi ʒß.
Bolet. cervin. ʒii. *vel* ʒiii.
sem. urtic.
pastinac.
eruc.
Ling. avis ana ʒii.
Syr. rad. helen. q. s.
F. Electuarium.

℞. *Succolat. Ind. opt.* ʒvi.
Elect. diasatr. gr. ʒiij.
Rad. satyrii
Eryngii condit. ana ʒiß.
Carn. stincor. pisc. ʒiij.
Cubeb.
Cardamom. ana ʒi.
Spec. diambræ
diamosch. dulc. ana ℈iv.
Sem. cinaræ
pastinac.

erucæ
urticæ
ling. avis ana ℥i.
Ambræ optim.
Moschi ana gr. vi.
c. s. q. sacchari in ▽ *cinamomi dissoluti.*

F. l. a. Morsuli.

S. Magen-Morsellen 1. oder 2. auf einmal.

℞. *Amygd. dulc. excortic.* ℥ij.
Pistac. virid.
Pinear. ana ℥ß.
Nuc. Ind. condit. ℥iij.
Sang. galli ℥i.
Spec. diatrion. pip.

F. l. a. Morsuli.

Adsperg. Essent. ambræ

S. ut antè.

℞. *Spec. diaPris Myns.* ℥i.
diatrion piper. ℥ij.
cum s. q. sacchari in ▽ *cinamom. dissolut.*

F. l. a. Rotulæ.

S. Kräff'ge Küchlein 6. biß 7.

℞. *Rot. stimul. Myns.* ℥i.
Adsperg. Essentia ambræ.

S. ut antè.

Externè ℞. ♁ *formicar. c.* ℥ii.
stillat. caryoph.
piper. ana g. vi
axung. castorei ℥ß.
c. pauca quantitate ceræ & corp. pro bals.

F. Balsamus.

S. Eusserlicher Balsam.

℞. *Balsam.* ☿ *Myns.* ℥iß.
♁ *formic.* ℥ß.

S. Eusserlicher Balsam.

Hic balsamus non tantùm facit ad erectionem musculorum, sed etiam ad voluptatem augendam.

De impotentia ab incantatione oriundâ, *vid. Carrichterus.*

Caput LI.

De
SALACITATE & PRIAPISMO.

Convenit hîc essentia castitatis, ▽ castitat. Myns. & Riverii, Mag. ♄, Essent. menthæ, absinthii.

℞. *Essent. castitat.* ℥vi.

Dos. 40. gutt.

℞. ▽ *castit. Myns.* ℥iv.
Syrup. Nymph.
menthæ ana ℥vi.

M. S. Sonderlicher Safft. Dos. 2. vel. 3. cochl.

℞. ♁ *Nymph.*
rutæ
menthæ ana ℥ij.
sacch. ♄ ℈i.
cum s. q. ceræ

F. l. a. Linimentum.

S. Sälblein.

In Priapismo omnia illa prosunt, quæ superius notata sunt. Interim hîc tantum adhibenda carminativa, ut Ess. carmin. mista cum essent. castitatis. Vel ▽ carminativa cum ▽ castitatis & syrupo menthæ. Ruta depellit flatus, & simul semen minuit.

℞. ♁

℞. ♌ *rutæ*
menthæ ana ℥ii.
ſtillat. menth.
rutæ ana g. vi.

M. S. Euſſerlich Oel.

Cataplasma poteſt fieri ex herbâ rutæ, menthæ, ſem. cumini, ſol. Nymph. & ſemin. agni caſti cum ✢ & ▽ Nymph.

De SATYRIASI vid. exemplum in *Conſiliis Ferdinandi Epiphanii* & apud *Zacutum L. 3. p. Hiſt. 21. & ſeqq.*

▽ Æſculapii ad vomitum præparatur cum ✢ & ſimulque reſiſtit ♀, datur ab ℥*i.* ad ℥*ii.* Quidam deſtillant ✢ in vaſe ♄no per alembicum & pro ▽ habent Æſculapii.

CAPUT LII.

De

GONORRHOEA.

POteſt *ex hâc quoque oriri atrophia*, quia ſimul ♏ exeunt, licet non tam copiosè ac ſi profuſio cum membri erectione fit.

Profluvium ſiſtunt magiſt. oſſis ſepiæ cum eſſent. caſtitatis, bezoardicum ♂ale. Interne & externè medicamenta renibus adhibenda ſunt. Pilulæ ex terebinthinâ cum rhabarbarô quoque adſtringunt.

A vitio ſeminis ſi oriatur, prodeſt vinum abſinthii copiosè ſumptum. Semen acre corrigunt ſpecifica refrigerantia, ut Nymphæa, portulaca, ℞ roſarum, violarum.

Si crudum fuerit, exiccantia proſunt, ut eſſentia caſtit. ut eſſent. lignorum.

GONORRHOEA VIRULENTA poteſt contrahi, *ſi quis cum ſcorto, cui menſtrua fluunt*, rem habuerit, ex nonnullorum ſententiâ.

Adſtringentia niſi univerſalia fuerint præmiſſa, cauſantur abſceſſus & mala incurabilia.

In poſteriori hâc *gonorrhœa* proſunt ea, quæ Lui ♀reæ conducant, ut eſſent. lign. extr. lignorum, ♏ lignorum.

Purgantia hîc optima ſunt extractum catholicum, ♆ ♍ viridis, ♆ cum ☉ ♍tus, pilulæ contra gonorrhæam Riverii, ♆ ♍tus malum primò quaſi auget, quia fluit copioſius, ſed hoc fit cum euphoriâ, vid. Finckius.

In GONORRHOEA SIMPLICI ergo.

℞. *MP. defumar.* ℈*i.*
♆ *dulc.* ℈ß.
Reſin. jalappæ gr. iv.
cum ♏ *Tereb.*

F. Pilulæ auf einmal.

℞. *Terebinthinæ citrinæ* ℈*ii.*
ſcammon. ♃*rati*
reſin. jalappæ ana gr. v.

M. F. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. *Spec. diaterebinth. Mynſ.* ℈*ii.*

S. Laxier-Pulver auf einmal.

A copiâ ſeminis ſi oriatur:

℞. *Pulv. fol. menthæ*
ſem. agni caſti
rutæ
ſuccini

oss. sepiæ ana ʒi.

M. S. Sonderlich Pulver auf etlichmal.
Dos. à ʒß ad ʒi.
℞. *Extract. castitat. ϑi,*
Terebinth. ʒii.
Mag. ossis sepiæ ϑii.
croc. ♂ adstring. ʒi.
F. Pululæ.

S. Pillen auf etlichmal.
℞. *Conserv. menthæ*
rutæ ana ʒi,
succini præp.
Oss. sep. præp. ana ʒi.
croci ♂ adstring. ϑii.
syr. menthæ q. s.
F. Electuarium.

S. Lattwerg.
℞. ⏑ *Terebinth. ʒii.*
camphoræ ϑi.
sacch. ♄ ʒß. M.
Dos. 14. bis 20. gutt.
℞. *Essent. mumiæ*
castitatis ana ʒi.

M. S. Essentz. Dos. gutt. xxx.
℞. *Balsam. terebinth. Mynsi. ʒiß.*

S. Balsam. Dos. 6. bis 10 Tropffen.
℞. *Sem. cannabin. ʒi.*
4 frig. maj. ana ʒi.
cum s. q. ▽ menth. &
Nymp. F. Emulsio, cui
adde succini præparati
ossis sepiæ ana ʒi.
Edulcor. syr. Nymph.

M. S. Milch.
℞. *Unguent. refrig. Galeni*
Comitissæ ana ʒii.
℥ rutæ
menthæ ana ʒi.
camphoræ gr. x.
sacchari ♄ gr. vi.
c. s. q. ceræ.
F. Unguentum.

S. Nierensalb.

In GONORRHOEA VIRULENTA.
℞. *Extract. cathol. Andernaci*
Panchymag. Crollii
♆ dulc. ana ϑß.
Extract. trochisc. alhand. gr. ii.
F. Pilulæ N. XIX.

S. Pillen auf einmal.
℞. *Extract. cathol. ϑi.*
♆ ♍ virid. gr. vi,
extr. troch. alhand. gr. ii.
F. Pilulæ XIX.

S. Pillen auf einmal.
℞. *Extract. cathol. gr. xv.*
troch. alhand. gr. iii.
♆ cum ☉ præcip. gr. iv,
F. Pilulæ.

℞. *Terebinthinæ ʒi.*
Extract. cathol.
penchymag. ana ʒß,
♆ dulc. ʒi.
Resin. jalappæ ϑi.
M. F. Pilulæ.
Instar pisorum min,

S. Pillen 21. auf einmal.
℞. *Essent. lignor.*
castitat. ana ʒiii.

S. Essentz. Dos. 60. Tropffen.
℞. ⏑ *lignor. ʒß.*
Dos. 40. Tropffen.
℞. *Tinct. corall. cum* ⏑ *lign. ʒß.*

S. Tinctur. Dos. xxx. vel XL. Tropffen.
℞. *Extract. contra Gonorrhœam*
ʒiß.
lignorum ʒß.
c. s. q. ⏑ *terebinth.*
F. l. a. Pilulæ.
℞. *♃ diaphoret. ϑi.*

Mag.

Mag. bezoard. ♂
ossis sepiæ ana gr. vi.
M. S. Schwitzpulver auf einmal.
℞. *Sem. cannab.* ʒiß.
c. l. q. ▽ *lign.*
F. Emulsio.
Adde ☿ *diaphoretici* ʒi.
mag. ossis sepiæ ʒß.

syr. Nymph. q. s. pro edulcorat.

Si adest exulceratio, *prosunt injectiones in penem* ex lacte, in quò appropriata sint decocta, ut semen cydoneorum (abstergit enim & consolidat) alth. acetos. Vel potest coqui radix symphiti in lacte: Immittatur a. decoctum per syringam.

CAP. LIII.

De

HERNIA UMBILICALI.

IN HERNIA INTESTINALI apponuntur post restitutionem sacculi emollientes in lacte coquendi, posteà verò dentur adstringentia.

Umbilico verò imponantur globuli ex empl. contra ruptur. malax. cum ♁ ovorum.

Interne prodest essentia contra herniam, symphit. &c. quibus reliqua externa jungantur, ut empl. ex opoponace cum pelle canina, pileolus è globulo plumbeô, qui in cervô transfosô reperitur, vid. Keslerum. It. cor talpæ. *vid. Hartmannus.*

In EPIPLOCELE adhibenda sunt eadem, nam eadem. prosunt.

In HERNIA AQUOSA dentur serum educentia ex elateriô, gummi de Peru, *vid. Tit. de hydrope.* Externè cataplasmata ex stercore caprillo cum pulv. testarum cochlearum, floribus chamomillæ & aliis.

In FLATULENTA dentur purgantia, quibus semper carminantia admiscenda. Externè applicentur flores chamomillæ, sem. carui & similia in sacculis.

In SARCOCELE omnia tentanda. Commendatur balsamus ⊖ gemmæ Hartmanni.

Magneticæ curationes etiam hîc prosunt, v. g. Transplantatio in arborem concisam: Inunctio dorsi cum pinguedine ursi. Item inunctio cum cochl. quæ postmodum suspendenda. Mira etiam præstat empl. herniale Schröderi.

CAP. LIV.

De

ARTHRITIDE.

QUemadmodum crocus *anima pulmonum*, rhabarbarum *anima hepatis*, sic hermodactyli *anima* sunt *articulorum*, hinc omnibus ferè purgantibus in arthritide admiscentur.

Aliquoties *leniter purget.* Prosunt pilulæ arthriticæ, gummi de Peru pil.

ru pil. de ammon. Quercet. ☿ cum ☉ præcip. Arcan. corallinum, ſpecificum purgans Paracelſi, claretum anti-podagricum laxativum Mynſichti, ſpecies diajalappæ ejusdem. Pilulæ de aloe roſ.

In Principio arthritidis mirè proſunt vomitoria, præcipuè ex ♃ parata, certô tempore exhibita.

Pilulæ Francofurtenſes & aliæ ſingulis menſibus aſſumtæ, mirè præſervant à podagrâ & arthritide, vel ſi jam præſens ſit, paroxysmum mitigant.

Ad præſervationem quoque faciunt medicamenta ♀rea, ut ♀ ſolut. ♀♀riſatus.

Salivatio in quibusdam poteſt habere locum, præcipuè ſi ſit ſuſpicio luis ♀reæ. de quo vid. *Meyer.*

Pro Sudorifero quoque prodeſt cinnabaris ♃, eſſent. lignorum, ♏ ♀, magiſterium viperarum, bezoardicum ♂ale & ☉re & pro præſervatione Tinct. ♀ ♃ata.

Ad *dolorem leniendum* prodeſt ▽ articularis ad extra Hartmanni, ♏ lumbr. terreſtrium, ♏ ⊖ ✳, balſamus podagricus Rulandi vel Rhumelii. Liquor nephriticus & camphoratus Mynſichti, empl. artheticum Ejusdem. ♌ ran. repellit: Ol. & ♏ oſſium humanorum, quorum pulvis datur ad ℈j. & aliquoties laxat Empl. Filii Zacchariæ, pilul. artheticæ Rhumelii, ♏ ⊕ aut ⊖ parum additum externis mirificè prodeſt, valdè enim lenit dolores. Cataplasma ex pane & rad. althææ.

Ad præſervationem purgantia proſunt, ut pulv. arthet. Paracelſi & Ang. Salæ.

In DOLORE ISCHIATICO prodeſt ♏ lumbr. terreſtrium, præcipuè verò ♏ piperitidis applicatus. It. naſturtium.

℞. *Herb. chamædr.*
chamæp.
anagallid. ana Mj.
Flor. hyperic. mß.
Rad. ariſtol. rot.
jalapp.
hermodact.
helleb. nigr. ana ℥i.
Coſti aromatici ℥iij.
⊖ ♀ *albi* ℥ij.
F. l. a. Nodulus.
S. Laxierpůſchlein.

℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈i.
Oſſ. microcoſm. præp. ℈ß. *vel* ℈i
M. S. Purgier-Pulver auf 1 mal.

℞. *Spec. diajal. Mynſich.* ℈ii. *vel* ℈iiß.
Oſſ. microcoſmi ℈ß.
M. S. Ut antè.

℞. MP. *de ammon.* ℈i.
ſcammon. roſat.
aloës ros. ana gr. vi.
c. Tinct. ♀ ♃*at.*
F. pil. pro 1. doſi.

℞. *Pil. arthet.* ℈i.
Extract. helleb. nigri
reſin. jalappæ ana gr. v.
mag. gummi de Peru gr. iv.
c. Eſſent. chamædr.
F. Pilulæ pro 1. Dos.

℞. *Pulv. cathol. purg.* ℈i.
Oſſ. microcoſmi ℥ß.
Syrup. de ſpina cervina q. s.
Eſſent.

Essent. arthet. ℥ii.

M. S. Lavier-Säfftlein auf einmal.

℞. ℞ ☿ ♃ *ætæ* ℥ß.

S. Blutreinigende Tinctur 40. biß 50 Tropffen.

℞. *Essent. arthet.* ℥vi.

D. S. Præservativ-Essenz 50. Tropffen zu nehmen.

℞. *Arcanum* ☿ *D. Senn. ad* ℥ß.

S. Ut antè.

Dos. 20. vel 30. gutt.

℞. ▽ *Chamædr.*
chamæpyth. ana ℥i.
Essent. lignorum ℥iß.
Syrup. acetos. citri ℥ß.

M. S. Schwitz-Tinctur auf einmal.

℞. ♃ *diaphoret.* ℈i.
oss. microcosmi ℈ß.

M. S. Schwitz-Pulver auf einmal.

℞. *Essent. arthet.* ℥i.
syrup. de beton. ℥iij.
laud. opiati gr. iij.

M. S. Linderungs-safft auf einmal tempore somni.

℞. *Pulv. anod. gr.* xii.
oss. microcosmi ℈ß.

M. S. Riechpulver auf einmal.

℞. ▽ *articul. ad extra*
lumbr. terrestr. ana ℥ii.
⊖ ✳ ℥iß.

S. Eusserlicher Glied-Spiritus.

℞. ▽ *arthet. ad extra*
lumbricorum ana ℥iiß.
antipod. Hartm. ℥ii.

M. S. Eusserlicher Glieder-Spiritus.

℞. *Bals. antipod. Rhumelii* ℥ii.

S. Eusserlicher Glieder-Balsam.

℞. *Emplastr. arthet. Myns.* ℥iv.
malax. cum ♎ *camphoræ vel*
oss. microcosmi.

S. Glieder-Pflaster.

℞. *Balsamus Podagricus Myns.*
℥ii.

S. Glieder-Balsam.

Quo inungatur locus affectus, posteà superponatur emplastrum.

Albumen ovi cum alumine quidam commendant, sed non semper est tutum, quoniam repellit.

Cap. LV.

De

LUE VENEREA.

EX *solâ sanguinis inspectione* potest lues Gallica cognosci: Sanguis enim colorem habet cœruleum & apparet materiam venenatam admistam esse.

Lue ♄reâ affecti *non possunt brachia elevare* super caput, neque celeriter currere.

Conveniunt *sanguinem purificantia*, neque dentur specifica, nisi præmissis universalibus, non tamen omnia generalia hic prosunt, sed quæ habent vim specificam contra luem ♄ream. Hinc *inter purgantia conveniunt* præcipuè extractum catholicum, trochisci alhandal, scammonium ♃ratum. Colocynthidem omnibus anteponunt specificis, & quidem non immeritò. ♄rius cum ☉ ♆tus insigne arcanum est ad morbum hunc

curandum, *vid. Hartmannus in Praxi Chymiatricâ* ☿ per inferiora purgans & alia.

Inter specifica eminet extr. lignorum, ob lignum sanctum.

Salivatio, quæ fit ☿ ⚶tô aliquoties sumtô, est cura periculosa & molestissima, nam semper exspuere coguntur ægri, ut vix cibum assumere possint: Interim est ultimum in hôc morbô refugium.

Decocta inter, optimæ notæ illa sunt, quæ vitrô clausô fiunt vel appositô alembico & recipiente, ut, si ▽ ≏uosa descenderit, iterum affundatur decocto.

Ad corrigendam vim ligni Guajaci exsiccantem & ad præcavendam hepatis noxam inde concipiendam, addantur huic pro correctione passulæ minores & radix glycirrhizæ.

Prodest etiam infusum ligni querni, essent. viperar. & omnia ex viperis, Tinct. bezoard. cinnab. ☿, ☿ sudoriferus, bezoard. ☽ale, antihect. Poterii, ≏ fulig. Guajaci rectif. Essent. lignorum, extr. lignorum Tinct. corall. cum ≏ lign.

Inter *sudorifera* prævalet ☿, quod & ☿ è corpore pellit, de quô expellendô *vid. Hœchstetterus.*

Inflammatio faucium optimè potest prohiberi & præservari rob Nucum.

In *carie Gallica* omnibus præfertur ♂ ⊕ non admodum acre. It. decoctum ♆ præcipuè cum ▽ appropr. paratum. *In* decocto hôc potest dissolvi parum ☿ dulcis vel sacch. ♄. Pto ablutione valde quoque confert decoctum scordii & persicariæ.

In *Bubonibus* commendatur empl. Vigonis cum ☿rio, ♎ ligni Guajaci. Hoc ♎ potest malaxari emplastrum diachylon cum gummatibus, vel Vigonis.

In *Defluvio capillorum* præmittenda sunt universalia, deindè adhibenda externa ad crines.

In *Dolore capitis* medicamentis cephalicis addi debent sudorifera vel diaphoretica, ut sic morbô simul obviam eatur.

In *Doloribus articulorum* prodest empl. Vigonis cum ☿ empl. nervinum malaxatum cum balsamo Peruvianô. Fomentis & nervinis adde persicariam, & sic magis proderunt.

In *Pustulis*, *Exanthematibus* & *Fissuris* prosunt unguenta exiccantia, unguentum etiam pomadæ, de helenio, de Nicotianâ cum arcanô corallinô.

In *Gonorrhœâ* maximè prodest ☿ ⚶tus viridis *Hartmanni, vid. Ejusdem Pr. Chymiatricam.* Et licet in principiô gonorrhœam augere videatur, eandem tamen, ut postmodum eventus docet, reprimit. Miscetur hic cum extract. lignorum vel terebinthina & F. Pilulæ.

In *Tinnitu aurium* prodest essentia ligni, ad auditum, castorei, ⊡ puerorum ☿ nondum expertorum. Possunt etiam fieri evaporationes ex herb. absinthii, carduî bened. & similibus.

In *Tophis* seu *nodositatibus* prodest ☿rius

♃rius malleabilis (figitur autem beneficio ♄) it. empl. Vigonis.

In *Tabe* convenit Decoctum radicis Chinæ cum paſſulis paratum.

℞. *Herb. fumar.*
perſicariæ ana Mj.
Rad. elen.
polypod. ana ʒi.
Helleb. nigr. præp. ʒvi.
Hermodact. ʒß.
Fol. ſennæ mund. ʒi.
Lign. ſancti ʒiß.
ſaſſafras ʒi.
Paſſul. min. ʒi.
Crem. ♀ *albiſſ.* ʒiij.
F. l. a. Nodulus.

℞. *Conſervæ fumariæ* ʒiß.
pulv. cathol. purg. ℈i.
☿ *dulc. gr. xii.*
ſyr. de fumar. q. ſ.
F. Bolus.

℞. *Rob paſſularum* ʒi.
☿ *dulc. ritè parati gr. xv.*
ſcammon. ♃*rati gr. viij.*
F. l. a. Bolus.

S. Laxier-Zucker.

℞. *Elect. de ſuccô ros.* ʒii.
☿ *dulc. ritè præp. gr. xii.*
ſacch. q. ſ.
F. Bolus.

S. Blutreinigender Bolus.

℞. *Conſerv. roſarum* ʒi.
ſcammon. ♃*rati*
reſin. jalappæ ana gr. vi.
cum arcanô corall. gr. iv.
F. l. a. Bolus.

℞. *Extract. cathol. Andernaci*
panchymag. Crollii
ana ℈ß.
☿ ♎ *dulc. gr. xv.*
Extract. troch. alhand. gr. i.
cum ♌ *ſtillat. lignorum & lign. Santal.*
F. Pilulæ.

S. Purgier-Pillen auf 1 mal.

℞. *Extract. cathol. Andern.*
☿ ♎ *dulc. ana gr. xv.*
ſcammon. ♃*rati gr. iij.*
c. ſ. q. eſſent. lign.
F. Pilulæ.

℞. *Extract. helleb. nigr.*
☿ *dulc. ava gr. xii.*
extract. Troch. alhand. gr. ii.
cum Eſſent. lign.
F. Pilulæ.

℞. *Extract. cathol.* ℈i.
☿ *cum* ☉ ♆*tati gr. iii. vel iv.*
extract. lignorum gr. v.
F. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. *MP. de fumar.* ℈i.
arcan. corallini gr. iv.
reſin. jalappæ gr. v.
cum ♌ *lign. ſancti*
F. l. a. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. *Antihect. Poterii gr. xv.*
bezoard. ♃ *gr. vi.*

S. Auf einmal.

℞. *Mag. ſpin. viperar.* ℈ß.
Bezoard. ☉ *gr. vi.*
M. S. ut antè.

℞. ▽ *fumar.*
perſicariæ ana ʒi.
Tinct. bezoard.
Eſſent. lignor. ana ℈ii.
ſyrup. de fumar. ʒvi.
M. D. pro doſi:

℞. ▽ *fumar.* ʒiß.
Mag. ſpin. vip. gr. xv.
antihect. Poterii gr. xii.

syr. de fumar. ʒß.

S. Schweistränncklein auf einmal.

℞. ▽ *fumar.* ʒiß.
Tinct. corall. cum ∽ *lign.* ℈ii.
∽ *flor. sambuci* ʒi.
syrup. de fumar. S. ʒiij. M.

S. Blutreinigender Schweiß-Tranck auf einmal.

℞. ▽ *lignor. destill.* ʒiv.
syr. de fumar ʒi.
Essent. lignorum ʒii.

M. S. Schweißtranck auf 2mal.

℞. ▽ *lign. destill.* ʒiß.
mag. spinarum vip. gr. xii.
bezoard. ♂ale gr. xv.
syr. de fumariæ simpl. ʒiij.

S. Schweißträncklein wol umzurühren auf einmal.

℞. *Conserv. fum.* ʒi.
extract. lignor. ℈i.
mag. spin. vip. ℈ß.
F. l. a. Bolus pro 1. dosi.
℞. *Conserv. sumar.* ʒi.
bezoard. ♂alis gr. xv.
F. Bolus pro dos. 1. *vid. Crollius*

Præmissis hisce universalibus sequantur alia, nempe decocta ex lignis, herbis & floribus, quam curam Itali DIÆTAM vocant, cum cogantur ægri se in lectô continere & vitare aërem.

Fiunt autem *Decocta* hæc propinanda *duplicia*, vel *primaria*, vel *secundaria*.

Primarium est ad eliciendum sudorem, ubi notandum est in primo non addendos esse flores & herbas, propter putredinem, quæ exinde concipitur: Sed *secundo decocto* addi possunt, quia scilicet loco Potus Ordinarii usurpatur. Taceam alia aliorum decoctorum ingredientia, quæ varia sunt.

Si igitur volumus exiccare, sumimus decoctum ligni Guajaci, quod vehementer admodùm exsiccat. *Vehementissimè verò exiccat* decoctum corticum Guajaci, quod tantum humidissimis naturis propinandum.

Si verò adest materia sicca & metus hecticæ, non debet Decoctum hoc propinari.

Post hoc sequitur sarsaparilla, quæ non ita adstringit, exsiccat & calefacit, ut Guajacum. Lignum sassafras quoque & fœniculum vâldè prosunt; verùm si cum aliis hæc coquantur, & vas non sit clausum, evanescit virtus.

Post hæc radix Chinæ optimum est corrigens, ne adeò exsiccet. *An hæc autem conveniat*, disputant Authores, quia humectat & pinguefacit: Verùm optimè adhibetur in naturis ficcioribus & quæ ad hecticam inclinant, ubi nempè corpus valdè absumptum est. Cum autem decoctum sarsaparillæ & radicis Chinæ non adeò diuturnam coctionem sustinent ac Guajacum, ideoque coquatur primum Guajacum solum, deinde superfundatur radix Chinæ, & sic nulla vis perditur. Plura videantur apud *Renodæum*.

An purgantia hisce decoctis admiscere debeant, disputatur: Potest autem affirmari, quia ubi alvus adstricta est, optimè adhibentur, teste *Petr. Borellô cent. 2. curat.* ubi mirè commendat Decoctum ex lignis

nis & ☿ crudô; neque metuenda hypercatharsis, quia ☿ tum demum, quandô cum ☉ tractatur, vim vomendi accipit. Simile *vid.* apud *Zvvelfferum*. Hæc duo decocta omnibus medicamentis præferenda.

℞. *Rasuram ligni sancti resinosi & nigricantis lib.* ß.
Cortic. ejusdem ℥ii.
Lign. sassafras ℥iß.
Rad. Chin. non curiosæ & recent. sarsaparillæ ana ℥i.

Infunde in s. q. ▽ fumar. & perficariæ in vitro & alembicô cum recipiente probè clausô per horas 24. Manè ebulliat & postea coletur, colaturæ addatur ▽ destillata prodiens in recipiens, edulcoretur s. q. syrupô de fumariâ simpl. & glycirrhizæ, coletur aliquoties & S. Blutreinigender Tranck des Tags 2mal zu gebrauchen.

℞. *Remanentiam decocti prioris*, affund. s. q. ▽ com. coq. ad 3 partis consumptionem, adde in fine ebullitionis passularum majorum enucleatarum & minorum ana ℥i.
Rad. liquirit.
polypod. ana ℥ii.

Colentur per manicam Hippocratis & F. l. a. Potio.

S. Tischtranck auf etlichmal.

Bibatur ergò loco cerevisiæ vel cujuscunque generis potus.

℞. *Rasur. ligni sancti* ℥iij.
Cortic. Ejusd. ℥i.
Ligni sassafr. ℥ii.
Rad. Chinæ ℥i.
sarsapar. ℥iß.
Passul. maj. & min. ana ℥iß.
Rad. liquirit. ℥i.
polypod. ℥vi.

Infund. in s. q. ▽ Fum. & Persicariæ, stent in infusione in MB. postea decoquantur exprimantur fortissimè & per manicam Hippocratis sæpissimè colentur, destillatum autem decocto affundatur.

S. Sonderlicher Tranck des Tages 2. oder 3mal zu gebrauchen/ einen guten Trunck auf einmal.

Post ☿ inunctionem seu usum *si dentes vacillent*, vel facies & gingivæ afficiantur.

℞. *Herb. prunell.*
plantag.
veron.
Flor. ros. ana Mj.
Coq. in s. q. Lactis. Col.

D. S. Gurgel- und Mundwasser.

℞. ▽ *plantag.*
veron.
prunell.
salviæ ana ℥ii.
Syr. de ros. siccis ℥i.
Rob diamoron ℥ß.
M. S. ut antè.

Si ☿ *in corpore symptomata excitet*, expellatur per anti-☿rialia, ubi præstat ☉ Huc pertinet specif. cephal. decoctum rad. fœnic. & helen. unguentum diapomphol. *vid.* plura apud *Horstium in Obs. T. 2. pag.* 313. *& seqq.*

In Carie Pudendorum

℞. ▽ ♆ ℥iv.
plantag.
solani ana ℥i.

S. Eusserlich Wasser umzuschlagen.

℞. ▽ *lignor.*
plantag.

plantag. ana ʒiij.

S. Eusserliches Wasser.

℞. *Herb. scordii*
plantag.
persicar. ana Miß.
Coq. in s. q. ▽ *com.*
Colat. ℞. ʒviij.

M. S. Eusserlicher Umschlag.

In Carie Virgæ

℞ ▽ *lignorum*
Symphiti ana ʒii.

M. S. Eusserliches Wasser.

℞. *Decoct.* ♆
lignorum ana ʒiß.

M. S. ut antè.

In Tumore Præputii adhibeatur decoctum ♆ cum aliis

Verrucæ & Excrescentiæ tolluntur decoctô nigrô Mynsichti, vel liquore ☿ vivi.

In Bubonibus.

℞. *Empl. diachylon. ʒiß.*
malax. cum ♎ *ligni Guajaci &* ♀

S. Eusserlich Pflaster.

In Defluvio Capillorum prosunt lixivia ex fol. querc. plantag. cum appropriatis, quæ capillos iterum progenerant. It. Lixivium Fallopii.

In Dolore Capitis â Lue ♀reâ prodest specificum cephalicum internè, cum pulvere anodynô.

℞. *Spec. cephal. ϑi.*
Pulv. anod. confort. ϑß.

M. S. Abendpulver auf einmal.

℞. *Empl. de ranis cum* ☿ *Vig. ʒi. malax. balsamô Peruvianô &* ♎ *ran. induc super alutam & obduc syndone rubrô, in formâ usitata cephalicâ.*

In Doloribus Articulorum.

℞. *Empl. de ran. Vigon. cum* ☿ *mercur. Aug. ana q. s. Malax.* ♎ *lumbr. terestrium & axungiâ serpentum.*

S. Eusserliches Glieder-Pflaster.

℞. *Unguent. nervin. ʒi.*
♎ *lumbr. terr. ʒiß.*
stillat. lignor. ʒi. M.

In Pustulis.

℞. ▽ *seu decoct.* ☿*rial. ʒi.*

S. Eusserliches Wasser.

℞. *Unguent. aurei officin. ʒi.*
☿ ♆*ti ʒi.*

M. S. Sälbein.

℞. *Unguent. enul. ʒiij.*
arcan. corallini ϑi. M. S.

In Gonorrhoea possunt fieri pilulæ ex terebinthinâ & extr. lignorum. Potest etiam aliquid de ☿ dulci addi. It. prodest ☿ ♆tus viridis.

In Tinnitu Aurium.

℞. *Ess. ad ad auditum N. D. ʒij.*
lignorum ʒi.
castor. ϑi.

M. S. Eusserliche Essenz.

Ad Tophos.

℞. *Empl. de ranis Vig. ʒii.*
malax. cum ♎ *stillat. lign. seu ligni Guajaci.*

S. Pflaster.

℞. *Unguent aur. offic. ʒvi.*
♎ *lig. rectif. ʒi.* M.

In Tabe prodest decoctum sarsapar. & Chinæ cum passulis majoribus.

D. Joh.

D. JOHANNIS MICHAELIS

PRAXEOS CLINICÆ GENERALIS

PARTIS I. LIBER V.

De

MORBIS MULIERUM.

CAPUT I.

De

ORIFICII PUDENDI ANGUSTIA vel AMPLITUDINE.

PUDENDI ANGUSTIA *dum ferè â primâ conformatione* & origine est, Medici operâ vix tolli potest, verùm postea vel coitu vel partu dilatatur.

Interdum hoc esse *ab ulcere* accidit, ad quod curatio tum dirigenda est; quandoque verò ex medicamentorum adstringentium incautâ adhibitione oritur, *vid. Hœchstetterus Obs. Med. Decad. III. Cas. V. in Scholiis.*

Sed insuper *ex frequentiori coitu* atque partu nimis ampliatur hocce orificium, unde procidentiæ uteri atque sterilitatis metus, quod vitium curatur purgatione post partum peractâ (non ante, ne eâ suppressâ aliquid incommodi vel periculi subsequatur) fomentis, balneis, linimentis & pessis adstringentibus. Nimirum fomenta & balnea ex ▽ aluminosâ, decoct. herbarum adstringentium, præprimis radicis consolidæ, sem. oxylapathi cum gallis, exempli gratiâ.

℞. *Rad. consolid. maj.*
Boli armeni
Sang. Draconis
Balaust.
Aluminis
Mastichis ana ʒß.

Pulverisentur atque mista pessario è gossypio facto illinantur. vel

℞. *Sang. Dracon.*
Boli Armeni
Cort. malorum granat.
alum.
mastichis
gallorum ana ʒß.

Pulverisata cum ▽ chalyb. permisceantur eaque mistura illinatur pessarium.

℞. *Fol. plantag.*
quercus ana Mß.
Rad. consolid. ℥i.
Cortic. granat.
balaust.
sumach. ana ℥ß.
Aluminis ℥i.
Coq. in ▽ *& Decoctô pudenda foveantur. vel*
℞. *Rad. consol. maj.* ℥ii.
Herb. verbasc. m. j.
Coq. ad mollitiem & contundantur.
F. l. a. Cataplasma. vel
℞. *Pulv. rad. consolid.* ℥i.
cumini ℥ß.

Cum syndone rubro fiat sacculus aut pessus, qui coquatur in vinô rubrô & pudendo indatur. Nonnulli frustum oblongum aluminis crudi pudendo induunt.

De PERINÆI (spatii inter vulvam & anum) RUPTURA, *vid. infrà.*

CAPUT II.

De

CLITORIDE.

IN *curatione mentulæ* tutius est non statim ad sectionem accedere, quam plerique nimis temerè suadent, sed potius aliis rem tentare remediis; sc. *primò* corpus convenienter evacuetur: *Secundò* victus tenuis præscribatur & refrigerans, de quô *vid. Tilemannus in Aphor. Hippocr. Tertiò* semen exstinguentia & castitatem inducentia, discutientia & augmentum partis siccando inhibentia, uti fol. olivæ, lentisc. essentia castitatis Mynsi &c. adhibeantur. *Quartò* V. S. in brachio administretur. *Quintò* si hæc non sufficiant, cathæretica atque caustica mitiora, & quæ dolorem haud excitant, adhibeantur, ut O ustum. Vel

℞. *Unguent. Ægyptiaci*
℥ *lentisci*
rosarum
Ceræ ana ℥ß. M.

Prodest quoque lixivium, ex quô confici potest sapo cum ⊕ Romanô: Decoctioni adjiciatur in fine pauxillum opii, formentur exinde trochisci, quorum pulvere caro adspergi debet.

Tandem si nec hôc modo tolli possit, resecandum est malum, quod vel ligatura fit, si scilicet filo serico vel capillo equinô circa radicem ligetur & quotidiè constringatur, donec tandem emortuum decidat: Vel sectione, cujus modum describit *Ætius* & ex eôdem *Sennertus in Praxi*, cavendo ubique inflammationem, consulatur *Tulpius lib. 3. observat. cap. 35. & 36. & Platerus lib. 3. observat. p. 603.*

Interdum verò & aliæ CARNEÆ EXCRESCENTIÆ ê pudendo muliebri enascuntur, ubi hôc morbô affectæ fœminæ contrà, quàm fit in clitoride laborantibus, horrent coitum, eumque præ dolore tolerare nequeunt, quæ caro commodissimè & longè tutius, quàm in clitoride sectione tollitur. *Sectionis modum* quod attinet, idem est, qui suprà. Vel enim crine equino, vel filô serico in ▽ sublimat. intinctô, vel ferrô perficitur.

CAP.

CAP. III.

De
ATRETIS, CLAUSURA & ANGUSTIA CERVICIS & ORIS UTERI.

TRiplex Atretarum *genus* est, vel enim hæc clausura est *in orificiô*, seu alis pudendi: *Vel in cervice* seu intermediô loco: *Vel in ipsô uteri orificiô.*

Ante curationem perpendendum, *an vitium sit à primô ortu* & conformatione, *an verò posteà* ex aliô morbo id originem traxerit. *Si illud*, videndum, an in pudendi orificio & membranâ annatâ pudendum claudat, & facilè factâ ejus sectione meatus aperitur. *Si verò in collô seu cervice uteri*, & quidem à membranâ, sive integra illa sit, sive in mediô perforata, instituatur ruptio vel sectio: Dein adhibeatur pessarium ex ☽ per 3. dies, ne coalescat: Hinc pessarium ex linteis cum unguentô digestivô & maturante, imprimis Felicis Würzii. Posteà pessarium ex ♄ in formâ penis, quod debet illiniri cicatrizantibus. *Vid. Guillemeau de uterô imperforatô.* Conferatur & *Forestus lib. 28. Obs. 55.*

Sectio itidem locum habet, ubi post ulcus vulvæ labia saltem coaluerint. *Sin verò profundiores partes coaluerint*, curatio difficilior & non sine periculô est.

Si à tumore durô, emollientibus curatur.

Si à carne ex ulcere, nisi totus oppleatur meatus, non statim secandum, sed evacuatô prius corpore carnis augmentum exsiccantibus & discutientibus prohibendum: Imò imminutio tentanda carnis medicamentis ex thure, aristolochiâ, rosis, balausticis, myrrha, aloë, mastiche; vel exedentibus, ut alumine usto, unguento Ægyptiaco. Si verò nec hoc modo removeri possit, quod superfluum est carnis, in gyrum præcidatur, instrumentô illô, quô polypi tolluntur.

Si verò totus meatus coaluerit, ulcus est novandum &, si fieri potest, exsiccantibus, exedentibus & discutientibus medicamentis caro illa tollenda. Si verò medicamenta ad absumendam illam carnem & meatum aperiendum non sufficiunt, sectio instituenda.

De muliere imperforatâ *vid. Borellus Cent. 1. Obs. 78.* It. *Ulmus de uterô muliebri cap. 7. Marcus Aurelius Severini de Efficaci Medicinâ part. 2. cap. 46.*

De CRISTIS VULVÆ confer *Eundem p. 2. c. 87. de efficaci Medicina.* Solenander curavit quandam fœminam cristas in vulvâ habentem, ut coire non posset, abstinentiâ cibi & potus, præmissis debitis purgantibus. *vid. Ejus Consilia.* Matricis speculum & instrumentum dilatatorium primò adhibendum.

De collô matricis curato *vid. etiam Aurelius Severinus.*

De fungi incisione *conferatur Tulpius Obs. 35. & 34. lib. 3.*

De colli matricis clausi apertione cum styli excavati delineatione *vid. Fabritius Hildanus Fol. 254.*

De carunculâ vulvæ adnatâ *vid. Severinus Fol. 121.*

De adstrictâ vulvâ in defloratis virginibus aperiendâ *Rodericus â Castro in Medico Politicô.*

In Nimia Amplitudine adstringentia, fomentatio & balneum ex alumine.

In Nimia Pinguedine pilulæ de sandarachâ Mynsi. Essent. lignorum, aliaque exsiccantia. Adstringentia sunt essent. ♀ ⊕, pulv. adstrictorius Felicis Wurzii, croc. ♂ adstringens, rad. symphiti &c.

Caput IV.

De

Pustulis & Scabritie Pudendi.

Dieta sit talis, ut bonô alimentô humores vitiosi temperentur & corpus reficiatur atque in statum pristinum reducatur. Vitentur acida salsa acria. Postea *pustulis conveniunt* sanguinem purificantia, pilulæ de fumariâ, noduli ex specificis uterinis sanguinemque purificantibus & simul evacuautibus.

℞. *Pulv. jalappæ* ℈i.
scam. ♀rati gr. vi.
Fœcul. bryoniæ gr. v.
Antophyll. gr. iij.

M. S. Pulver zu purgieren auf 1 mal.

℞. *Pilul. de fumar.* ℈i.
Resin. jalappæ gr. vi.
Mag. gummi de Peru gr. iv.
cum Elix. uterinô Crollii

F. l. a. Pilulæ: Vel & cum Essent. artemisiæ.

℞. *Essent. fumar.* ʒii.
Pulv. rad. jalappæ ℈i.
scammon. ♀rati gr. vi.
Syr. de artemis. ʒiij.

S. Purgiersafft auf einmal.

℞. *Herb. fumar.*
melissæ
pulegii ana Mj.
Rad. bryoniæ
esul. præp.
helleb. nig. præp. ana ʒi.
jalappæ ʒvi.
Anthophyll. ʒii.
Cass. ligneæ veræ ʒiß.
⊖ ☿ *albi* ʒii.
F. l. a. Nodulus.

S. Blutreinigendes Püschlein.

℞. ▽ *fumar.* ʒi.
♒ *flor. samb.* ʒi.
Bezoard. ℔al. gr. ij.
Man. Christi ʒiß.

S. Schweißtr änclein vor dem Bad.

℞. *Herb. scabios.*
fumar.
Fol. helen.
saponar. ana Miij.
Rad. lapathi maj.
helenii
bryoniæ ana ʒiij.
☉ ʒiv.

S. Species zum Bade.

℞. *De-*

℞. *Decoct.* ♆ *lib. i.*
Sacch. ♌ ℈*i.*

M. S. Waſſer euſſerlich aufzulegen.

Si verò, quod plerumque fieri ſolet, *â lue* ♀*reâ* ortum habeat malum, appropriata huic morbo remedia uſurpanda, aliàs, licet illæ puſtulæ ablutæ videantur, repullulant & prava diſpoſitio recrudeſcit.

Puſtulas itaque *malignas*, eradicatâ prius lue ſequenti modô exſtirpabis.

℞. *MP. de fumar.* ℈*i.*
☿ *ritè præp. gr. xxv.*
Mag. gummi de Peru gr. v. vel vi.
Eſſent. artemis. q. s. pro formandis pilulis.
℞. *Extract. helleb. nigr. eſulæ præp. ana gr. viij.*
Reſin. jalappæ gr. v.
☿ *dulc. gr. x.*
cum Eſſent. artemiſiæ
F. l. a. Pil. N. xx.

S. Sonderliche Pillen.

℞. *MP. de fumar.* ℈*i.*
Extract. trochiſcorum alhand. gr. iij.
☿ *dulcis ritè par. gr. xv.*
cum Elix. uterin.
F. l. a. Pilulæ.

℞. *Eſſent. lignor.* ℥*vi.*

S. Blutreinigende Eſſentz.

℞. *Tinct. corall. cum* ♎ *lign.* ℥ß.

S. Sonderliche Corallen-Tinctur ʒo. biß 40. guttas pro doſi.

EXTERNE decoctum ♆ convenit v. g.

℞. *Decoct.* ♆ *lib. i. diſſolve in eô*
☿ *dulc. ad extr.* ℥*i.*

M. S. Euſſerlich Waſſer aufzulegen.

CAPUT V.

De

UTERI CERVICIS CONDYLOMATIBUS.

Condylomata, ἀπὸ τῶν κονδύλων dicta â ſimilitudine, accidunt, quoties plicæ illæ aut rugæ in cervice uteri inſtar nodorum eminent, quibus ſi conjungatur inflammatio, dura ſunt: Sinminus, mollia.

Cauſam agnoſcunt humorem acrem & malignum, qui ferè perniciei venenoſæ expers non eſt, hinc eorum curatio ſatis difficilis.

In *pudendo & podice* interdum, præcipuè Lue ♀reâ laborantium connaſcuntur.

Curatio hæc eſt: Præmiſſis evacuantibus univerſalibus & lui ♀reæ appropriatis topica adhibendâ conveniunt.

Si inflammatio & dolor urgeant, anodyna proſunt: *Sin minus* malumque ſit recens, repellentia & exſiccantia.

Si verò condyloma eſt durum & antiquum, emolliendum per cataplasmata bis vel ter impoſita: Poſt digerendum & exſiccandum. Præſtat igitur primum fotus cum emollientibus, verbaſcum imprimis. Pro exſiccatione pulvis teſtarum cochlearum.

℞. Pom. inſan. N. j. in minutas par-

tes conciso adde ♁ cappar. Coque & ad exsiccationem, adde ⊕ ℥i.

Cum s. q. ceræ F. l. a. Unguentum. Ad dolorem & inflammationem adde ♁ hyoscyami expr. ♁ verbasci & gr. aliquot opii.

Si medicamentis non cedat, Antiqui ad *sectionem* & *ustionem* accedebant, de quâ vid. *Aëtium Tetrat. IV. Serm. I. Cap. 3. & Serm. III. Cap. 13. Paulus Ægineta lib. 3. cap. 75.*

CAP. VI.

De

PUDENDI & CERVICIS UTERI VERRUCIS.

Tubercula hæc seu *Verrucæ* ferè omnes, sive *thymi* sive *myrmeciæ* à figurâ dicantur, ab humore crassô, fæculentô & plerunque malignô in cutem effusô originem habent visuique & tactui patent difficilisque sunt curationis, quæ hôc modô instituenda:

Universalibus præmissis & rectâ victus ratione institutâ primò tentanda medicamenta, quæ potenter exsiccant & discutiunt, v. g. salvia sicca cum caricis mixta, origanum, ruta, sabinæ sicc. pulv. thuris cortex cum vino & acetô, soleæ veteramentariæ ustæ ac vinô exceptæ, exuviæ serpentis cum caricis.

Dein accedendum ad erodentia, exedentia & adurentia v. g. succus cucumeris, agrestæ. It. Pruna quæ non maturescunt cum farinâ vino excepta: Stercus ovillum & fel hircinum cum ⦶. Vel fortiora, ut ▽ aurifabrorum, ⌒ ⊕, ♀, butyrum ♁. *Defendendæ tamen semper vicinæ partes* bolô Armenô vel terrâ sigillata cum ▽ rosaceâ vel acetô rosaceô, nec diu in parte relinquenda hæc fortia medicamenta, sed bis vel ter de die renovanda, priusque abstergente decoctô abluenda. *His nil proficientibus*, verrucæ volsellâ vel forcipe prehensæ exscindantur & postmodum pulvis sanguinem sistens inspergendus vulnusque debitô modô curandum ac cicatrice claudendum: Vel si verruca eminentior sit & radix ejus longior, pilô equinô est liganda, & singulis diebus constringenda, ut deficiente tandem alimentô decidat.

Si verò exscindere, haud libeat, rorismarini vel origani caulis accendendus, & verrucæ admovendus, vel sarmentô ignitô verruca tangenda, idque singulis diebus ter vel quater faciendum est.

Quodsi nec hoc prosit, tandem ad ferrum candens accedendum eôdemque verrucæ urendæ sunt, partibus vicinis ferreâ laminâ vel aliô modô tectis & munitis, ne vi ignis illæ lædi possint.

CAP. VII.

De
HÆMORRHOIDIBUS UTERI.

SUnt *tubercula* è fœculenti sanguinis extra menstruæ purgationis tempus confluxu orta, nunc *cæca*, nunc *fluentia*, nunc cum, nunc sine dolore.

Deprehenduntur tactu, & si speculum matricis adhibetur, visu; sæpè se produnt dolore & inordinatô sanguinis fluxu. Fœminæ autem pallidiores fiunt & de lassitudine conqueruntur.

Cura: Præmissa *rectâ victus ratione* & *universali*, si opus, *purgatione*, V. S. etiam in brachiô ad revellendum, vel in talô ad derivandum institutâ prodest.

Præsenti dolori sequentia succurrunt:

℞. ♃ *Nymph.*
chamomillæ ana ʒi.
Succ. lactucæ ʒii.
Farin. hordei ʒi. *Ebulliant,*
Adde croci ʒi.
vitell. ovorum N. iij.
F. Cataplasma.

℞. ♃ *linariæ*
verbasci ana ʒi.

M.S. Eusserlich Oel gegen den Schmertzen.

℞. ♃ *7florum Mynsi.* ʒii.
M. S. ut suprà.

Mitigato dolore tutissimum est cœcis saltem exsiccantia medicamenta imponere ex bolo Armeno, terra Lemniâ, acac. cerussâ, spuma argenti, plumbô usto, aristol. longa, One. Prodest quoque ♃ Momordicæ.

Turgentibus autem multô sanguine adhibeantur emollientia & discutientia, v. g. evaporationes vel fomenta ex foliis malvæ altheæ, parietariâ, ebulo, floribus chamomillæ, verbasci, meliloti: Sem. lini, fœnugræci &c. His nihil proficientibus, fricanda hæc sunt tubercula foliis ficus, aut parietariæ, aut hirudines apponendæ, de quibus vid. *cap. de hæmorrhoidibus ani*, ubi plura huc pertinentia.

Si fluant moderatè, Naturæ negotium est committendum.

In nimiô autem fluxu revulsio per sectam in brachiô venam partitis vicibus instituenda, vel ligaturis, frictionibus & cucurbitulis succurrendum.

℞. *Tinct.* ♀ ⊕ *q. v. D.*

It. Croc. ♂ adstring. pulv. stipticus Crollii, It. Annulus ex dente equino confectus geratur. Prodest quoque scrophulariæ pulvis ejusque radix femori alligata. Reliqua pariter, quæ in nimiô mensium fluxu usurpari solent, hîc in usum vocentur.

CAPUT VIII.

De

ULCERIBUS CERVICIS UTERI.

HÆc præcipuè in collo & cervice rarius in ipsô uterô accidunt.

Producuntur ab humoribus, Lue ♀nereâ, vel externis medicamentis erodentibus, partu difficili aliisque causis.

Diagnosis : Primò adest dolor & perpetua mordicatio. 2. Visu, adhibito præcipuè specillô matricis, deprehenduntur hæc ulcera. 3. Effluit pus varii odoris & coloris. Si ulcus versus vesicæ orificium serpat, frequens ardensque urget mictio: Caput dolet, præcipuè synciput: Adest interdum animi deliquium, febricula &c.

Differentiæ ulcerum ex puris effluentis varietate dignoscuntur.

Causæ externæ ex relatione ægri, internæ ex illarum absentia dignoscuntur propriisque signis patent.

Locus ex visu, tactu & doloris positu deprehenditur, *vid. Hippocrates lib. 1. de morbis mulierum.*

Prognoscis : Nullum ulcus uteri contemnendum, licet exiguum. Sordida, antiqua & quæ in profundô latent, curatu reliquis sunt difficiliora.

Indicationes: 1. *Dolor anodynis est sedandus* infuso lacte chalybeato vel album. ovor. iij. vel iv. Vel cum mucilagine seminis psyllii, cum emulsione sem. papaveris mista, vel 4. sem. frigid. maj. cum sero lactis & lacte caprino. *Si dolor adsit major.* ▽ hordei c. Succo hyoscyami, vel etiam ipsum opium aliis admisceri & usurpari potest. *vid. plura cap. de dolore uteri.*

II. Ulcus parum leniter adstringentia & exsiccantia requirit, v. g. Decoctum rosarum, lentium, plantag. polygoni aut horum succos deposcit.

Ubi, quod infusum, excretum fuerit in sordidô ulcere detergentia indicante, tunc pars decoctô malvæ abluatur, & deindè indatur pessarium de farinâ ervi, lentium, rad. iridis cum melle. Prosunt etiam suffitus ex gummi hederæ, juniperi, thure, mastiche, myrrhâ, ladanô, quibus, si â lue ♀reâ ulcus sit, parum cinnabaris addi potest.

Si ulcus serpens erodens & depascens fuerit, cum abstergentibus frigida prosunt, exsiccantia & adstringentia, v. g. aqua aluminosa, plantaginis &c.

Ubi ulcus mundatum fuit, carne implendum & tandem cicatrice claudendum. Thermæ etiam siccantes ♀reæ, tam naturales, quàm artificiales utilissimæ hîc solent esse. Poterunt & emplastra convenientia epigastrio applicari.

Quoad *medicamenta interna*, vulneraria, quæ simul sint hysterica, conveniunt. Rhapontici & centaurii minoris radices bibitas uteri dolores & erosiones sanare scribit Dioscorides.

des. In secundinâ putrescente elixir proprietatis Paracelsi prodest. Convenit etiam in erosionibus & doloribus uteri terebinthina, imprimis cum saccharô deglutita, uti & pilulæ de bdellio â ℈i. ad ʒß. sæpius exhibitæ, præsertim si sanguis fluat.

Si corpus incipiat tabescere & suspicio hecticæ febris adsit, lac, præsertim asininum vel humanum cum conservâ rosarum per integrum mensem exhibeatur, item ea, quæ *cap. de hectica febre sunt proposita.*

Cap. IX.

De

UTERI CERVICIS RHAGADIBUS.

Rhagades sunt ulcuscula longa & alveolis similia, quæ tempore hybernô in manibus & pedibus â frigore oriri solent: Caro expeditur & sunt interdum superficiaria sine callo, interdum verò profunda callosaque habentia labra, quod accidit, ubi diuturna fuerint.

Causæ sunt continui solutio à laboriosô partu vel coitu violentô, vel humorum acrium fluxus & affluxus: Sequuntur quoq; hæc ulcera prægressas inflammationes & condylomata.

Diagnosis fit manifestior, si accedat uteri per specillum conspectio. In coitu dolor & affluens cruor ea prodit. Causæ ex relatione, prægressâ inflammatione & condylomatibus innotescunt, quibus omnibus absentibus causa in humorum affluxum rejicienda.

Prognosis: Molestia hæc si recens fuerit, facilius tollitur: Antiqua verò & callosa ulcera curatu utplurimum difficiliora.

Curatio: Si à partu laboriosô vel coitu violentô fissuræ hæ excitatæ fuerint, clystere utendum ex decocto rosarum, aristolochiæ, plantaginis cum bolo Armeno, sanguine Draconis, thure. Ex iisdem cum albumine ovi conficiatur pessarium.

Humorum acrium affluxus evacuationem corporis universalem requirit.

Condyloma & *inflammatio* peculiaria remedia postulat.

Universalibus præmissis *Topica* citra mordicationem adstringentia (si modò rimæ callosæ non fuerint) adhibeantur, v. g.

℞. ♁ *olivarum vel ovorum*
lini
rosarum ana ʒi.
Sevi hircini
Terebinthinæ ana ʒiij.
Thuris
Mastichis ana ʒß.
Resinæ pinæ ʒß *vel* ʒi.
succ. verbasci
equiseti
plantag. ana ʒiß.
Coq. ad succorum consumptionem,
Adde Lithargyrii aurei ʒß.
cerussæ ʒi.
plumbi usti
tutiæ ana ʒß.

Terantur diu in mortariô plumbeô ad coloris mutationem.

Fissura verò *callosa* unguento ex ♁ lil.

♁ lil. alb. medulla cervina, terebinthina, & cera curatur.

Si malignitas adfuerit, ea quæ capite sequenti de fistulis uteri occurrent, adhibenda erunt.

Pruritum vel *dolorem conjunctum* unguentum ex mucilag. sem. psyllii, cydon. malvæ cum butyro sine ☉ & ♁ rosaceum tollit. Vel sequens:

℞. *Unguent. diapomphol. populeonis ana* ℥*i. sacch.* ♄. *camphoræ ana* ☉*i. M.*

Victus ratio sit humectans & boni succi. Ab acribus ☉sis abstinendum. Motus quoque nimius, uti & ♀ vitanda.

CAPUT X.

De

FISTULA COLLI UTERI.

Protracta aut *neglecta ulcera* non rarò in fistulas degenerant ob partis mollitiem & humiditatem, unde etiam sanationis difficultas.

Causa est pus carnem erodens ob intempestivam moram, quæ etiam partium coalitum, licet postea pus evocetur, prohibet.

Diagnosis: Malum ex ulceris figurâ in formam fistulæ protensâ, cognoscitur; habet fistula conjunctum callum & tenuem pravamque fundit saniem, præcipuè si prematur. Si procul absit nervus, & dolor abest. Imprimis notandum hîc fistulam aliquando ad vesicam usque penetrare, aliquando ad anum & tunc excrementa ibi prodeunt.

Prognosis: Miseras reddunt mulieres & ærumnosas, idque eò magis, quò fistulæ sunt antiquiores & anfractuosæ magis corpusque cacochymicum & senile offendunt.

Curatio: Præmissis universalibus recta quoque vivendi ratio instituenda. Re verò desperatâ curæ palliativæ saltem locus est: Adeoque frequenter corpus purgetur & singulis annis sudorifera adhibeantur bis vel ter, atque in partem injectiones fiant detergentes & roborantes. Imponatur insimul emplastrum diapalmæ vel aliud conveniens.

Ubi verò sanatio sperari potest, præmissis universalibus potiones exsiccantes ex vulnerariis usurpentur: Deinde topica applicentur immissâ prius radice gentianæ, ut orificium dilatetur. Secundò emolliendus callus & deinde ahsumendus vel medicamentis, vel sectione, vel ustione, de quibus vid. suò locò, ubi de fistulis in genere. *Conf. Johannes de Vigo.*

CAP.

CAP. XI.

De

CANCRO UTERI.

RArò *cancer uteri ſubſtantiam*, frequenter verò *uteri cervicem* invadit, utut nunc cum, nunc ſine ulcere.

Oritur â ſanguine menſtruô aduſtô, atriſque illic confluentibus humoribus, quorum mora ſcirrhoſos tumores, hi verò cancrum & quidem ſi corruptio magna ſit, exulceratum producunt.

Cognoſcitur ex tumore dolente & pungente cum duritie & dolore lividô & rubicundô, quæ graviora accidunt, ubi exulceratur, *vid. plura de cancro.*

Malum eſt plerunque *incurabile* ob ſui materiam locumque affectum, præſertim ſi cancer ſit exulceratus.

Cum igitur plena curationis ſpes vix ſuperſit, *in id ſaltem incumbendum Medico*, ut non exulcerati exulcerationem, exulcerati verò incrementum prohibeat.

Præmiſſis ergò *univerſalibus melanagogis* victuſque ratione rectâ inſtituta commendatur pulvis ex ſmaragdo, ſapphirô & lapide bezoar ana cum ▽ ſum. card. bened. vel ſcabioſæ.

Topica à principiô ſint moderatè adſtringentia & refrigerantia, v. g. Unguentum diapompholygos, vel ſequens.

℞. *Succi ſolani purificati* ℥vi.
Tut. præpar.
Plumbi uſti ana ℥ii.
Camphoræ ʒß.

Agita diu in mortariô plumbeô. Hâc quoque ratione quædam fœmina eſt curata: Pullos illa gallinaceos in partes tenues concidebat & latas, quas ſæpiuſculè commutando interdiu admovebat parti affectæ, vid. *Henricus ab Heer Obſ. 14.*

CAPUT XII.

De

GANGRÆNA UTERI.

FRequentius hoc malum pudenda ob humiditatem & excrementorum copiam, quàm ipſum uterum corripit.

Oritur ex inflammatione, cancrô & ulceribus in hiſce locis malè curatis. Interdum ex uterô prolapſô hoc malum adfertur, conf. *Wierus in Obſ.*

Cognoſcitur ex inſolitô ibi calore, quem febris & horror excipiunt in universô corpore; poſtea color mutatur, parsque fit livida, mollis ac cadaverosa: Nec pulſus nec ſenſus ullus adeſt: Imò pars ſine ſenſu ſecari & pungi poteſt, adeſtque fœtor maximus. Accedunt virium dejectio, cordis anxietas & alia ſymptomata ex halitibus ad partes ſuperiores adſcendentibus.

Prognoſis: Ingens malum eſt, ubi

maximum in morâ periculum, præsertim, si versus uterum putredo serpat, tunc enim plerumque lethale: Quamvis interdum uterum corruptum vel sponte excidisse, vel sectione sublatum fuisse, fœmellis supervivent ibus Authores varii observârint.

Curatio: Putredo sistenda & corrupta jam pars tollenda. Igitur si fieri potest, scarificetur pars 1. postea abluatur decocto absinthii, myrrhæ &c. Imponaturque emplastrum seu unguentum Ægyptiacum. Omnibus verò imponatur emplastrum de tribus farinis dictum, quod

℞. *Farin. hordei,*
Fabarum
fænugr. ana ℥ii.
Oxymell. lib. i.

Coq. ad consist. cataplasmatis, quod efficacius fit, si addatur farina lupinorum, absinthium, aloes & myrrha. Prodest quoque balsamus ♀ admixtô principiô saccharô ♄.

Quod corruptum, amputandum, ne pars sincera trahatur, idque vel sectione, vel ustione, vel ligaturâ.

Internè partes corroborandæ sunt cardiacis refrigerantibus, v. g pulv. bezoardico cum ▽ cordial. Ultimò balsamus Peruvianus cum balsamo miscetur & exhibentur vulneraria.

Cap. XIII.

De

INTEMPERIE UTERI CALIDA.

VEl *â primô ortu*, uti in viraginibus, vel *ab accidentibus* quibusvis hîc p. n. calor contrahitur, imprimis *â nimiâ* ♀, aut de eâ cogitatione: Item medicamentis, alimentis, aromatibus, exercitio nimio &c.

Diagnosis: Sunt pronæ in ♀, menstrua pauca adsunt, acria, inordinata ac difficilia: Pubes matura, rubicunda facies, frequens cephalalgia, bilis abundantis indicia adsunt, labia sicca.

Prognosis: Author est multorum malorum. Fiunt progressu ætatis hypochondriacæ, interdum & furor uterinus accedit.

Curatio: Moderatè refrigerandum, tam internè, quàm externè. Prosunt cichoracea, acetosa, santalum, ⊕ hermaphroditicum (fit ex minera ♂ & ♀) & ex hôc flores, si ⊕ in ▽ solvatur & ♌ ♀ præcipitetur: Habent vim laxandi. It. Syrupus de cichoreô cum rhabarbarô cum uterinis.

Externè unguentum rosatum, ceratum santalinum cum ♌ rosarum, Nymphææ. It. cataplasmata ex farinâ hordei & pulvere rosarum &c. Prosunt & balnea, fomentationes & insessus ex fol. violarum, vitis malvæ cydon. salicis, flor. viol. Nymph. Sedeat ibi mulier umbilicotenus.

Diæta sit refrigerans, abstineat vino, ♀ &c.

CAP.

Cap. XIV.

De

INTEMPERIE UTERI FRIGIDA.

Frequentior est priori, & *oritur* â causis contrariis, aëre frigidô, otiô, quiete, cibis ac medicamentis frigidis.

Cognoscitur ex ♀ languidiore & voluptate minori. Pubes pauca, menses minus rectè fluunt, suntque crassi ac mucosi: Semen crudum, effluens sine voluptate seu gonorrhœa, facies pallida. Præcesserunt causæ refrigerantes.

Prognosis: Intemperies hæc multorum malorum, obstructionis mensium, sterilitatis &c. causa est, curationis non rarò difficilioris.

Curatio: Hystericis calidis alterandum est. Prosunt rad. levistici, angelici, ♃alis & exindè parata mella & extracta: Essentia pulegii, melissæ, rorismarini, artemisiæ; flores matricariæ, nux moschata, fœniculum, cassia lignea, antophylli, ℥ salviæ rorismarini, essent. & ℥ zedoar. ∇ vitæ mulierum, balsam. embryonum. It. vina medicata ex herbis hystericis calidis, galanga, zedoariâ, crocô, macere.

Externè balnea, fomenta, sacculi inunctiones ex ℥ lil. alb. irino, rutæ, succini macis, nucis moschatæ, bals. hystericô, empl. de galbanô. It. Suffitus ex flor. cheyri, roris, marininuce moschatâ.

Diæta sit talis: Aer calidior, cibi faciles, qui condiantur thymo, anisô, fœniculo, aromatibus. Vitentur pisces, legumina, lacticinia, fructus crudi aliaque humores crudos generantia.

Caput XV.

De

INTEMPERIE UTERI HUMIDA.

Hæc *frigidæ ut plurimum conjungitur*, easdemque agnoscit causas, quas inter vita sedentaria ac otium ferè agmen ducunt.

III. *Alterantia refrigerantia*, ut sunt lactuc. portulaca, & occultâ qualitate agentia, ut sunt vitex, ruta, cannabis, camphora, cicuta, quæ in Monialibus potius usurpanda.

℞. ▽ *castit.* ʒiv.
Syr. de Nymph. ʒiß.
sacch. ♄ *cryst.* ℈i.
M. S. Safft auf etlichmal. Dos. 2. vel 3. cochlearia.
℞. *Sem. cannab.* ʒii.
lactuc.
portul. ana ʒij.
Cum s. q. ▽ *Nymph. F. l. a. Emulsio, edulcoretur cum syr. de Nymph.*
S. Starckmilch auf etlichmal.
℞. *Essent. castitat.* ʒiij.
D. S. Sonderliche Essentz 50. bis 60. Tropffen des Tags 2mal.
℞. ♎ *Nymph.* ʒi.
rutæ ʒiij.
sacch. ♄ ℈i.
S. Eusserlich Oel.
Quô inungantur renes & partes genitales.
℞. *Empl. de cicutâ q. s.*
Malaxetur cum ♎ *de Nymph. induc super alutam & obduc syndone rubrâ in formâ usitatâ emplastri uterini.*

Melancholia verò Mulierum pro *curatione* exigit 1. V. S. quæ instituenda in principio, sanguine calidiore urgente admittenda sæpius in cubitô.

Si menses sint suppressi, diebus aliquot ante fluxum in talô: Sin secus urgenda V. S. parcius est, eoque magis si malum sit in progressu.

II. *Præparationem* per illa, quæ humorem melancholicum alterant, & cor exhilarant, e. g.
℞. *Tinct. flor. borrag.* ʒß.
S. Stärckende Tinctur. Dos. 40. bis 50. Tropffen.
℞. *Essent. melissæ* ʒvi.
S. Hertzstärckende Essentz. Dos. 40, bis 50. Tropffen.
Melissa enim non solùm roborat uterum valdè, verùm etiam cor respicit.
℞. *Spec. latif. Galeni*
Rhasis ana ʒiß.
Cum s. q. sacchari in ▽ *melissæ & borrag. soluti.*
F. l. a. Rotulæ.
S. Stärckende Küchlein.
℞. *Conserv. melissæ* ʒiß.
borrag.
buglossæ ana ʒvi.
calend. ʒß.
spec. latif. Galeni
Rhas. ana ʒi.
Cum s. q. syr. de melissâ.
F. l. a. Electuarium.
S. Hertzstärckende Lattwerg.
Potest etiam addi elect. huic conf. de hyacintho ℈iv. vel v.

III. *Evacuationem per melanagoga*, quibus utero appropriata semper admiscenda sunt, exempli gratiâ.

℞. *Extract. melanagog.* ℈i.
helleb. nigri gr. vi.
℥ *per infer. purg. gr. iv.*
Cum Essent. fum.
F. l. a. Pilulæ pro 1. Dosi

℞. *Extract. helleb. nigri gr. xv.*
scammon. ♀r. *gr. viij.*
▽ *cinamomi*
borraginis ana ʒß.
syr. de pomis laxat. ʒv.

M. S. Laxier-Safft auf einmal wol umzurütteln.

℞. *Extract. helleb. nigr.* ℈ß.
scammon. ♀*rati rosati gr. viij.*
Essent. ♂ *liquid.*
aperitiv. ana ʒi.
syr. de pomis laxativ. ʒi.

M. S. Laxier-Safft wol umzurütteln auf einmal.

℞. *Herb. meliss. Mi.*
Flor. borrag.
bugl.
calendulæ ana p. iij.
Rad. filicis ʒiß.
helleb. nig. ʒi.
Fol. sennæ sine stip. elect. ʒi.
cassiæ lignea vera ʒiij.
antophyll. ʒiß.
⊖ ♀ *albissimi* ʒi.
meliss. ℈i.
F. l. a. Nodulus.

S. Laxier-Büchlein in Wein zu legen.

CAPUT XXXIV.

De

STERILITATE.

AD suppriméndam ♀ menthâ in castris utuntur milites.

Nonnulli autumant *medicamenta chalybeata* inducere sterilitatem: Verùm per se hoc non agunt, sed tantùm per accidens, quatenus menses cient.

Medicamenta quoque *Saturnina*, si tantùm unâ vel alterâ vice exhibeantur, tantam noxam inducere nequeunt.

Si quis sterilis reddatur, qui antea cum aliquâ rem habuit, tunc vomitoria ipsi quoque danda sunt.

In mulieribus sterilibus, *si post coitum adhuc per aliquod tempus semen retineatur*, licet posteà rejiciatur, adhuc spes restitutionis subest. Quando autem eôdem momentô ex uterô decidit, *quando* est ejaculatum, tunc ferè nulla curationis spes supereſt.

In curatione sterilitatis debent præmitti universâlia, & præprimis phlegmagoga, quoniam ab intemperie uteri nimis humidâ ea plerunque ortum habet, ubi imprimis commendatur herba Mercurialis viridis contusa & linteo indita & utero postmodùm in formâ pessûs adhibita.

Si ab incantationibus proveniat, laudatur in curatione haustus aquæ frigidæ ex ore equi masculi non castrati in præterfluente potantis elapsæ & subditô vasculô collectæ.

Si à densitate uteri, curatio requirit extenuationem per victum tenuem,

nuem, exercitium, purgationes, ſudores & alia.

Si ab uteri lubricitate, â fluore muliebri vel gonorrhœâ ſterilitas inducatur, ex propriis locis curatio petenda eſt.

Si ab uteri orificiô hiatuq; ejus, in curatione inter adſtringentia fotus ex foliis lentiſci, myrt. &c. loeum habent.

Hartmannus eſſentiam teſticulorum apri in ſterilitate pro ſummô habet arcanô.

Paverius in ſuis Obſerv. valdè commendat vulvam cervæ.

PURGANTIA ſint Phlegmagoga:

℞. *Extract. phlegmagog. ʒi.*
Reſin. gialapp. gr. vi.
Cum Eſſ. florum anthos.
F. l. a. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. *Herb. Mercurial.* Mj.
Rad. eryng. ʒi.
Flor. anthos.
ſalviæ ana ʒi.
ſem. carthami ʒi.
Agar. albiſſimi ʒiij.
ſem. ſeſeli
ammi ana ʒi.
antophyll. ʒiij.
Caſſiæ lignea veræ ʒiß.
crem. ♀ albiſſ. ʒii.
M. F. l. a. Noduli.

S. Laxierwein auf etlichmal.

℞. *Agar. albiſſ. ʒii.*
Mechoacannæ ʒiij.
Flor. anthos.
ſalviæ anap. ij. vel iij.
antophyll. ʒiß.
crem. ♀ ʒi.
Infund. in ſ. q. Vini, ſtent in infuſione per noctem, manè coletur, adde ſyr. diaſereos ʒß.

S. Laxiertranck auf etlichmal.

℞. *Conſerv. flor. anthos.*
ſalviæ ana ʒß.
Pulv. cathol. purg. ℈i.
Reſin. jalapp. gr. iii.
c. ſ. q. ſyrupi de canellâ.
F. l. a. Bolus.

S. Laxier-Zucker auf 1 mal.

CONFORTANTIA.

℞. *Herb. Mercurial.* Mi.
rorismar. p. iii.
Rad. eryngii ʒiß.
ſem. aniſi
ſeſeli ana ʒiij.
cinamom. ʒii.
antophyll. ʒii.
nucis moſch. Nj.
caſſiæ lignea veræ ʒiß.
Inciſ. & contuſa groſſo modô D. ad chartam, vel poſſunt indi nodulo pro vinô medicato: Vel poteſt ex ſpeciebus, vino & ſaccharô fieri Claretum uterinum confortans, cujus doſis ein halb oder gantz Glaß voll.

℞. *Decoct. ſpecif. ad juvandam concept.*
ſyrup. corall. ℥. ʒiii. ℥. ʒvi.
Tinct. corall.
faſiafr. ana ℈iß.

M. S. Sonderlicher Stärcktranck 2. oder 3. Löffelvoll auf einmal.

℞. *Conſerv. flor. ſalviæ*
anthos ana ʒi.
Rad. bryon. condit. ʒi.
Nuc. moſch. condit. ʒiii.
Pulv. antophyll.
ſem. ſeſeli
ammi

ammi
℞*rialis ana* ʒiß.
Cum ſ. q. ſyrup. conſerv. nuc. Ind.
F. l. a. Electuarium.
℞. *Conſerv. meliſſ.*
majoran. ana ʒi.
flor. anthos
ſalviæ ana ʒß.
Pulv. nucis moſch. fæm. ʒiij.
antophyll. ʒiß.
eboris ſine △ ʒii.
ſyr. conf. nuc. Ind. q. s.
F. l. a. Electuarium.

S. Mutterſtärckende Lattwerg. Doſ. Manè & veſperi quantitate nucis juglandis vel caſtaneæ.

℞. *Conſerv. florum anthos*
ſalv. ana ʒi.
Vulvæ cervæ vel leporis præp. ʒß.
Pulv. nucis moſch. fæm. ʒiij.
antophyl. ʒii.
Extr. ſeu ſuccus inſpiſſ. herb. ℞*rial.* ʒii.
c. s. q. ſyr. de canella
F. Electuarium. S. Ut antè.
℞. *Antophyll.* ʒiii.
Nuc. M. condit. fœmin. Ni.
Pulv. vulvæ cervinæ ʒiii.
ſem. ſeſeli
ammi ana ʒß.

M. S. Pulver auf etlichmal. Doſ. ʒß. ad ℈ij.

℞. *Eſſent. contra ſterilitatem*
Tinct. corall.
ſaſſafr. ana ʒiij.

M. S. Sonderliche Stärck-Eſſentz 40. bis 50. Tropffen.

℞. *Eſſent. contra ſterilit.* ʒß.

S. Eſſentz. Doſ. 40. bis 50. Tropffen.

Species prô balneo:

℞. *Herb. Mercurial.* Miij.
majoranæ
ſalviæ
artemiſiæ
meliſſæ ana Mij.
rorismar.
pulegii.
matricariæ ana Mj.
Rad. biſtort. ʒiv.
Bacc lauri
juniperi ana Mß.
Incis. & Contus. groſsò modô.

D. S. Species zum Bad.

Addi poſſunt ſpecies contra ſterilitatem Mynſichti, quæ valdè proſunt.

NB. *Balnea* ejusmodi ſtatim fieri debent poſt fluxum menſium, quando viæ adhuc ſunt laxæ & apertæ, vid. *Myns.*

Si à nimiâ pinguedine, inſtituantur primò fortiores purgationes, poſtea.

℞. *Maſſ. pil. contra obeſit. Myns.*
cum eſſ. lign. vel ♌ *deſt.* ʒiii. *lign.*
F. l. a. Pilulæ.
inſtar piſorum min.

D. S. Sonderliche Pillen. Dos. xv. vel xix.

℞. *Eſſent. lign.*
ſaſſafras ana ʒß.

S. Sonderliche Eſſentz 50. biß 60. Tropfen auf einmal.

℞. *Peſſi ſpecif. Myns. N. ij.*
D. ad chartam.

Ex ſpeciebus pro balneò poſſunt formari duo ſacculi, quorum unus applicetur in balneô pudendis, alter verò circa os ſacrum.

Mulier ſalviæ hortenſis ſuccum ad heminam cum modicô ſale potet,

quarto

quarto menſtruæ purgationis die: Deinde poſt horæ quadrantem ſe viro commiſceat. Expertum Aëtius teſtatur Ægyptias fœminas poſt peſtem ad multam ſobolem hôc remediô perveniſſe.

Ammi & erucæ quoque ſemen excitant in ♀ laſſos comeſta Maritos.

℞. *Sem. erucæ*
ſileris montani ana ʒi.
moſchi gr. iij.
ſantali albi ʒiij.
M. F. Pulv. D. cum vino generosô.
℞. *Secund. ʒi.*
Pulv. ex epate & teſtic. porcell. ʒß. M.

CAPUT XXXV.

De MOLA.

IN *curatione Molæ* palmam obtinet V. S. ut molæ nutrimentum ſubtrahatur, & quidem largior, ſi mulier plethorica, ſed parcior ſi non idem, in poplite vel talo.

II. *Si vires adhuc conſtent*, præſcribi poſſunt. Purgantia & quidem fortiora, v. g.

℞. MP. *fætid. ϑi.*
Extr. troch. alhandal. gr. iv.
cum Eſſent. ſabinæ
F. l. a. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. MP. *hier. vel diacol. ϑi.*
extr. troch. alhandal. gr. ij.
cum & ſtill. ſabinæ
F. l. a. Pilulæ.

Poteſt etiam fieri infuſum ex Sabinâ, colocynthide, aliisque fortiter menſes expellentibus.

III. *Menſium apertio* per ea, quæ fœtum expellendi & abortum ciendi vim habent.

℞. *Pulv. ſabinæ ʒii.*
borracis ʒiß.

D. S. Pulver auf etlichmal. Dos. ϑij. vel ʒß.

℞. ▽ *artemis. compos. ʒiij.*
Syr. de artemis. comp. ʒii.
eſſent. ſabinæ ʒii.
borracis ʒi.

M. S. Treibender Tranck 2. biß 3. Löffel voll.

℞. *Eſſent. ad mentes*
ſabinæ ana ʒiij.

S. Eſſenz. Dos. gutt. 40. vel 30.

℞. *Pulv. ſem. anethi*
cumini ana ʒiij.
ſabin. ʒii.

M. S. Rauchpulver.

Præcautio repoſcit 1. *ne coitus nimis frequens ſit*, præſertim in corporibus non ſatis robuſtis, propter debilis ſeminis generationem. 2. *Ne inſtantibus* vel *fluentibus menſibus*, aut uterô intemperie quadam laborante illud accidat.

Sequuntur jam SYMPTOMATA GRAVIDARUM.

Caput XXXVI.

De

Symptomatibus Gravidarum.

Tit. I.

De

Spasmo Gravidarum

Inter ea *symptomata*, quibus Gravidæ *primis gestationis temporibus* infestantur, occurrit Spasmus Suræ, imprimis affligens, qui inunctione ♁ laurini ad △ injectis & post calidis faciis tollendi. Vel

℞. *Ungul. aliis præp.* ʒiß.
specif. cephal. ʒi.
M. F. Pulvis.

S. Krampffpulver. Probatum.

Quidam etiam commendant annulos ex dente equi marini. Prosunt etiam armillæ ex ungulâ alcis.

℞. *Unguent. spasm. Nyns.* ʒi.
♁ *lumbr. terrestr.* ʒß.

M. S. Eusserlich Krampff-Sald.

℞. ▽ *articul. ad extra* ʒiß.
♒ *lumb. terrestr.* ʒi.

M. S. Eusserlich Anstreichwasser.

Fiat *fomentatio* cum fol. & floribus tiliæ in vinô decoctis:

℞. ♁ *chamom.* ʒi.
lumbric. ʒß.
Pulv. lumbric.
castor. ana ʒß. M.

Item Theriaca cum ♁ scorp. & de castoreo soluta in causa frigidâ. Anser item vel vulpes calidis aromatibus gummi, thure, masticke &c. farciatur, in veru assetur, pinguedo destillans optima est ad conclusionem, spasmum, paralysin & alios ejusmodi affectus, si partes inungantur.

Tit. II.

De

Dolore Sciatico.

Hunc ♁ Tereb. Venetæ inunctum pellit. *Conveniunt quoque omnia* ea, quæ in arthritide, sed fortiora. It Balsamus podagr. Hartmanni. Vel flores verbasci coquantur in cerevisiâ & applicentur cum cataplasmate ex pane & albumine ovi & herbis nasturtii, puleg. coct. & contus. radic. bryoniæ contusæ & appositæ. Globuli stercoris caprarum coq. in ♒ vini, additis baccis juniperi pulverisatis. F. Cataplasma.

It. Pinguedo leporis coq. cum S. V. ad consumptionem spiritus & inungatur. *Conveniunt pariter* ♁ com. ♁ laurinum, junip. Pinguedo canis & taxi, butyr. recens ana q. s. pro unguentô. Decoctum ♒ vini cum salvia, majorana, rutâ, thymo &c. Sacculi ex tanaceto cocto. It. ♒ Guajaci, rorismarini,

℞. ☉ ☿
☽ *ana q. s. solve*

lentô △ in crucibulô, adde S. V. pro epithemate. Balneum ex acervô formicarum cum ovis in saceulo aliquoties reiteratum. *vid. Velschii* Heb. Ammenbuch.

Tit. III.

De

Cibi Fastidio.

In hâc affectione multis medicamentis opus non est, quia ipsa crescente

cente fœtu ſponte deſinit. *Si tamen ob nimiam moleſtiam curationem requirat*, potiſſimum cauſa, unde venit, attendenda eſt.

Notandum autem â purgatione abſtinendum & urgente neceſſitate vomitum potius leniter ciendum eſſe. Conveniunt cibi acidi : Mala cydonia, it. ♒ ⊕ ♂, ♒ maſtich. elixir ſtomachale, ♌ ſtomachale Cratonis, elixir proprietatis Paracelſi, confectio diarrhodon Abbatis : Rotula una manè ventre jejuno ſummatur, aut, ſi frigida ſit ventriculi intemperies, confectio aromat. roſata cum coch. j. vel ij. vini generoſi, imò vinum ipſum generoſum, cum juſculô carnis ſumendum potius aut exterium applicandum, quàm ut bibatur in prandiô vel cœnâ, *vid. la Cominare del Scipione Mercurio Germanicè verſa â D. D. Welſchio Part. 1. cap. 22. pag.* 229. Vitentur liquida, pinguia. Aſſa proſunt cum ſucco granatorum. Juſcula caponis cum vitell. ovorum. Vinum ſit rubrum ſtipticum, cydonia rubra in vinô cocta.

℞. *Sem. apii* ʒiij.
Corall. rubr. ℈i.
Spic. Nardi
Piperis longi ana gr. ij.
Mellis anthoſati q. s.
F. Electuarium.

It. cappares & fœniculum cum paucô ✝ & multô ſaccharô. Externis nungatur ventriculus ♌ de menthâ, abſinth. cydoniorum, myrrhæ, maſtichino; quibus adſpergatur pulvis ros. rub. diarrhodon, corall. rubrorum.

TIT. IV.

De
PICA ſeu MALACIA.

CUratur tribus remediorum generibus 1. *Victus ratione* contrâriâ, pro ratione humoris diverſi abundantis. Prodeſt panis ſuccô cydoniorum & granatorum maceratus. Ante cibum comeſtio amygd. amararum : Poſt cibum uvæ paſſæ, mala Punica, pyra, avellanæ &c. Vitentur pinguia & dulcia.

II. *Purgatione*, ubi tamen ad fortiora non eſt deveniendum Sufficit pulvis rhabarbari cum conſervâ roſarum, ſi affectus urget. Prodeſt etiam mirificè vomitus, qui aquâ tepidâ vel oxymel excitari poteſt.

III. Humoris in ventriculô imbibiti diſcuſſione, ubi conveniunt medicamenta ex corticibus aurantiorum, citri condit. It. Tabulæ Roderici à Caſtrô, quæ

℞. *Pulv. utriusque corallii CC.*
Raſ. ebor.
Margar. ana ℈i.
F. l. a. cum ſ. q. ſacch. in ▽ *roſarum ſoluti Rotulæ ad* ʒii.

quæ capiantur ante paſtum. It. Nux moſch. pulveris. Fabæ ſaccharo obductæ appetitum hunc depravatum mirè corrigunt. *Vid. la commare del Scip.*

IV. Denique *forinſecus adhibenda* ea, quæ languidum ventriculum roborent, quarum facta mentio capite præcedenti e. g.

℞. *Olei Nardi*
abſinth.

menthæ
Aceti ana ʒi.
sem. ammi
cumini
Pulv. cardamom.
rad. cappar. ana ʒi.

Ferveant ad ✝ consumptionem & cum cerâ. F. Linimentum. Mirum etiam in modum ventriculum roborat cataplasma sic confectum:

℞. *Cortic. citri*
melissæ
calami aromat. odor. ana ʒi.
Coq. in vinò: Contundantur & adde
℥ *Nardin.*
mastich. ana q. s. cum
Pane tostô.
F. Cataplasma.

Laudatur conserva de scoriâ ferri, si per multos dies sumatur ʒi. vel ʒiß. *Sennertus* utilem hîc esse scribit succũ è tenellis vitis foliis expressum, vel solum vel cum myvâ cydoniorum: Vel & ▽Mense Majô è foliis vitis destillatam, quæ non solum istum appetitum sistit, verùm etiam, si gravidæ appetitui satisfieri & ejus, quod appetit, particeps fieri haud posset, aliquoties adhibita præcavet, ne fœtus aliquid damni patiatur.

TIT. V.
De
NAUSEA & VOMITU.

V *Omitus hîc haud facilè sisti potest* nec debet. Sponte enim post unum aut alterum mensem cessat. *Quodsi verò nimius* sit & contra tolerantiam, leni vomitoriô ex hordeô vel simili est adjuvandus; vel evacuandus ventriculus rhabarbarô, sennâ, aloë, pro naturâ peccantis humoris, idque leniter faciendum. Postea ventriculus roborandus internis, ut ℞ mastichino. It. specif. stomach. syrup. de agresta, qui magnum hîc usum habet abortum etiam præcavet, *Vid. Dispensatorium Augustanum.* Pulveres item peptici post cibum prosunt. Vitentur graveolentia tum in medicamentis, tum in cibis, ventriculum enim subvertunt. Cave etiam à myrrhâ, quia menses & abortum provocat.

Prodest interdum masticare parum rhabarbari & uti conservâ cydoniorum, myrobalanis conditis, nuce myristicâ, vel pulvere confectô ex coral. cortic. citri siccis & crustâ panis torrefactâ cunctis mixtis. Juvat vinum rubrum, cibus & potus parcus, εὔχυμος καὶ εὐπεπὴς sæpiusculè assumptus.

Externè conveniunt empl. stomach. Crat. cum Tacamahacâ, de crustâ panis, empl. ex fermentô & sequens:

℞. *Succ. cydon. ʒij.*
pyrorum
uvar. acerb. ana ʒi.
acet. alb. ros. ʒiß.

Agitentur simul & cum paucâ farinâ excipiantur ac admoveantur supra os ventriculi anterius & posterius. Affectione tamen diutius & gravius perseverante, cucurbitâ ad os ventriculi cum multâ flammâ affigatur tantisper, dum cibus præbetur.

Denique *si à vermibus cum ventriculi dolore* fiat, cardiacis misceantur occidentia.

Præter supra enumerata medicamenta

menta prosunt etiam syrup. de portulacâ, de acetosâ, conserva rosarum & rhabarb. frequenter masticatum,

Externè:

℞. *Pulv. ros. rubr.*
absinth. ana ʒij,
coral. ʒiß.
ligni aloes
diarrhod. abbatis ana ʒi
Surf. q. s.

F. Cataplasma cum vino rubrô. Vel

℞. *Mic. panis tost. madefact. in vinô rubrô, cum succô gran. & cydon. Vel si ardor sit magnus, in succô plantaginis ana, cum*

∇ *ferrat.* ʒiv.
℥ *absinth.*

Rosis & tacamahaca F. Cataplasma.

Verùm *si neque hisce sedetur*, Rodericus à Castrô suadet cum Varandæo missionem sanguinis ex communi venâ, quam non solum securè, sed etiam cum maximô ægri emolumento administrari posse multis experimentis sibi probatam scribit citatus *Rodericus à Castro Lib. 3. Part. 2. De Morbis Mulierum cap. II. pag. 418.* Avicennas valdè laudat ℥ mastich. inunctum calidè admodum, tam anterius in orificiô stomachi, quàm posterius &c. *Vid. la Commare del Scipione Mercurio pag. 230.*

TIT. VI.

De Dolore Ventris.

TOrmina *Ventris* iisdem ferè curantur Remediis, quibus uteri inflatio.

Specialiter *Victus convenit calidus & siccus.* Utile quoque est masticare cinamomum, anisum, cortices citri & aurantiorum, quorum pulvis etiam accipiatur cum vinô, vel cum aquis stillatitiis cinam. anisi citrique potus ut & vina aromatica laudantur. Semen fœniculi saccharô obductum valdè pellit discutitque flatus & alia incommoda, quæ etiam præstat ℥ stillat. fœniculi, cujus guttæ aliquot saccharo permixtæ umbilico illinantur. *Sacculus* umbilico adhibendus ex sem. fœniculi, anisi, anethii, milii vinô aromaticô vel aquâ vitæ irroratus, ex quibus etiam in vino decoctis, *clyster* paretur in paucâ quantitate cum pauciſſimô ℥ anethi & bacc. lauri, vel & cum cerâ & prædictis ℥ fiat *unguentum.* Aut hoc *cataplasma:*

℞. *Vitell. ovor. N. vi.*
Fortiter agitentur & adde
pulv. anisi
cumini
fœnic. ana ʒi.

Cum ℥ *laurinô F. ad* Δ *placenta, quæ umbilico applicetur.*

Vitandæ plures inunctiones & humida fomenta, quia dum flatus dilatant priusque absolvant, abortum provocant, uterum & ejus vasa dilatando, ideoque dum reliqua applicantur, ventriculo apponendum pomum assum cum vinô aromaticô & aromatibus perspersum, ut fœtus corroboretur, *vid. cap. præced. & cap. de Dolore Colico* pecul ubi plura.

TIT. VII.
De
Alvi fluxu.

Alvi fluxus Gravidarum periculosus ob abortus metum est teste *Hippocrate Aphor.* 34. *Sect.* 5. Ideò citissimè sistendus, præsertim si lientericus, aut dysentericus, aut alius sit. Nam in Diarrhœâ, quæ â pravorum humorum abundantiâ tempore gravidationis cumulatâ & aggregatâ fit, cavendum ab adstringentibus. Quamvis enim abortus periculum ob alimenti embryoni debiti defectum & subtractionem ut & ligamentorum laxationem immineat, certius tamen id erit ob succi pravi abundantiam : Ideoque optimâ & contemperante victus ratione potius agendum est iisq; quæ habitum mutent in melius.

Conferunt aliâs ℞ mastichinus, tinctura & magisterium coralliorum.

Dysenteria verò curabitur. 1. *legitimô victu*, cibis nempe optimis, & levis digestionis, assis potissimum. Potus sit vinum rubicundum ▽ portulacæ vel chalyb. dilutum. 2. *Humoris peccantis evacuatione* per lene abstergens simulque corroborans medicamentum ex syrupô rosarum lenitivô, prunis laxativis, myrobalanis, rhabarbarô &c. 3. *Si sanguis redundet*, vena communis incidi debet: *Sin minus* humor peccans contemperandus & compescendus est syr. acetosæ portulacæ, violarum, bugloss. & præparatô ita humore dein commodè ℈j. ad ʒß. vel ʒj. rhabarbari cum ʒj. conserv. ros. adsumi & masticari poterit : Interim tamen, dum hæc fiunt, haud negligendus est fœtus, unde ejus roborandi ergò pomum odoriferum assum cum theriacâ, cinamomô, caryophillis, mastiche, vel, *si Calor adsit*, cum pulv. ros. rubrarum, corall. diarrhod. Abbatis & myrtill. & frustum carnis semiassatæ cum taleolâ panis tosti vinô irrorata ac prædictis pulveribus respersa. At *si dolor magnus adsit*, ea adhibeantur, quæ capite de ventriculi dolore dicta fuêre, idq; ocyssimè.

Clysterum nimius usus vitandus est, & leniter saltem lubricantibus & anodynis clysmatibus, quales ex jusculis aut decocto malvæ meliloti alth. in aquâ ferrariorum & ♎ ros. myrtillor butyr. sacch. vitello ovorum conficiuntur, uti securè possumus.

Quodsi verò alvi fluxus sit Dysentericus vel Cœliacus eôdem ferè curabitur modô ac *Prægnantium Vomitus*, de quô suprà dictum fuit, cui addi potest rhabarbarum masticatum cum conservâ rosarum, ut sc. redundans in ventriculô humor evacuetur. Deindè corroborantia adhibenda sunt, e. g Electuarium de gemmis, tabulæ diarrhodon Abbatis aut diamargarit. Magister. coralliorum &c. *Rodericus â Castro* laudat sequens, tanquam frequenti usu comprobatum.

℞. *Conserv. ros. antiq.* ʒiß.
Pulv. Boli Arm.
Corall. rub. præp.
Troch. de carabe
Mastich.

Mastich. ana ʒß.
(NB. Mastichen in delicatioribus, quod odorem ejus ægrè ferant, omittit)
cum Syrup. myrtill.
F. Opiata Dos. cochlear, superbibendo ʒij. ▽ symphiti, portulacæ, extinctionis auri &c. umbilico imponendo cataplasma ex cydoniis coctis cum Nuc. Moschatâ, mastiche, macere, caryophillis, aliisque.

TIT. VIII.
De
Dolore Dentium.

O*Dontalgia Gravidarum*, quâ nullum sæpe conceptionis certius signum est, si nimium urgeat, curatur vel *fluxus inhibitione*, applicatô temporibus emplastrô ex mastiche & tacamahacâ, vel ad rupturam, vel alio adstringente &c. cum paucô opiô.

2. *Doloris mitigatione*, cum pilulis anodynis, quæ simul humorem educunt. *vid. de Dolore dentium.* Prodest item vinum in ore detentum, in quô incoxerint salvia, cortex mori, origanum, majorana, coriandrum præparatum & Gallæ. Aut decoctum rad. filicis, pentaphyll. bistort. ros. rubr. salviæ &c Vel vapor istiusmodi decoctorum per os hauriatur &c.

In frigidâ causâ prosunt olea caryophillorum, salviæ, camphoræ, buxi, origani Cretici, quorum gutta j. instilletur in dentem cavum: Vel dens fricetur theriacâ aut mithridatio, aut parum cavitati illorum dentium indatur: Vel granum piperis aut caryophilli.

In causa verò *calida* nullo auxilio dolor citius removetur, quàm si ▽ frigidissima in ore detineatur, quâ statim ac calefacta parum fuerit, rejectâ alia denuo capiatur, sic aliquamdiu repetendo, subinde imponendo denti tantillum Philonii Romani, quod hisce & aliis dentium doloribus prodesse mirum in modum se edoctum experientiâ scribit *Rodericus à Castrô*, ita ut pro optimô secretô meritò habendum censeat.

Si ab acribus atque scorbuticis humoribus dolor proveniat, tunc medicamenta odontalgica in lacte debent coqui: Lac enim acrimoniam lenit.

Montagnana ad omnem dentium dolorem hoc evporiston â se expertum sæpius commendat.

℞. *Camphoræ q. s.*
Permitte ut in acetô parum ebulliat, deinde teneat æger tepidum, & certè liberabitur.

TIT. IX.
De
Dolore Capitis & Vertigine.

C*Ephalalgia Gravidarum* licet grandescente fœtu tandem spontè cesset, tamen cum graviori molestiâ ac cruciatu affligat, repellentia & dolorem lenientia capiti applicanda veniunt, de quibus consule *Cap. I. de dolore capitis Part. II.* ubi fusè. Sic etiam VERTIGO dum nimis urget, repellentia temporibus imponenda, vaporis verò discutientia & interna cerebrum corroborantia (de

quibus

quibus *Cap. de Vertigine*) nunquam omittenda.

Si verò â ventriculò hi vapores eleventur, pulveres peptici post cibum sunt sumendi.

℞. *Coriandri præp.* ʒi.
cinamom. ʒß.
macis ʒij.
sacch. tab. ros. ℥iij.

F. Pulvis. Vel post pastum poma cydonia, vel myva cydoniorum assumatur.

Sequuntur *symptomata*, quæ Gravidis *medio gestationis tempore* contingunt.

TIT. X.
De
Tussi.

Cùm ob abortum metuendum *Tussis in Prægnantibus* sit valdè *periculosa*, omni studio & maturè curanda est.

Quapropter, *quantum quidem fœminæ conditio patitur*, vitiosi humores, qui â capite ad thoracem fluunt aut vapores sunt evacuandi, leniter tamen (rarò enim ut aliâs, ita & hic adhibenda purgatio) pulv. rhabarbari aut agarici cum prunis laxativis &c. Deinde caput, ne affluentes humores recipiat, corroborandum sacculis impositis, quales superius *capite de Catharrô* descriptos reperies. Aut *si quid in capite hæreat*, per nares evacuandum. Ubi tamen propter abortum â sternutatoriis bene cavendum.

Confert ♃ amygdal. dulcium, succus malvæ &c. It. vapor ex decoctô Majoranæ, pulegii, rorismarini, salviæ, quò per os recipiatur. Masticetur piperis aut mastiches parùm.

Tandem *Thoracica medicamenta* vel linctus, vel rotularum, vel trochiscorum formâ exhibenda, prout materia vel calidior, vel frigidior, vel tenuior, vel crassior fuerit. Abstinendum tamen â nimis dulcibus: Nam utero inimica sunt. *Conveniunt* itaque species diaireos, diatragacant. frigid. rec. It. diapenid. & rotulæ exindè factæ, cum appropriatis ▽ & Syr. ut asthm. veron. scabiosæ &c. postmodum adspergi possunt cum ♃ dest. fœniculi, quod gravidis valdè gratum est & proficuum.

Cæterum vitet Solis Lunæque radios; *Cœna sit parcior*, nec statim post eam lectum ingrediatur. Poterit & cubitum itura parum theriacæ deglutire: Vel sumat Syrup. papav. simpl. & viol. ut & diacodium. Pectus inungatur unguento pectorali Aug. vel ♃ viol. aut amygdal. dulcium &c.

Quodsi verò â sanguine aut fluore albo tussis proveniat, sanguinis missionem ex communi vena ultissimam esse censet *Rodericus â Castrô dictô loco*, aut cucurbitulas cum sacrificatione applicatas, dein rhabarbarum masticare, & si fluxio calidior, diatragacanthum frigidum &c.

Sin verò (ut plerumque ex fluxu albo menstruô est) *causa frigidior sit*, tum

℞. *Succ. glycirrhiza* ʒv.
hyssopi sicc.
sem. urtic.
rad. irid.

Aristol.

aristol.
carthami
piperis
amygdal. amar.
sem. nasturtii ana ʒii.
Cum melle despumato aut saccharô clarificato.

F. Electuarium.

Aut & alia becchica sumantur, de quibus consule caput de Tussi, ubi plura.

TIT. XI.

De Cordis Palpitatione.

SI *â sanguinis copiâ* Palpitatio cordis aut lipothymia mediis gestationis mensibus proveniat, quæ sæpè futuri abortus in Plethoricis sunt indicium, certissimum & tutissimum est venam aperire & sanguinem moderatè emittere, quô modô prægnantes & ab hôc & ab aliis symptomatibus instanteq; abortus periculô liberatas fuisse sæpius observatum est. Aliàs usu rhabarbari cum conservâ rosarum humores leniter expurgare conducit.

Quodsi verò â flatibus aut *vaporibus* syncope vel cordis palpitatio oritur, assumenda medicamenta, cordialia tetrososq; vapores pellentia, ubi prosunt bezoardica cum conservâ rosarum, rad. scorzon. condit. ana lil. convall. scord. ▽ cinamomi, borrag. melissæ cum vino, sicut & balsamus ex ♎ melissæ & carbunculi. Confectio alkermes, (in iis sc. quæ eandem ferre possunt) confectio de hyacinthô.

Externe prodest inunctio ♎ scorpionum Matthioli, cinamom. cum theriaca, ♎ melissæ, citri. Sacculi cordiales repleti pulv. sem. allii, CC. carlin. santali, spec. diambræ, diamoschu, angelicæ & flor. cordial. &c. It. Epithema ex Micâ panis cum Malvatico vel ▽ borrag. melisſ. Succ. citri, pauco ✠ rutæ lavend. rubi idæi, bezoard. &c. Vel ex crocô cum pannô scarlatino adhibitum calidè *vid. suprà de lipothymiâ & cordis palpit.*

TIT XII.

De Lumborum & Coxendicis Doloribus.

QUodsi *plethora sanguinis adsit*, missio moderatè institui potest.

Si verò tantùm â pondere fœtûs, quod uterus & ligamenta vix sustinere possint, dolores hi excitentur, commodissimum est, fasciis collo appensis sarcinam abdominis gestare, & pondus uteri sustinere, quieti & somno indulgere, unguentis anodynis, ut ♎ chamomillæ, lumbricorum, aquâ articulari aliisque, quorum *cap. de urthritide* fit mentio, partes istas dolentes inungere, it. ♎ lil. alb. amygd. dulc. violarum, ex quibus ♎ & Clysteres utiliter parari possunt.

TIT. XIII.

De Hæmorrhagia.

SYmptoma hoc non sine periculo, teste *Coo V. aphor.* 60; ubi tamen exceptionem patiuntur Plethoricarum (quibus ad 5. vel 6. Mensem

menstrua fluxêre sine damno) historiæ & observationes, quales vid. apud *Horstium, Rod. à Castro & Sennertum.*

Si igitur â copiâ sanguinis fluxus oriatur, commodè, cautè tamen V. S. debet institui & simul adstringentia, quæ aliàs hæmorrhagiis competunt, usurpanda sunt, e. g. Syrupus coralliorum, cydon. Ferdinandi, de portulaca, aq. mastich. tormentillæ, plantag. symphiti &c.

Externè verò, *si fortè hepatis intemperies quid contribuat*: Dextræ regioni empl. de santalo, malaxatum cum ♌ Nymphææ imponi cum usu poterit. Utiles etiam sunt frictiones ac ligaturæ & cucurbitulæ brachiis adhibitæ. Prodest etiam pulv. corall. margaritarum, terræ sigillatæ, conf. de hyacinthô, conf. alkermes sine moscho & ambrâ. Cœterùm quod interdum copia sanguinis nocere possit, atque sola V. S. præservari & curari, præter Authores suprà allegatos ex asse & accuratè demonstrat Zacutus.

Si â serosô & acri humore atque cacochymiâ malum oriatur, quantum licet, humores sunt evacuandi & contemperandi. Commodum ergò erit masticare rhabarbarum per se, vel cum conservâ rosarum, atque prunis uti laxativis, vel decoctô fol. Sennæ cum passulis & sem. fœniculi &c. Vel

℞. *Rad. liquirit.*
cichor. ana ʒii.
Herb. acetos.
agrimon.
endiv. ana Mß.
Flor. cordial. ana p. j.
Sem. anisi vel fœniculi
4 frig. maj. ana ʒß.
Passul. min. ʒß.
Fol. sennæ ʒii. *vel* ʒiij.
Coq. in s. q. ▽ *melissæ & cichorei, manè ebuliant,*
Col. ℞. ʒiiß. *vel* ʒiij. *adde*
Mannæ elect. ʒi
Crem. ♀ ʒß.
▽ *meliss. & cichor. q. s.*
M. F. Haustus.

S. Lavier-Träncklein auf einmal.

Notandum autem, quod juxta placitum *Hippocr. S. V. aphor.* 39. purgantibus â 4. duntaxat ad 6. vel 7. mensem, idq; parcè admodùm utendum sit. Contemperari autem possunt humores acres suprædictis santalo rubrô scil. bolo Armenô, terrâ sigillatâ, radice tormentillæ, conservâ rosarum, buglossæ, borraginis, ▽ tormentillæ, borrag. bugloss. Syrup. corall. portul. &c.

De adstringentium usu notandum, quod, si grumosus sit sanguis, qui nullâ virium debilitate adjunctâ aut sequente â naturâ expellatur spontè, non statim esse sistendum fluxum nimis adstringentibus, sed naturæ parùm connivendum: Nimiùm verò urgente fluxu postea adstringentibus occurrendum, ubi quidem Tinct. ♃ ☉ valdè convenit. It. Nux Moschata cum vino rubrô, Syrupus de portulaca, trochisci de carabe & mastiche, Syr. myrtill. præsertim si â ruptura vasorum malum oriatur. *Amuleta quoque, quæ aliàs in hæmorrhagiis usurpari solent* in manibus vel ore

ore teneri, aut de collo suspendi possunt. Præstant hic lapis hæmatites, it. Lap. jaspis, præsertim undiq; sanguinis instar rubicundus, nec ullô modô maculis albis consperſus, de quo vid. *Fabr. Hildanum in Epist. ad Greg. Horst.* quæ exstat *Cent.* 3. *Obs.* 2. *pag.* 347. *Conf. & caput de hæmorrhagiâ nariam.*

Si HÆMORRHOIDUM FLUXUS *adsit*, ne dolor accedat, sanguinis contemperatione cavendum, aut si adsit, mitigandus, ne uterum in consensum trahat & abortum causet. *Præstant* hîc ♃ & unguentum de linariâ, momordica, CC. usto pulv. &c. de quibus suo locô. Gravida bibat vinum rubrum in quô Nux Moschata tosta calens adhuc injecta fuerit. Melitomata quoque in hæmorrhagiæ symptomate cum pulvere caryophill. D. Schulzius magni habuit; possunt autem prius madefieri melitomata cum ▽ vitæ mulierum vel aliâ specificâ & postmodùm adspergi pulvere caryophillorum.

Ubique tamen & semper *corroborantia fœtum* ejusq; imbecillitas attendenda, quæ *si proveniat ab alimenti defectu*, conducunt passulæ majores, quæ tamen in majori copiâ non sunt devorandæ, ne fœtus grandior fiat & difficilem partum causet. *Confortat etiam egregiè embryonem* balsamus embryonum, internè & externè adhibitus. It. mica panis recenter cocti in vino odoratissimô cum pulv. nucis mosch. corall. caryophill. ana adsperſa & umbilico adhibita. Plura vid. *Cap. de fœtus imbecillitate.*

Sequuntur *symptomata, quæ gravidis ultimis mensibus* accidunt.

TIT. XIV.

De

SUPPRESSIONE ⊡ & ALVI.

URinæ suppressio fœminæ utplurimùm erectè stanti accidit, ideoq; ut ea provocetur, jacere debet fœmina ac regio illa foveri fomentô vel sacculô, vel cataplasmate, vel balneô paratis ex parietaria, malvâ, althæa, rad. petroselini, sem. lini & similibus.

ALVI verò SUPPRESSIO *ac duritiei* vel *tarditas curatur* cibis liquidis & humectantibus, ut jusculis purgantibus, butyrô, malv. borragine &c. alteratis. It. Prima mensâ sumantur pruna dulcia vel mel rosatum ad 3. vel 4. cochl. quæ si gravida respuat, clysteres humectantes & emollientes sine omnibus purgantibus in minori quantitate sine periculô injici possunt. Cave tamen ab herbâ Mercuriali, quia menses ciet, exempli gratia:

℞. *Decoct. hord. & jusc. carnis vel pulli ana q. s.*
Flor. borrag.
Herb. pariet. ana M ß.
Col. ℞. ℥vi. *adde*
Mellis ros. vel sacchari Thomæ ℥v. *vel* ℥i.
vitelli ovor. N. 1.
M. F. Clyster.

Quem Obstetrix prudenter & cautè, fistulâ scilicet non supernè versus uterum, sed inferne versus os ischiaticum directâ applicare debet.

Suppositoria hîc minus tutè adhibentur. Cæterum si calor adsit, hepar refrigerandum, de quô suô locô.

Quodsi ⊡ supradictis remediis haud eliciatur, & periculum ex retentione imminet, catheter immittendus ut eôdem ⊡ eliciatur & provocetur.

Clysteribus admiscèri etiam potest ℥ amygd. dulc. violarum, rosarum &c. amygd. dulcium etiam per os commodè assumitur.

TIT. XV.

De

Venarum In Coxis & Cruribus Distensione.

Venæ in coxis & cruribus & præcipuè *circa poplitem distenduntur & intumescunt*, ut quasi varicosæ fiant, ob hepatis imbecillitatem, de quâ suô locô, vel sanguinis serosi suppressionem ac menstruorum retentionem. Cum verò tumor ille nihil periculi adferat, sed post partum sanguine & lochiis evacuatis evacuatis evanescat sponte, venæque ad pristinum habitum redeant, medicamentis multis opus non est, sed saltem monendæ gravidæ, ne multum ambulent, sed potius crura elevata in sedili aut lectô teneant, ne sanguis ita ad pedes decumbere possit. *Vid.* etiam, quæ *sequenti capite de* malo huic affini agente dicuntur, cujus curatio & causæ non multum differunt, & hinc certâ ratione & modô hîc quoque locum habere possunt.

TIT. XVI.

De

Crurum Pedumque Inflatione & Tumore.

Oedema pedum in Gravidis per se quidem nil habet periculi, nisi quod incessum difficiliorem reddat, & sponte post partum humore aquosô cum lochiis evacuato evanescit; idcircò medicamentis ferè abstinendum & Naturæ omne opus committendum est, ne humor ad superiora regurgitans ad viscera nobiliora ruat. *Quodsi verò magnus sit tumor* & neque noctu neque post partum detumescant crura, atque adeò ambulatio impediatur, lenis curatio per optimam victus rationem, parcam sc. & ad siccam tendentem instituatur, heparque, si robusta sit gravida, primùm assumptâ mannâ ab ʒi ad ʒiß à pituitâ liberetur. Deinde ejusdem imbecillitas alimentis ac medicamentis idoneis, quæ *cap. de cachexiâ & hepatis debilitate* suo locô dicta sunt, corroboretur, habitâ simul ratione ventriculi. Deinde discutientia & digerentia externè applicentur, & crura foveantur lixiviô ex sarmentis vitis cum vinô paratô & decoctô origani, pulegii, chamomillæ, calaminthæ &c. Vel

℞. *Farin. fabar. lupinor. ana* ʒij.
♀ ʒi.
stercoris columbini ʒß.
Cum ▽ *chalyb. & succo caul.*
F. Cataplasma.

Vel

Vel tumentibus pedibus post frictionem cum calidis linteolis proderit inungere linimentum, quod

℞. ♁ *anethi*
chamæm.
hypericonis ana ℥ß.
vitrioli ℥*i.*

F. Pro Linimentô.

At si pars rubeat, cavendum, ne exulceretur aut in aliquam corruptionem degeneret, potius applicetur farina fabarum, orobi, cicerum &c.

Vel ℞. ♁ *ros.* q. s. quô dissolve & contere terram sigillatam, adde parum ceræ & fiat unguentum, quô illinatur tumor. Pedes etiam laventur & fricentur ▽ salsâ, in quâ chamomilla, origanum, anethum &c. cocta sunt.

Si lividi tumores appæreant, sanguines missionem cum felici successu inter 4. vel 7. mensem exerceri sæpius comprobatum est, si scilicet plenitudo magna sit, aliàs aut abortus sequitur, si sanguis mittatur, aut fœtus debilior in lucem venit. Si quid verò residuum, illud omne post partum discutitur ac evanescit.

Balnea minus tuta sunt.

Potus ac cœna parciori manu sumantur.

TIT. XVII.

De

Fissuris Cutis Abdominis.

Cutis abdominis, præcipuè in primô partu & in quibus frequentiori conceptione nondum extensa est, valdè extenditur, ut quasi findi videatur. Ne verò vel dolor excitetur, vel deformitas post partum relinquatur, post quintum mensem laxantibus linimentis & unguentis utendum est, ut medullâ crurum vituli, arietis, ♁ amygd. dulc. pingued. Gallin. ▽ ros. abluta, unguentô pomato, pelle canina ♁ amygd. dulc. illitâ, quæ toti abdomini imponenda; experimentum *D. Mich.* est sequens:

℞. *Mucilag. sem. lini*
fænugræci
rad. alth. cum ▽
lil. alb. extract. ana ℥*vi.*

Ceræ q. s. pro efformandô linimentô. Potest etiam tingi crocô vel aliô colore pro lubitu.

Præcaventur etiam *Rhagades* ♁ lini, sesam. violarum &c. Succi item hermaniæ, alchymillæ, fragariæ, centinod. burs. past. fol. quercus ros. rubr. millef. consolid. maj. eorumque decocta, ut & ea, quæ superius ad fissuras allata sunt. Sic & unguent. de Tutiâ, de Lytharg. diapomphol. de plumbô, empl. alb. coctum cum ♄. addito linimentô ex ♁ hypericonis, mastiche & cerâ. Addi potest etiam sevum cervinum.

℞. ♁ *amygd. dulc.* ℥*i.*
Sev. hircini ℥ß.
Camph. ℥ß. M.

TIT. VIII.

De

Aquæ Effusione Ex Utero.

Hæc affectio haud aliter curanda, quàm bonâ victus ratione ex cibis solitariis, ut carnibus assis, amyg-

dalis, passulis atque in ultimâ mensâ myvæ cydoniorum parùm capiat.

Laudat *Rodericus â Castrô* seq. syrupum per aliquot dies sumptum;

℞. *Rad. Chinæ* ʒß.
Sarsaparillæ ʒi.

Coq. in lib. viij. ▽ *borrag. & lupuli ad medias, in fine adde pulv. corall. rubrorum.*

ros. rubr. ana ʒi. *Facta colaturâ cum saccharô.*

F. l. a. Syrupus.

Quodsi serosum aliquid in corpore redundet, non erit abs re Rhabarb. ℈j. masticando præbere, aut cum conserv. ros. ʒj, aut tabellas diarrhodon. Abbatis cum duplô rhabarbari.

Si verò ex suppressâ aliquâ evacuatione fiat, annitendum, ut humores præexistentes corrigiantur & temperentur. Præterea tam internis, quàm externis remediis, (de quibus cap. seq.) corroborandus fœtus est.

TIT. XIX.

De
Foetus Debilitate.

Hic *primò causa*, ob quam debilitatur fœtus, *removenda* est, ut, si Mater morbô quôdam, aut symptomate prædicto quodam infestetur, illa prius removenda sunt. *Deindè fœtus roborandus* venit. Mater quomodo curanda, ex superioribus patet.

Fœtus autem *corroborationem quod attinet*, perficitur ea optima Matris victus ratione. Deinde internis & externis medicamentis fœtum corroborantibus, quorum aliqua mentio facta *cap. de palpitatione cordis* Gravidarum, quibus hæc adjungimus. Interna inter præstat Balsam. Embryonum coch. j. vel ij interdum sumptis. Vel

℞. *Amygd. dulc. excortic.* & fundum vasis vitrei vel fictilis mundati orificii latioris reple, his insperge *Pulv. caryoph. cinamom. Nucis mosch. ac sem. fœniculi*, impone amygd. dulc. atque ita F. S. S. S. tantem omnibus affunde *saccharum cum aqua* vel *simplici*, vel *borraginis*, vel *rosarum clarificatum*, ut saccharô tegantur. Hujus *conditi* frequenter Gravida parùm sumat. Conferunt etiam sequentes rotulæ:

℞. *Corall. rub.* ʒi.
Marg. præp. ʒß.
Sapphyri
Smaragd.
granat.
hyacinth.
rubin. ana ℈i.
cinamom. ʒi.
zedoariæ
cardamom.
ligni aloes
cubebar.
ras. ebor. ana ʒß.
gallæ mosch. ℈i.

Cum saccharo in ▽ *ros. & melissæ solut. q. s.*

F. l. a. Rotulæ.

S. Runde stärckende Küchlein. Vel

℞. *Nuc. mosch.* ʒß.
Galang. ʒii.
cinamomi ʒi.
cardamom. ʒß.
ossis de CC. N. ij.

Con-

Conſperg. S. V. vel Malvaticô & affunde mellis deſpumati calidi q. s. De hâc mixturâ Gravida ſæpè fabæ magnitudine aſſumat.

Externè verò umbilico, imo toti ventri applicanda ſunt fomenta humida ex vino generoſo, Hiſpanicô, Creticô, Hippocratico, Ungaricô vel Malvatico, eaq; cum linteaminibus, ſpongiâ, lanâ, panno ſcarlato &c. imò ventri admovenda. Fomenta item ſicca vel ſacculi repleti foliis rosmarini, ocymi, meliſſæ, pulegii, flor. citri, aurant. limonium, lavendulæ, ros. viol. croci, rad. angelic. carlinæ, caryoph. cinamom. cardam. macere. Nuc. Moſch. lign. rhod. xylaloë, ſantalo, cortic. citri, limon. aurant. rad. contrayervâ &c. It. unguentum Comitiſſæ dorſo & ventri illinatur. Vel

℞. Pomum, præcipuè cydon. repleatur theriacâ, maſtiche, caryophillis, aut, ſi calor adſit, pulv. corall. myrtill. roſ. rubr. ſpec. diarrhodon Abbatis, aſſetur & umbilico apponatur. Confert etiam placenta illa piperata, quæ dulciaria mellita & placenta vitæ vulgò nominatur, trita & cum vinô generoſo vel Cretico in pultem aptata, vel

℞. *Floccorum panni coccyn.* ℥iv.
Galangæ
cinamomi
macis ana ℥ij.
maſtichis ℥ij.
ſang. Drac. ℥i.
mellis q. s.
F. Cataplasma.

℞. *Vin. Malvat. lib. iij. calefac & in illis diſſolve*
℥ *Nuc. moſch. expr.* ʒß.
majoranæ
menthæ
nardin. ana ℈ij.
adde Pulv. caryoph.
rutæ
puleg.
meliſſæ ana ʒß.
Aq. roſarum
meliſſæ
majoranæ
pulegii ana lib. j.
Balſ. embryon.
& ▽ vitæ ana ℥iß.

M. & hinc ſpongiæ majores & minores, ut variis ſint aptæ locis, partes concidantur & liquore hoc imbuantur & ſub mammam ſiniſtram, ſub axillas, poplites, umbilico, pulſibus, in carpo plantisque pedum imponantur, atq; ubi reſiccatæ fuerint, iterum iterumque madefiant. Poſſunt etiam illini ℥ ſtillat. nardino, angel. cortic. citri, aurantiorum, cinamomi, rorismarini &c.

Sequuntur *Parturientium affectus.*

CAP.

Caput XXXVII.

De

Morbis Puerperarum.

Tit. I.

De

Abortu.

Ante partum *Abortus præcaveri* debet V. S. si mulier sit plethorica, vid. *Zacutus Lusitanus:* Purgatione, si cacochymia adsit.

Matricis frigiditas, lubricitas & humiditas est corrigenda, si ea in caudâ fuerit, & quidem thermis, sudoribus aliisque.

Affectus uteri, si qui adfuerint, removendi. *Graviditatis* verò *tempore* ea omnia fugienda, quæ vincula fœtus vel laxant, vel rumpunt, vel uterum debilitant, vel expultricem ad expellendum irritant, vel fœtui alimoniam subtrahunt, vel vitiosè alunt, vel prorsus enecant, vel aliâ quacunque ratione matrem vel fœtum offendunt. *Bona* è contra conveniensque *Diæta* præscribenda matri, eique foris ac intus medicamenta appropriata ordinanda v. g.

℞. *Pulv. contra abort. Aug.* ℥ij.
Mag. corall. cum succo citri,
eboris sine △ *parati*
gran. mastichis ana ʒij.

M. S. Pulver auf etlichmal. Dos. ʒß. ad ʒi. cum vinô rubrô aut ovô sorbili.

℞. *Mag. corall. c. succo citri*
ebrris sine △
gran. mastich. ana ℥i.
pellic. ventr. gallin. ʒiv.
M. F. Pulv.

S. Anhaltendes Pulver 2. Messerspitz auf 1 mal / des Tags 3 mal.

Manè sc. in jusculô carnis, hora 3. vel 4. & ante somnum.

℞. *Aq. verbenæ*
plantag. ana ℥i.
syr. corall. ℥ißß.
Tinct. corall. ʒij.

S. Anhaltender Safft auf etlichmal 2. oder 3. Löffelvoll.

℞. *Tinct. corall.* ℥iij.

S. Anhaltende Tinctur. Dos. 20. vel 30. gutt.

℞. *Balsam embryon.* ℥iij.

S. Kinder-Balsam. Dos. ℥ß. ad ℥i.

Potest etiam hic balsamus embryonum seu Puerorum optimè applicari cum vinô Malvaticô ex pane tosto. It. pulv. nuc. mosch. mac. & caryophillorum crustæ panis aquâ appropriata quâdam madefactæ aspergitur. Prodest etiam pulvis perlarum & corall. sæpius cum aqua lil. alb. vel vitæ mulierum sumptus.

Externè:

℞. *Unguent. Comit.* ℥ißß.
℥ *mast.*
cydon. an. ℥ißß.

M. S. Eusserliche Salb.

℞. *Unguent. Comit.* ℥i.
℥ *omphac.* ℥iij.
M. S. ut antè.

Potest etiam emplastrum contra herniam regioni lumborum & hypogastrio imponi.

Si à nimio frigore, internè prodest ▽ vitæ mul. & balsamus embr.

Externè verò potest fieri inunctio:

℞. ℥ *mast.* ʒß.
dest. nuc. mosch. g. iij.
macis g. iv.
caryoph. g. iij.

Cum ℥ *Nuc. Mosch. expr.*

F. Linimentum.

S. Eröffnendes und anhaltendes Sälblein.

Si à terrore:

℞. ▽ *ceras. nigr.*
flor. tiliæ
epilept. L. ana ʒi.
syr. corall.
Pæon. ana ʒvi.
℞ *corall.* ʒi.

M. S. Stärcksafft auf einmal.

℞. ▽ *berrag.*
bugloss.
Balsam. emb. ana ʒi.
corallior. rubr. præp.
margar. præp. ana ℈ß.

M. S. Stärck-Mixtur auf etlichmal.

Vel ℞. ▽ *epil. Langii* ʒiß.
ceras. nigr.
flor. tiliæ ana ʒij.
Pulv. March. ʒiß.
smar. præp. ʒß.
oss. de CC. gr. xii.
syr. corall.
Pæon. ana ʒiii.

M. S. ut antè.

Ajunt pelliculas ex ventriculis Gallinarum extractas pulverisatas, & diebus aliquot manè aurei pondere cum vino jejunô stomacho assumptas certò abortum præcavere. Idem facere perhibent radices eryngii veri emplastri modô hypogastrio impositam.

Cum rudimenta futuri abortus apparent, per aliquot guttulas sanguinis ab uterô stillantes, mulier deglutiat cor pulli ex vivô extractum & adhuc palpitans. Ætites de collô suspensa gestatur, magnes umbilico admoveatur & applicetur, tanacetum manu calefactum tenendo.

Cœterum *Gravidæ abortum passæ* per omnia ut Puerperæ tractandæ, viresque illarum convenienti victus ratione corroborandæ. Sæpè enim magis debilitantur abortientes, quàm tempestivè parientes & gravioribus affliguntur symptomatibus.

TIT. II.

De
Dolore Ante Partum.

Doloribus qui *vani* & *falsi non sunt*, quos partus brevi sequitur, mederi non possumus, neque debemus. Possumus autem *vanos & irritos* commovere, ut eos subsequatur partus, excitare dolores veros ante non perceptos, tum remediis illis, quæ infra de difficultate partus proponentur, tum sequentibus, quorum quædam interna sunt, quædam verò externa.

Internè dari potest pulvis ex crocô, cassia lign. cinnamom. borrace, succino albo, antheris lil. alborum, cum ▽ puleg. melissæ, artemisiæ, sabinæ, chamædrios, aristol. rotundæ, v. g.

℞. *Borracis*
Cassiæ lign. ana ℈ß.

Croci gr. v.
℥ *cinamom. g. j.*
M. Pro dosi. S. Schmertzen-machend Pulver.

℞. *Rassur. eboris* ʒii.
Cassiæ lign.
Cinam. acuti
Croci ana ʒi.
M. Dos. ʒß. bis vel ter quaque hora cum ▽ puleg, verben. cinamomi sumendus.

Item pulv. nigellastri seu pseudomelanthii cum vinô vel cereviſiâ calefactâ. Vel exhibeantur aliquot guttulæ ℥ dest. succini vel ℥ cinamomi cum ▽ prædictis.

Externè possunt applicari facculi hypogastricæ abdominis regioni ex malvâ alth. matricariâ, melissâ, puleg. artemisiâ, rosmar. sabinâ, hyssopô, betonicâ, flor. matricariæ, chamomillæ, meliloti, sem. lini, fœnugræci &c. Coq. in ▽ & vinô. Saccus antecedens exprimatur & ubi refrixerit, denuò decoctum immittatur. Hôc decoctô etiam imbuatur spongia, & hypogastrio admoveatur. Plura vide *cap. suprædictô de dificultate partûs.*

TIT. III.
De
Aquarum Effusione.

HOc *accidens* cohiberi nequit, ideò opera danda solummodò, est, ut puerpera facilius pariat, usurpatis aliis remediis, quæ ex cordialium & corroborantium albô petuntur, de quibus suô loco. Potest etiam matricis lubricitas conciliari ℥ lil. alborum, amygd. dulc. sesaminô communi ℥ viol. It. adipe gallina, anserinâ, suillâ, anatinâ, cuniculi, butyrô recenti, quibus inungatur hypogastrium ipseque uterus tam intus, quam foris.

TIT. IV.
De
Sanguinis Profusione.

QUæ *sanguinis fluorem compescunt*, partim sunt *emplastica*, partim *adstringentia*, acerba, austera & acida intus forisq; usurpanda, de quibus *cap. de nimiô mensium fluxu.* Cardiaca verò proposita vid. *cap. de cordis palpitatione.* Externè hîc insuper adhibentur ligaturæ dolorificæ digitorum & brachiorum. Amuleta ex hæmatite, corall. rubr. jaspid. &c. Vid. *cap. de hæmorrhagiâ.* Fomenta ex decoctô simpl. adstringenti, v. g. rad. tormentillæ, bistortæ, pentaphylli, herb. plantag. hippuridis, bursæ pastoris, centinodii, fol. quercus rubi, salicis, baccis myrthi, prunorum sylv. nucis cupressi, gall. multicorii, ros. rubr. balaust. cum vino rubro decoct. cui addi potest aliquid aceti.

Profusio hæc quandoque adeò est insingnis, ut etiam arteriosus interdum sanguis emanet, cum subsequente syncope &c.

TIT. IV.
De
Partu Difficili.

PLurimæ *distocie causæ* sunt, tum ex parte Matris, tum ex parte fœtus, ideoque pro causarum varietate varianda quoque auxilia.

Si ob Matris virium debilitatem, vires

vires roborandæ, ſpiritus reficiendi & facultas expultrix ſtimulanda. *Ante partum* tamen convenit uti ſequenti balneo:

℞. *Herb. malvæ*
artemiſiæ
brancæ urſinæ
Flor. cham. ana Mij.
lil. alb.
malv. ana Mj.
Rad. alth. ℥ii.
lil. ℥ii.

Incis. D. S. Kräuter zum Bad.

Quodſi alvus non ſit aperta, ſuppoſitorio, vel potius clysmate, quo ſolô ſæpè partus facilior redditur, cieatur:

℞. *Herb. Mercurial.*
artemis.
Flor. malvæ
chamomillæ ana Mj.
lil. alb. p. iij.
Rad. lil. alb.
alth. ana ℥i.
bryoniæ
ariſt. ana ʒß.
Coq. in ſ. q. aquæ communis,
Col. ℞. ʒvi. *in quibus diſſolve*
Electuarii lenitivi ʒiß.
borracis ℈ii.
♎ *lil. alborum*
amygd. dulc. ana ʒß.
vitelli ovorum N. 1.
F. Clyſter.

Deinde ℞. *Pulv. ad partum Aug.* ʒß.
borracis gr. xii.

Detur in duplô. S. Sonderlich Pulver.

℞. *Eſſent. noſtræ ad partum* ℈ii.

D. S. Eſſenz auf 2mal.

℞. *Pulv. N. ad partum* ℈ii.

D. in duplô. S. Pulver gegen die ſchwere Geburt auf einmal.

℞. *Pulv. ad partum Aug.* ℈i.
⊖ *vol. ſuccini gr. v.*

D. S. Pulver auf einmal.

℞. ▽ *lil. alb.*
artem. comp. ana ʒiß.
Eſſ. ad partum ʒii.
Syr. de canella ʒß.

S. Tranck auf zweymal.

℞. ▽ *artemis. C.* ʒiij.
Eſſent. artem.
meliſſæ ana ℥i.
Croci ℈ii.
Syr. de artem. C.
canellâ ana ʒiij.

S. Safft auf zweymal.

℞. ▽ *lil. alb.*
puleg.
cinamom.
borrag. ana ʒii.
ſuccini præp. ʒiß.
ocul. ♋
lap. percar. ana ℈i.
borracis ʒi.
Syr. de canella ʒi.

M. D. S. Stärcktranck wol umzurütteln auf eßlichmal.

℞. ♎ *aniſi vel*
fœnic. aut ſuccini
vel hyper. g. iij.

D. cum ▽ *verben. aut pulegii, vel ex* ♎ *aniſi & fœniculi.*
F. Elæoſaccharum.

℞. *Borracis* ℈iiß.
Croci ℈i.
Cinamomi
Caſſiæ lign. ana gr. xii.

D. cum ▽ *lil. alb.*

℞. *Borracis* ℈i.
Croci
succini albi præp.
anth. lil. alb. ana ℈ß.

M. D. cum ▽ verbenæ aut pulegii. Est experimentum Kyperi.

℞. *Testicul. equi* ℈i.

D. cum ▽ verb. & cinam.

℞. *Hep. anguillæ* ℥i. *D.*

Hoc valdè commendat Helmontius, ut & hepar serpentum, quorum axungia quoque multum operatur, si eâ umbilicus inungatur. Nimis autem fortiter pellit, quapropter statim post partum est abluenda, aliàs sanguinem violenter expellit. Trochisci quoque de myrrhâ exhiberi possunt, minus autem delicatulis ob ingratum saporem. De ☿ vitæ *vid. Angelus Sala*, qui aliquot habet exempla, quod aliis omnibus in vanum adhibitis hoc solô Mulieres feliciter pepererint, adde Billichii Obs. lib. 2. & Paradoxa Chymica (quæ ἐνδοξα potius, quàm ἄδοξα Clossæus esse pronunciavit) cap. 14. pag. 169. *Alia quoq; hîc locum habent vomitoria*, ut juli. jugland. it. succus inspissatus Nicotianæ, qui tamen vehementissimè operatur, ideoque magna opus est cautione. Item sternutatoria, ut pulvis sternutatorius Aug. Confortantia & pellentia simul:

℞. ℳ *fulig. rectif.*
secund. ana ℥ß.

D. S. Sonderlicher ℳ. Dos. gutt. 40. vel 50.

℞. *Conf. alkerm. incompl.* ℈ii.
Troch. de myrrhâ ʒb.
Castorei ℈i.

Sumatur cum ▽ artemis. vel vino albô. Fortissimum erit, si addideris borracis mineralis ℈ij.

℞. ▽ *lil. alb.* ℥ß.
cord. cervi ℥i.
ℳ *secund.* ℥ß.

M. Pro 1. dosi.

℞. ♎ *cinam. g. ij. vel iij.*

D. cum ▽ cord. &c. Plura vide Cap. de debilitate fœtus.

Externè umbilico inungi possunt olea succini & croci, vel lil. alb. axung. serpentum. Fomenta ventri admoveantur ex decoctô artemisiæ, pulegii, sabinæ, matricariæ, marrubii, calaminthæ, melissæ, Decoctum raparum &c.

Si viæ sint minus lubricæ, laxandæ sunt oleis & decoctis emollientibus.

Si via sit angustior, itidem emollientibus laxanda, ut sunt ♎ amygdal. dulcium: Pinguedo anatis, gallinæ, anseris, quibus mucilago sem. lini, cydoniorum, althææ &c. addenda, licet iisdem oleis & linimentis uti possimus, ubi pinguedo nimia partum difficilem reddit, aut tumor adest, ubi etiam conveniens situs multum præstat, præsertim si ossium figura peccet. *Cingatur* parturiens spolio serpentis vel cingulo ex coriô humanô â coriario vel alutariô præparatô. *Alligetur* ejus cruribus jaspis, lapis Samius, Ætites. Smaragdus *collo appendatur* & Crocus; teneatur in manu magnes. Parentur etiam *insessiones* ex decoctô raparum cum parietariâ, malvæ, violarum, althææ, melilot. It. *Pediluvia* ex prædictis decoctis herbarum.

Si me-

Si medicamenta non sufficiant, interdum ad manus opera deveniendum. Itaque *si membrana solidior fœtum retineat*, eam digitis ℥ amygdal. dulc. inunctis rumpere debet vel discindere obstetrix.

Si verò membrana rupta quidem sit, fœtus tamen haud prodeat, obstetrix omni modo laborare debet, ut fœtum vivum sine damnô, quantum fieri potest, extrahat.

Cranidis loco, *quomodo fœtus semianimis in lucem prodiens tractandus sit*, addemus: Cum itaque in partu difficili interdum fœtus tandem quasi semianimis in lucem prodeat, diligens Ejus cura habenda, ne planè emoriatur: Ideoque diligentes obstetrices spiritum ipsi per utrumque os, ore & pennâ inflare debent, aromata mandere & inspirare halitum. Os inungatur melle, linguæ instilletur gutta j. ▽ vitæ, eademque pulsus & nares inungantur. Lavetur fœtus vinô, lacte vel cerevisiâ. Capiti imponatur sacculus ex nuce moschatâ, caryoph. macere, cinamomô, vinô Malvaticô madidus. Funiculus umbilici foveatur Malvatico vel Vino, ▽ & cerevisiâ calidâ. Post sectum umbilicum.

℞. *Malvat. & ▽ vitæ ana p. æ.* Calefiant & in illis dissolve ℥ Nuc. Mosch; Deinde pannus lineus iis imbuatur, eoque umbilicus involvatur. Pauperiores semen cymini coquere possunt in cerevisiâ & eôdem modô pannum lineum imbuere atque umbilico imponere.

Quoad *Diætam*, ubi *partum instare* fœminæ senserint, versentur in aëre temperato, cibis abstineant adstringentibus: Utantur verò cibis *ὑγροῖς καὶ ἐυχύμοις* iisque in pauca quantitate, sed frequenter exhibitis jusculis gallinarum ac consummatis dictis, caricis, dactylis, uvis passis &c. Moderatè moveantur, non multum vigilent, balneis laxantibus initiô hujus capitis descriptis utantur, & genitalia loco ℥ lil. alb. amygd. dulc. inungant. Affectus animi nimios vitent. *In ipso partu* aër in cubiculô parturientis sit temperatus. Fœtor omnis amoveatur. Et *si partus diutius protrahatur*, ova sorbilia & panis vinô madidus exhibendus. Nuces item conditæ, caro & cortices citri &c.

TIT. V.

De Fœtu Mortuo.

PRæter ea, quæ *cap. præced.* de *συντοκίᾳ* enumeravimus, fœtum mortuum quoque expellunt pelliculæ interiores cortic. arboris juglandis pulverisatæ & quantitate ʒj. exhibitæ. Vid. Petrus à Castrô.

℞. *Gran. uvarum ʒiv.* (uvas putridas quascunque ex iis, quæ servantur suspensæ) projice in ▽ ferventem per horæ dimidium, easque super prunas ardentes projice: Excipiat mulier per vulvam fumum. Idem cranii quoque caponis pars, quæ circa verticem est, efficit. De ☿ vitæ *vid. alibi.*

℞. *Dict. Cretici*
castorei
borracis ana ℈ß.
croci gr. v.

test. equi gr. vi.
aq. lil. alb.
verbenæ ana ℈vi.
cinamomi ʒß.
M. Pro dosi. Vel

℞. *Pulv. test. equin.* ℈i.
▽ *puleg.*
Sabin. ana ʒi.
cinam. ʒß. M.

NB. Sabinæ fœtum vivum enecat, mortuum autem potenter expellit.

Hisce nihil proficientibus ἐγχείρησις Chirurgica requiritur, de quâ conf. *Sennertus* & *Aut. Chirurgici.* Intereà vires corroborandæ per jusculos Gallinarum, ova sorbilia, vinum odoratum, cum pane vel jusculis ex cerevisia, modò febris abest. Exhiberi insuper possunt spec. diamargar. frigida, diambræ, electuarium de gemmis cum vino & ▽ borrag.

Ut verò dolor mitigetur partesque roborentur, fovendæ sunt decocto artemisiæ, malvæ, rosmarini, absinthii, hypericonis, myrthi, & postea illinendæ unguentô Comitissæ vel sequenti, quod

℞. *Olei myrt.*
amygd. dulc.
hypericonis ana ʒß.
sperm. ceti ʒii.
sevi hircini vel cervini ʒi.
ceræ q. s.
F. Unguent.

Vel ℞. *Ceræ* ʒvi.
sperm. ceti ʒß *ad* ʒi.

Liquefiant super △ & ubi ab △ fuerint remota, tela cannabina ventri magnitudine respondens ei immergatur & ventri imponatur.

Sequuntur *affectus*, qui mulieribus *post partum*, ipsis nimirum Puerperis contingere solent.

TIT. VI.
De
RETENTIONE SECUNDINÆ.

UT *secundina retenta ex uterô quamprimum tollatur*, danda opera. Quapropter manibus obstetricis trahenda, sed non recta, ne simul uterus suâ sede moveatur & excidat, sed in orbem quasi agendo & circumducendo. Et ut conatus accedat sternutatoria ex flor. lil. convallium, majoranæ, pulv. stemat. Aug. usurpanda & sternutatio promovenda. Deindè graveolentia ex plumis perdicum, ungula capri accensis & similibus (de quibus *cap. de suffoc. uteri* dictum) naribus admovenda, quæ spiritus quasi deorsum in uterum fugant. *Quod si nec hoc modo* τὰ χορία εἰς ὑστέρα ἐκλείπουσι promoveatur, medicamenta secundinas pellentia usurpanda, quæ eadem ferè sunt cum medicamentis fœtum mortuum expellentibus, inter quæ diptamnus excellit, ut & secundinæ præparat. & pulverisatæ. It. Pulvis hystericus Aug. cum testiculis equinis, vel

℞. *Artemis. rubræ* Mj.

Coque in vino Rhenanô & cum hausiu ejus propinetur illud flavum liliorum alborum, quod antheræ nomine venit.

℞. *Majoran.*
Chæref.
puleg. ana Mj.
Sabinæ mß.

sem.

Sem. anisi
fæniculi ana ʒß.
Rad. petroselini
levistici ana ʒiij.
Coque in ▽ pro duobus haustibus.

Prodest etiam castoreum cum ▽ vel vinô propinatum. Vel

℞. *Rad. aristol. rotundæ ʒii.*
Myrrhæ ʒi.

M. S. Pulver auf einmal.

Sumatur cum vinô. Suffitus fiant ex Cassiâ, nardô, sabinâ, artemisiâ, pulegiô, dictamnô. Vel decoctô modò dictarum plantarum foveatur venter. Solus levistici succus cum vinô exhibitus valdè δυσέρια expellit. It. Pessaria ex rad. cydon. fol. sabinæ, herb. Mercurali, artemisiâ, salviâ, irid. cum ♎ cheyrino permistis. Ventriculus mustelæ fluviatilis unà cum appendiculis suis siccatus & in pulverem redactus mirificè pellit secundinas. Item nervus in halece cum jure sumptus pisorum.

Sin tenacius hæret δυσέρια & adhuc vasa umbilicalia tenentur ligata in coxis, aperiatur una ex venis umbilicalibus, sive arteria, sive vena, scalpellô, haud aliter ac in communi V. S. fieri solet, vid. *Riverii Consilia.*

Quodsi nec hôc modo secundinæ exeant, clyster uterinus injiciatur ex decoctô salviæ, artemisiæ, Mercurialis, calaminthæ, pulegii &c.

℞. *Fol. malvæ*
parietar.
artemis.
mercurialis
pulegii
calaminthæ
salviæ ana mß.
Flor. cham.
melilot. ana p. j.
Sem. anisi
fænic. ana ʒß.
Coq. in jusculi capitis vitulis ʒx. in quibus dissolve
Syrup. viol.
Sacch. rubri ana ʒi.
M. F. Clyster.

Conferatur imprimis *Greg. Horstius Lib. V. de morbis mulierum Obs.* 23.

TIT. VII.

De Lochiis Suppressis.

Curatio maturanda. Si sanguinis copia adsit, isq; ad alia loca ruat, ad uterum frictionibus, ligaturis, cucurbitulis, scarificatione in inferioribus partibus adhibitis revellatur; quæ *si non sufficiant*, vena in pede aperienda. Imò *si ista evacuatio planè supprimatur*, necessarium est, ut statim V. S. instituatur. non neglectis reliquis medicamentis revulsoriis, & postea vias laxantia & aperientia adhibenda, tam interna, quàm externa. Inungatur regio uteri imò totus venter ♎ amygd. dulc. sesamin. unguent. dialth. pinguedine Gallinæ, quibus addi possunt crocus, ♎ angel. spicæ cinamomi. Vel foveatur decocto plantarum *Cap. de suppressione mensium* propositarum. Aqua & decoctum rad. petroselini diligenter adhibenda, nec non decoctum cicerum rothe Küchern / quæ valdè prosunt, nisi sanguis affluat. Sanguinem insuper fundunt succus petroselini cum vino,

vino, vel decoctum rad. graminis cum hôc succô. Confert etiam sequens Clyster:

℞. *Rad. lil. alb.*
alth. ana ℥ß.
aristol. utriusq. ana ℥ii.
Fol. parietar.
malvæ
mercurialis
alth. ana Mj.
Flor. chamom.
sambuci
meliloti ana p. ij.
Sem. lini
fœnugræci ana ℥ii. *vel* ℥ß
Coq. in s. q. aquæ com. Col. ℥ß. *in quibus dissolve*
℥ *lil. alb.*
anethi ana ℥i.
Ungv. de arthan. ℥i.
F. l. a. Clyster.

Et si jam dies aliquot â partu præterierint, purgationem ex rhabarbaro, fol. sennæ & agarico exhibere licebit, cum radicibus aperientibus paratam & cum mannæ ℥iß in jusculô dissolutâ.

Per os exhibeatur Decoctum sequens:

℞. *Rad. aperitiv. ana* ℥ii.
Fol. beton.
endiv
capill. ♀ *ana* Mj.
Schœnanti pug. i.
Sem. fœniculi
anisi ana ℈i.
cicer. rub. cochl. j.
Coq. ad lib. iß.
adde ▽ *cinamomi* ℥ii.
Syr. de 5. rad. ℥iij. *M.*
Dentur ℥iij. vel iv. bis de die.

Antequam febris augeatur, adhibere aliquando licet trochiscos de myrrha ad ℥j. cum vinô albô vel ▽ fœniculi. Forestus, etiam febre præsente, sequenti utitur decocto.

℞. *Hordei mundati Mi.*
Glycirrhizæ rasæ ℥ß.
Schœnanthi ℥iß.

Coq. ad lib. 1. pro ℥ dosibus. Debilioribus verò schœnanthi ℥j. in jure pulli bullire jubet & exhibet.

Si sanguis totus ad mammam ruat, considerandum, *an ipsa Mater* infantem sit lactatura, *vel Nutrici* illum traditura. *Si prius*, non statim sanguinis motus inhibendus est, sed impetus naturæ prius perpendendus, & videndum, an repletis mammis sanguis ad uterum sit reversurus, quod si non fiat, auxilia necessaria usurpanda: *Sin ad aliam partem sanguis ruat*, revulsionibus supradictis insistendum est. *Sin posterius*, superius regurgitantis impetus illicò impediendus.

TIT. VIII.
De
NIMIO EFFLUXU SANGUINIS POST PARTUM.

FLuxus hic *non statim* nimis subitò *sistendus* est, sed perpendendum, quid ferre recusent. *Sufficiant* ergò primò *Victus ratio* legitima & *auxilia leviora*, præcipuè revulsoria. Tum laxiores viæ firmandæ sunt & roborandæ. *Prodest* itaque caro Gallinarum assa, adspersáque vino Granatorum. It. amygd. cydon. oryza, conserva

ſerva roſarum, amylum, vinum rubrum ▽ ferratâ dilutum, vel

℞. *Maſtich. ʒi.*

Coq. in vini Menſ. 1. D. It. infund. raſuram cranii humani in potu; manus & digiti ſericô rubrô ligentur & fricentur. Venter inungatur ♁ myrti & roſarum. Cucurbitulæ ſub mammis & utrique hypochondrio ſine ſcarificatione applicentur. Vid. Hipp. V. Aph. 50. Hepatis regione cataplasmata ex roſis rubris, Bolo Armenô & ▽ Roſarum admoveantur. It. ceratum ſantalinum, malaxatum ♁ Nymph.

Si fluxus ſit nimius, viresque valdè dejiciat, plenior victus prodeſt, partitis tamen vicibus exhibitus. Vitelli ovorum huic rei inſerviunt, ſunt enim ἐυπέπλοι & calorem ventriculi confortant. Simul exhibenda remedia fortius adſtringentia, fluxumque ſanguinis ſiſtentia, inter quæ potio ſequens utplurimum optimè ceſſit.

℞. ▽ *plantag.*
napht.
roſar. ana ʒi.
Syrup. corall. (vel in ejus defectu)
ros. ſicc. ʒi.
⊖ *prunellæ ʒi.*
Sang. Draconis ℈ß.
M. F. Potio.

S. Blutreinigendes Tränklein auf einmal.

Si diutius duret fluxio, opiata ad plures doſes præſcribi poſſunt; vel in formâ pulv. hunc in modum:

℞. *Lap. hæmat.* ℈iv.
Pulv. boli Armeni
corall. rubr.
marg. præp. ana ʒi.
ſem. plantag.
coriand. præp.
Gran. ſumach ana ℈ii.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus, de quô capiat ʒj. cum decoctô centauri & ſyrup. cydon.

S. Pulver zum Blut-ſtillen.

℞. *Conſerv. ros. rub. ant. ʒii.*
torment. ʒi.
Diacydon. S. ſpec. ʒß.
Boli Armeni
Corall. rubr. præp. ana ʒii.
Cum Syr. quodam adſtringente.
F. Electuarium.

S. Blutſtillende Lattwerg. Dos. Magnitudine caſtaneæ.

℞. *Mag. Corall. ʒi.*
Rad. tormeut.
Boli armeni
CC. ſine △ *ana* ℈i.
M. F. Pulvis.

S. Pulver gegen den Blutfluß auf etlichmal.

℞. *Conſerv. ros.*
rad. ſymph. ana ʒi.
Boli Armeni
Troch. de rhab.
corall. rubr. præp. ana ʒi.
Cum Syr. corall.
de portul. ana F.

Opiata, de quâ capiat magnitudinem nucis juglandis ſuperbibendo parum potûs ordinarii, qui poterit etiam eſſe talis:

℞. *Rad. torment.*
biſtortæ
aur. muris

consolid. maj. ana ℥ii.
Flor. ros. rubr. Mi.
balaust. ℥ii.
Cort. citri
granat.
aurant. ana ℥i.
Ras. CC. crud. ℥ii.
cran. hum. ℥iß.
santalor. ana ℥i.
N Mosch. N. j. vel ij.

Incis. & Contus. M. D. ad sacculum. S. Sachen in ein Mas Wein zu legen.

Sumatur manè, meridiè & vesperi haustus, ordinariò enim sitiunt fœminæ.

Externè verò venter vel uterus unguento Comitissæ vel adstringentibus aliis, ut ♁ myrtillorum illinatur e.g.

℞. *Ung. Comitissæ* ℥ii.
Succi plantag. ℥i.

M. Pro Linimentô, quod applicetur post *fotum* hunc.

℞. *Summit. lentisci rub.*
plantag.
cupress.
olivar.
polygon. ana Mi.
Ros. rub. p. ij.
Gran. myrtill. ℥iß.
Nuc. cypress. N. iij.
Cort. gran. p. iij.

Coque in ▽ *chalyb. vel* ▽ Fabrorum adstringente, & colaturâ foveantur partes muliebres valdè tepidè & ferè subfrigidè. Prodest pariter etiam *fomentum ex* ▽ *sperm. ranarum* & ✣ rosarum. *Suffitus* utero excipiatur ex ros. rubris, mastiche, thure, tragac. ungulâ Equi.

Reliquis remediis nil Conferentibus V. S. in cubitô administrata præsentaneum est auxilium, si scil. paulatim & per quædam intervalla sanguis educatur. Sic multas deploratas convaluisse experientia docuit. Plura *vid. cap. de nimiô mensium fluxu*, quæ hic convenire ritè adhibita possunt.

Peculiariter *hîc notandum*, dum sanguis copiosè effluit, eum esse protinus arcendum. Multæ enim è medio tolluntur propterea, quod calor ad interiora retractus majorem fluxum efficit. Et si is concedendus sit, aliquis ex ministris semper adesse debet, qui ægro tanget pulsum & respirationem observet. Conf. *Riverius Cent. 1. Obs. 96.*

TIT. IX.

De
Doloribus Post Partum.

Dolores post Partum ventrisq; tormina anodynis curantur, si prius illorum causa sublata fuerit.

Prosunt hic species diagalangi, diacymini, cum diamargaritô frigidô, præmisso hastu jusculi cum

♁ *amygd. dulc.* ℥i.
still. mac.
carui ana g. i.

Item ▽ flor. chamomillæ Romanæ, cum essentia cham. Rom. Pulvis quoque secundin. præp. egregium est specificum statimque sedat dolorem μετὰ δυσοσίας, si exhibeatur cum ▽ chamom. Rom. vel vulgaris. *Conferunt etiam* cinamomum, ZZ. macis, crocus, caryophilli, cort. aurantiorum.

℞. *Spec.*

℞. *Spec. diacumin.* ℥i.
diamarg. frig.
Cort. aurant.
Zedoariæ ana ʒß.
M. F. Pulvis.

S. Pulver gegen die Nachwehe.

Sequens pulvis ſtatim poſt partum ſumptus â torminibus mirè præſervat, ita ut, ſi primiparæ exhibeatur, ſequentibus partubus nunquam ad dictis doloribus torqueri credatur.

℞. *Rad. conſolid. maj. exicc.* ℥i.
Nucl. Perſic.
Nuc. moſch. ana ℈ii.
Succini ʒß.
ambræ gryſeæ ʒß.

F. Pulvis, de quo capiat ʒj. cum vino albo, vel ſi febris adfuerit cum juſculo.

S. Pulver.

Pro *Potu Ordinario* utatur ægra decoctô artemiſiæ & cinamomi.

Si â bilioſis & acribus humoribus tormina generentur, eôdem ferè modô curantur, ut Dolor Colicus â bile, v. g.

℞. ♎ *amygd. dulc.* ℥ii.
Syr. viol. ℥i.
▽ *borrag.* ʒß.

M. S. Tränckelein gegen die Nachwehen auf einmal.

Externa quoq; Medicamenta vias laxantia & emollientia adhibeantur, quæ eâdem operâ dolores ſiſtunt. Ergò inungantur partes ♎ anethi, cheiri chamom. &c. Cum guttis aliquot ♎ ſtill. chamomillæ. Vel poteſt applicari ſacculus ex flor. chamom. cheiri, fl. artemiſ. ſummit. anethi, meliſſ. matricar. puleg. fol. lauri, calaminth. ſem. carui, cumini. Applicari quoque poteſt empl. matricale, malaxatum cum ♎ chamom. per infuſionem. Vel imponatur ventri ſparadrap. ex ♎ anodyno, chamom. cheirino, verbaſci, lil. alb. cum ſ. q. ceræ. Præſtat imprimis ſequens.

℞. *Terebinth.* ℥ii.
Ung. anod. ℥i.
♎ *coct. menth.*
cheirin.
rutæ ana ʒß.
Ceræ ʒß.
♎ *ſtill. artemis.*
rutæ
ſabinæ
menthæ
meliſſæ ana g. iij.
Sperm. ceti ℥i.

M. F. l. a. Sparadrapa ad totum ventrem.

S. Uberſchlag auf den Leib.

Enixas poſt partum ſæpe dolor exercet in inguine ex uterô, in illo conglobato, quô in caſu *Riverius in Obſ. Commun. II.* extollit ſequens:

℞. *Galbani*
aſſæ fœtid. ana ℥i.

F. l. a. Empl. rotundum cum gr. iv. Moſchi in medio. Admoveatur paulò infra umbilicum.

TIT. X.

De Uteri, Ventris & Pedum Tumore.

Διόγκωσις τῆς γαστέρος καὶ τῶν ποδῶν μετὰ τὴν δυστοκίαν *ſi ortum habeat ab utero*, fomentis uteri cavo faventibus curatur.

Quodsi verò â vitiosis humoribus proveniat, bona diæta ac pauciore potu, ac postquam lochia fluere cessârunt, conveniente corporis evacuatione, & tandem fomentis, humores & flatus discutientibus curatur. Itaque initiò propinetur leve purgans, *si vires ferant*. v. g.

℞. *Fol. sennæ sine stip. ℥ii.*
sem. fœnic. ʒß.
dauci Cret. ϑi.
anisi ϑß.
cryst. ♀ ʒß.

Infunde in s. q. ▽ Com. vel potius carminativæ, vel vini per noctem. Manè ebulliant.

D. S. Laxier-Tränecklein auf einmal.

Vel sumantur pilulæ de hierâ cum agaricô, quæ acui possunt aliquot granis diagridii. *Posthæc* præstat singulis diebus ante prandium & cœnam sumere 2. vel 3. rotulas diagalangæ, aut diacymini, aut gutt. vij. ♎ cymini vel macis, vel carui, quotidiè cum cochl. ℥. Vini ebibere. Aut utatur Puerpera seq. in jusculô cerevisiæ mixtô.

℞. *Cymini præp.*
Zedoar. ana ʒi.
croci ʒß.
puleg.
origani
scordii ana ϑß.

M. F. Pulvis, cujus dosis ʒj. pro una vice exhibeatur.

Foris autem utile erit ventrem inflatum quotidiè bis cum ♎ anethi, cui parum ♎ cymini sit admixtum, inungere, & sequentem sacculum in vinô coctum & expressum ventri imponere:

℞. *Fol. ebul.*
Flor. lupuli
Herb. rutæ
puleg.
artemis.
calaminth.
scordii.
cent. min. ana Mij.
Baccar. lauri ℥ii.
Cont. F. Sacculus.

Ex iisdem herbis & speciebus lavacra insessiones commodè parari possunt. Vel

℞. *Farin. fabarum.*
hordei ana ℥ij.
Pulv. flor. cham.
balsam. ana Mij.
Coq. pro Fomentô Pedum.

Plura remediorum genera ex curatione Hydropis huc transferri possunt.

TIT. XI.
De
Rugis Imi Ventris & Mammarum.

Quomodo *præcaveantur* ventris sciſſuræ & curentur factæ in Prægnantibus supradictum est. Nunc *quâ ratione Ventris Imi rugæ curentur* (nam iisdem remediis eadem etiam, ut supra de fissuris dictum, præcaventur) mammarumque durities conservetur, paucis addemus. *Primò igitur*, si puerperis nondum tempus sit præterlapsum, ventri admoveatur sequens unguentum.

℞. *Sperm. ceti ℥ii.*
ol. amygd.

ol. amygd. dulc.
hyperici ana ʒiß.
ſevi hircini ʒi.
Ceræ novæ q. s.
F. Unguentum. Vel
℞. *Ceræ novæ ʒiij.*
ſperm. ceti ʒiß.
Tereb. Venetæ ▽ roſ. lotæ ʒij,
℥ *amygd. dulc.*
hyperici ana ʒi.
axung. cervinæ ziß.

Liqueſcant ſimul & remotis ab △ immerge telam cannabinam ad ventris magnitudinem, quibus (ſi lochia jam ſubſtiterint) addere poſſumus

℥ *myrtin.*
maſt. ana ʒi.

Applicentur bis de die.

℞. *Succ. rad. lil. alb.*
mellis &
ceræ ana p. æ.
F. Unguentum.

S. Salb den Leib zu ſchmieren.

Valet quoque ▽ ex albumine ovorum deſtillata, aut ſolus adeps vel cinis teſtudinum, cum album. ovi & lacte, quibus venter bis de die inungatur.

Secundò ſi Puerperia jam deſierint, addenda etiam ea, quæ leviter adſtringunt, conſolidant atque planam reddunt cutem, in quem uſum imprimis utilis hic ſtillatitius liquor.

℞. ▽ *deſt. ex flor. alth. malv.*
ana lib. ij.
roſ. lib. iß.
Limon. N. ij.
(Remotâ cuticula exteriori minutim ſciſſorum)
Prun. ſylv. lib. ij.

Omnia ſimul infunde, deinde lento △ ex vitreô alembicô deſtillentur ac venter poſtmodum inungatur. Maxime etiam ſolidat hoc:

℞. *Ficuum lib. j.*
Farin. hordei.
fabarum ana ʒß.
oryzæ ʒij.
Gallar.
Nuc. cypreſ. ana ʒi.
maſt.
myrrhæ ana ziß.
ſem. fœnic. ʒi,

Bulliant cuncta in ▽ Ferrariorum, vel chalyb. donec parum inſpiſſentur, tuncque ventri adhibeantur. Vel paretur balneum ex decoctô prædictarum rerum. Ventri item hæ pultes applicentur:

℞. *Farin. fab.*
oryzæ
gland.
amygd. ana ʒij.
℥ *armon. ziß.*
Sang. Dracon. ʒi.
Nuc. cypreſſ. ʒß.
ol. myrtin. ʒiij.
▽ *prun. ſylv.*
meſp. ana lib. j.
roſar. lib. ß.

Coq. ad Craſſitudinem pultis & ventri applicetur. Mammas etiam ſolidant ac firmant.

Contra amplitudinem poſt Partum prodeſt etiam ſequens:

℞. *Rad. conſolid. maj.*
Boli Armeni
Sang. Dracon.
Balauſt.
O

Maſtich. anap. ℈.

M. F. Pulvis ad peſſarium cum Goſſypio.

Vel ℞. *Fol. plantag.*
quercus ana Mß.
Rad. conſol. maj. ℥*i.*
Cort. granat.
balauſt.
ſumach. ana ℥ß,
O ℥*i.*

Coque in ▽ pro Fomentô. Ne autem frigiditate & adſtrictione offendatur pectus & viſcera, addantur ſubinde

maſtich. ℥*i. vel* ℥*ii.*
Nuc. Moſch. ℥*ij. vel iij.*
Rad. irid. Flor. ℥*iij. vel* ℥ß.

Myrrha etiam hiſce admixta vel decoctum ejus & alio quovis tempore illæſis viſceribus ventrem plenum & firmum reddit, mammas etiam conſolidat compactasque reddit ac minores illæsô pectore, pudendum coactius circa uteri noxam, idque pro maximô in hiſce rebus ſecretô habendum.

Maſtix etiam utiliſſima hîc eſt: Verum hæc cosmaticam potius artem, quàm curativam attingere videntur. Plura autem, qui de virginali poſt partum adſtrictione comparandâ deſiderat, *vid. Rodericum à Caſtro lib. 4. de morb. mul. cap. 21.* aliosque. Ubi tamen obſervandum, Medicum cordatum ab hiſce abſtinere debere, niſi in honeſtos uſus à Mulierculis bonæ famæ & minimè ſerpentis petantur.

TIT. XII.

De

FEBRIBUS PUERPERARUM.

Πυρετὸν τῆς χυρῆς μετὰ τὴν δυστοκίαν, *quæ ad lactis generationem* oritur, ferè circa diem quartum invadit, mammis lacte repleri incipientibus, lochiis ritè fluentibus; perceptâ interim dorſi ac ſcapularum gravitate ſe prodit, periculo vacat & ſpontè circa nonum partûs diem per ſudores (qui promovendi, regimine ſimul Diætæ habito) & diaphoreſin largiorem evaneſcit & reſolvitur.

Quæ verò *ex ſuppreſſione* τῶν χοφίων provenit, 1. V. S. 2. Purgatione, 3. lochiorum provocatione & 4. alteratione ac putredinis inhibitione curatur. *Poterit itaque commodiſſimè vena hic incidi* in talo, vel ſi vires recuſant, cucurbitulæ cum ſcarificatione in femoribus ac cruribus apponi. A tempore fluxus præterlapſo & febri urgente venam quoque in cubitô ſecare licebit.

Quoad purgationem, quam vitioſorum humorum præſentia requirit, cautione imprimis opus eſt juxta monitum *Coi Aph. 24. ſect. 1.* Purgantia ſiquidem medicamenta lochiorum fluxum impediunt, quod non fit ſine damnô, cum nulla ferè evacuatio, præter eam, quæ ex uterô fit, puerperis ſit utilis. *Quodſi tamen jam ſanguinis fluxus ceſſârit* & aliquid humoris vitioſi Natura per uterum expurgare conatur, id tamen non ſufficiens indicium eſt naturam vitioſos

vitiosos humores à bonis separare, eorumque evacuationem moliri: Itaque, dum febris id permittit, lenibus purgantibus adjuvemus eam & medicamenta lenia ex cassiâ, mannâ, syrupo rosarum solutivô, rhabarbarô, foliis sennæ &c. exhibere fas est. Commodè itaque hîc sumuntur pruna laxativa N. ij. vel iij. aut Cass. pulp. ʒi. vel ʒx, aut Mannæ Calab. ʒiß.

℞. *Fol. Sennæ* ʒiß.
Rhabarb. ʒß.
Mac. gr. iij.

Infund. in decoct. prunor. exossat. Manè parùm ebulliant & Colat. bibatur.

Alterantia verò *medicamenta* tutò adhiberi possunt, modò talia sint, quæ Puerperiorum fluxum non impediant, qualia sunt, quæ componuntur ex cichoriô, borragine, endiviâ, capillis ♀. ▽ hordei, succ. granat. & similia: Quin omninò ac in reliquis corporibus reliqua curatio instituenda, saltem ut nimis frigidorum ac acidorum, utpote quæ utero inimica sunt, usus omni curâ vitetur.

Cœterum *victus* sit tenuis, præprimis Puerperii diebus, ex ptisanâ hordeaceâ, jure pulli ac similibus constans, actu semper calidis ac corroborantibus. Vinum etsi febris adsit, non planè interdici debet: Alvus quotidiè respondeat: Sin minus, sollicitetur esu prunorum. Post quatuordecim dies Balneô uti commodè poterit.

Invadunt præterea Puerperas *Febres*, ut vocantur, *concomitantes*, quales sunt *Pleuritis*, aliæque Inflammationes alicujus partis subsequentes, de quibus breviter notanda veniunt sequentia 1. In PLEURITIDE vena incidenda, non in cubitô, sed poplite, talo, ut natura sanguinem & peccantes humores per uterum evacuet: Quo factô, si nihilominus symptomata urgere perseverant, etiam in brachiô secari vena poterit, & si quis metuatur ad superiora sanguinis raptus, qui tamen incisâ in talô vel poplite venâ satis jam fractus videtur, frictionibus præviis institutis ac cucurbitulis cruribus admotis commodè removebitur, atque hoc etiam in ANGINA & HEPATIS INFLAMMATIONE quoad V. S. tenendum est. 2. Possunt etiam clysteres in Pleuritide injici, qui motum humorum versus superiora revocent ad inferiora, simulque uteri vias laxent, ut sanguis per eas facilius evacuetur.

℞. *Herb. Mercur.*
Parietar.
Malvæ
Alth.
Fol. caul. rubr. ana Mi.
Flor. chamom. mß.
Sem. lini
fænugr. ana ʒß.

Coq. in s. q. ▽ com. ad ʒas. *Col.* ℞. *lib. j. in qua dissolve elect. lenit.* ʒi.
diacathol. vel
Flor. cass. ʒß.
℥ *viol.* ʒii.
M. F. Clyster.

Si febris nonnihil remittat, & tempus fluxus puerperii ferè præterierit,

rit, lene etiam purgans exhiberi poterit, quod etiam alibi observandum.

Reliqua verò curandi ratio eodem modô peragenda, ut superius de Pleuritide, Anginâ, Hepatis inflammtione suo quovis locô annotavimus.

Cæterum præter jam enumeratos affectus alii quoque puerperis accidere solent, ut RUPTIO VULVÆ AD ANUM, de quâ vid. Fabr. Hildanus, qui habet exemplum rupti, interstitii inter vulvam & anum, insimulque singularia apponit medicamenta. Item UTERI ULCUS, PROCIDENTIA, INFLAMMATIO, SUFFOCATIO, ANI PROCIDENTIA, VIGILIÆ, DELIRIA *varia*, EPILEPSIA, VOMITUS, DIARRHOEA, ⊡ INCONTINENTIA &c. Quorum tamen curatio facilè ex supradictis habetur, ubi singulorum cura fusè proposita esse cernitur. *Hoc saltem notandum*, ut ubique ac semper lochiorum fluxus habeatur ratio, ne, dum lochia adhuc fluunt, natura aliquo medicamenti genere in opere suô perturbetur, ejusque fluxus impediatur vel sistatur.

Cap. XXXVIII.

De
AFFECTIBUS MAMMARUM.

TIT. I.
De
Mammillaum Tumoribus.

IN Tumoribus Mammillarum conveniunt omnia, quæ alterant & refrigerant, nempe *in inflammatione* empl. de sperm. ceti, ♃ hyoscyami & similia sunt apta remedia. It. ♂ ☉li.

In Scirrhô adhiberi debent purificantia sanguinem, aperientia, splenetica & quæ prosunt in affectibus melancholicis. Empl. de ranis Vigonis convenit.

In Tumore flatulento convenit ♃ chamomillæ smaragdinum & similia.

Mulieres *si incidant in inflammationem mammarum*, certissimum est experimentum, dum internè adhibetur speculum Pavonis concisum. De mammarum verò, ex arctiori strictura thoracis, inflammatione *vid. Timæum à* Güldenklee *Lib. IV. Cas. 27. p. 238.*

In Mammarum nimia excrescentia prodest ▽ pini viridis.

In Tumore mammarum *à lactis retentione* oriundô, nullum æquè præsentaneum & efficax remedium est ac emplastrum, quod de spermate ceti paratur à *Mynsicht in Armament. Sect. 36.* sub finem: Hujus namque solius usu plures fœminas â tumore mammarum se perfectè liberasse scribit. *B. Tim. â* Güldenklee *l. c.*

TIT. II.
De
Magnitudine Mammarum.

PRæter ea, quæ jam de tumoribus notata sunt, lege præsertim *Sennertum Lib. IV. Prax. P. 4. Sect. 1. Cap. 1.* Facilius autem incrementum mammarum in Virginibus, quàm præsens jam magnitudo nimia emendatur. Perfi-

Perficitur autem *bona Dieta*, it. medicamentis topicis, quæ partim nutrimentum copiosius affluens refrigerando & adstringendo repellunt, viasq; per quas sanguis affluit, adstringunt, partim quoque absumunt & exiccant.

℞. *Fol. myrthi*
equiseti
plantag.
menthæ
Flor. rosar. rubrar. ana Mi.
balaust. p. ij.

Coq. in Vino vel ▽ & ✝ & in decocto spongia vel linteum madefiat mammisque apponatur & appositum, donec siccetur, relinquatur. Cicuta, hyoscyamus & similia cautè adhibenda sunt. Neq; illis utendum est in fœmellis, quæ olim liberos suos nutriunt, calorem enim debilitant & vim γαλακτοποιητικὴν extinguunt. Adstringentia quoque commodius in juvenculis usurpantur.

In Mulieribus verò, quibus *propter ablactationem* nimis increverunt mammæ, exiccantia & discutientia sunt commodiora, quibus excrementitia humiditas, quæ relicta est, absumitur & discutitur.

TIT. III.
De
Gracilitate Nimia Mammarum.

Emendatur hæc, aut, siquidem sufficiens sanguinis copia in corpore desit, cibis boni succi copiosius paulo exhibendis & vinum album propinando. 2. *Causæ omnes* intercipientes sunt removendæ, & contra ut venæ in mammis aperiantur, calorque in mammis excitetur, studendum, ut sanguis ab iis commodius attrahatur.

Conveniunt igitur fomenta ex ▽ tepidâ, in quâ herbæ emollientes coctæ sunt; postea illinantur mammæ ♎ amygdal. dulcium. Frictiones etiam frequentes sunt utiles, quæ si non sufficiant, lenes Dropaces imponendæ sunt.

TIT. IV.
De
Cancro Mammarum.

Conveniunt hic extract. helleb. nigri, pilulæ de fumaria, ℞ ☿ ♄ata, ♂ per inferiora purgans. Noduli item ex purificantibus sanguinem & purgantibus melancholicis, additis appropriatis, essent. perficariæ, specificum purgans Paracelsi.

Externè ▽ ♆, ⊖ ♆, ⊖ fulig. ▽ spermat. ranar. ▽ pomorum putrid. ♐ ⊕, empl. ad ♋ Penoti & Fabr. Hildani, succus virgæ aureæ, ocul. ♋ eorumque succus, solan. plantag. it. ▽ sperm. ran. per vas plumbeum destillata, pulv. ranarum calcinatarum & bufonum, emplastris tanquam specificum admiscendus.

℞. *MP. de fumariâ*
Extr. helleb. ana ℈ß.
♄ per infer. purg. gr. iv.
cum Essent. fum.
F. Pilulæ.

S. Pillen auf einmal.

℞. *Herb. fumar.*
artemis.
melissæ ana p. iij.

Rad. helleb. nigr.
polypod. ana ʒi.
Fol. sennæ sine stip. ʒi.
Cassiæ lignea verè ʒiij.
limat. ♂ ʒii.
☿ *albiss.* ʒiß.
M. Pro Nodulo.

S. Stechen in Wein.

℞. *Tinct.* ☿ ♂*ætæ* ʒii.

S. Blutreinigende Tinctur 25. Tropfen auf einmal.

℞. *Essent. ad Menses* ʒß.
Tinct. ☿ ♂*iat.* ʒiij.

M. S. Blutreinigende Essenz 50. Tropfen auf einmal.

℞. *Essent. persicar.*
fumar. ana ʒiij.
S. ut supra.

℞. *Empl. Saturnini Myns.*
seu N. D. ʒi.

S. Pflaster auf die Brust.

De cancro mammarum *vid. Schinterum in Epist.* de ♋ mammarum occulto. *it. Tim. à* Guldenklee *lib. 4. cas.* 39. De ♋ mammarum exulceratô vid. *Eundem d. l. Cas.* 40. Ubi inter Topica nihil æquè profuisse scribit, ac emplastrum supra citatum.

TIT V.

De

FISSURIS PAPILLARUM.

PRæservantur hæ, si ultimis tribus mensibus gestationis è cerâ purâ calices duo instar capularum glandium aut digitalium formentur, tantæ quidem capacitatis, ut papillas tegere possint. In singulos verò calices resina abietis infundatur & calices ita papillis imponantur & ne decidant thorace, linteô ad id paratô retineantur. Interdum tamen per unum saltem mensem calices hosce gestare sufficit.

℞. *Mucilag. sem. cydon.* ▽
ros. extractæ
♎ *amygd. dulc. ana* ʒß.
ovorum ʒii.
Vitell. ovorum coct. N. j.
crem. lactis q. s.
F. Linimentum.

Plura remedia usu probata vid. apud *Sebizium in Speculo Pract. Part. II.*

Notandum tamen hîc est, ne infans lactandus mammis adhibeatur, nisi prius ungenta oleaque illita absterså sint atque papillæ vinô albô aut ▽ rosarum ablutæ. Postquam autem lactavit infans, inungatur mel rosatum vel syrupus de rosis siccis, & apponatur cerat.um simplex, ne indusium adhæreat, aut pileoli plumbei perforati admoveantur.

CAPUT XXXIX.

De

MORBIS LACTANTIUM.

CONveniunt *hic* Lac ☽, carduus Mariæ, nigella, lactuca, borrago, caro mammillarum vaccæ juvenis, confectio fœniculi, ♎ dest. fœniculi, species diacrystalli Myns. Rotulæ ejusdem lac augentes, syrupus

pus perlarum, frictio mammillarum pannô aſperô finita vel abſoluta coctione, conſul. de hoc imprimis *Foreſtus Lib. xvii. Obſ. 17. 18. 21.*

Ubi ſuſpicio *lac in grumos commutatum* eſſe, ob nudatam tempore frigidô mammillam, inungi jubet *Foreſtus* ℥ lil. alborum amygd. dulc. cum butyro recenti ſimul commixtis & addita adipe Gallinacea, ſic durities mitigatur atque dolor, atque affluere denuò poteſt lac.

Si proveniat ab habitu corporis graciliore & exangue, confert victus εὐσρόφος & poſtea lac generantia, quæ vide apud *Sebizium T. 2. pag. 1708.*

Si ex lacte vitiato, optimum eſt exugere mammas & exprimere; quin & pro diverſitate humoris peccantis inſtituatur purgatio moderata. Confer. etiam de lactis defectu elegans reſponſum *Greg. Horſtii*, quod exſtat *T. 2. p. 277.*

Flores ſambuci ad Mj in lacte cocti & exhib. defectui lactis tantoperè mederi creduntur *D. Lang. in Miſcell. Curioſis Med.*

℞. *Cryſt. præp. ʒij.*
Sem. card. Mar.
fœnic.
nigellæ ana ʒi.

M. S. Milchmachendes Pulver.

℞. *Lactis* ☽
cryſt. præp. ana ʒiß.
ſem. card. Mar.
nigellæ ana ʒi.
℥ *ſtill. fœn. g. vi.*
M. S. ut ſuprà.

℞. *Cryſt. præp.*
lact. ☽ *ana ʒiß.*
c. ſ. q. ſacchari in ▽ *fœn. vel card. Mariæ ſolut.*
F. l. a. Rotulæ, adſperg. ℥ ſtillat. fœniculi.

S. Küchlein zu Vermehrung der Milch.

TIT. XII.

De

Lactis Redundantia.

ANte omnia Lac exſugendum, poſtea diſſipandum & exiccandum eſt reliquum ſemine cumini, coriandri, herb. & rad. apii, menthæ. ſpecif. Morelli expertiſſimum eſt ſequens:

℞. *Rad. apii ʒi.*
Sem. cumini
coriandr. ana ʒß.
Coq. inſ. q. ▽ *menthæ &* ✝, *Col.*

S. Euſſerlicher Umſchlag.

℞. ▽ *menthæ*
apii ana ʒiij.

S. Umſchlag auf die Bruſt.

Lapis cryſtallus in dorſo è regione mammillarum applicatus redundantiam certo tollit.

Ubi Lactis Coagulatio, fermè eadem, quæ in lactis redundantiâ, conveniunt, imprimis empl. Mynſ. de ſpermate ceti. It. coag leporis accretionem lactis arcet. Mentha ſicca vel tuſa mammis cum linteolis impoſita idem facit, ut & ejus ſuccus & aqua. Lac coagulatum quoque diſſolvit ▽ apii; apium non minus viride impoſitum. Tandem & matricaria hoc præſtat in lacte caprillo elixa & cataplasmatis inſtar mammis impoſita.

D. JOHANNIS MICHAELIS PRAXEOS CLINICÆ GENERALIS

PARTIS I. LIBER VI.

De MORBIS PUERORUM.

CAPUT I.

De CRUSTA LACTEA, FAVIS & ACHORIBUS.

Prodest hîc syrupus de fumariâ simplex, non verò compositus, hic enim purgat. It. Essentia fumariæ.

Antimonium diaphoreticum tutò potest dari infantibus: Potest misceri cum CC. ustô. Aqua betulæ valdè expellit. Item syrupus & conserva rad. helenii.

℞. ▽ *fumar.*
scabios. ana ℥ß.
Syr. de fum. ℥i.
essent. fum. ʒß.

S. Austreibender und blutreinigender Safft auf etlichmal.

℞. ▽ *fumar.* ℥iß.
CC. sine △ *præp.* ℈i.
♁ *diaph.* ℈ß.
♎ *flor. samb.* ʒß.
Edulc. rot. man. Christ. perl. q. s.

S. Stärcktranck wol umzurütteln.

Vel infundi potest in cerevisiâ CC. rasura cum flor. aquileg. fumariæ, scabiosæ &c.

Si oriatur vitio Matris, dentur illi, vel nutrici pilulæ de fumariâ, syr. de fumariâ compositus, extractum catholicum, serum lactis cum succô vel essentiâ fumariæ.

Lotiones non statim adhibeantur, neque inunctiones, sed præmissis expellentibus talia externa usurpare demùm licet.

Continuatô igitur usu expellentium internè, inunctiones fieri possunt ex unguento diapompholygos, lacte ♀, ☍ Nic. Bals. Peruviano &c. Aliàs addi quoque possunt folia scordii, Nicotianæ, rad. lap. acuti.

℞. *Fol. beton.*
scordii
helen. ana mß.
Nicot. exsic. p. ij.
Rad. beton.
lapathi maj. ana ʒiij.

Incis.

Incis. & Contus. grosso modo.
D. S. Species zu kochen.
℞. *Unguent. de helen.*
diapomphol. ana ℥ß.
Flor. ♀ ℈ij.
lac ♀ ℈i.
c. s. q. ♎ *Nuc.*
F. l. a. Linimentum.
S. Salbe.
Ad promovendam consolidationem autem in fine curationis potest exhiberi essentia vulneraria cum ess. lignorum. It. pulv. cranii hum. præpar. cum ocul. ♋ præp.

CAPUT II.
De
SIRIASI.

Siriasis seu *Inflammatio cerebri* & membranarum curanda venit saccharo ♄ cum ▽ flor. tiliæ. Conveniunt quoque flores sambuci. It. flores solani in pauca quantitate.

CAPUT III.
De
EPILEPSIA.

Si hæc per consensum, tunc semper specifica epilepticis permiscenda sunt.

Si à terrore convenit smaragdus, quia duabus indicationibus satisfacit.

Si à lacte corrupto, convenit vomitus lenior, qui optimè excitatur in infantibus ♎ amygd. dulcium recenter expr.

Si à vermibus, medicamenta contra vermes & epilepsiam sunt miscenda. Vel fiant clysteres additis antepilepticis. Inter medicamenta interna optimum est ♄, quia simul est ☿riale & sic contra vermes.

Si à variolis eligenda sunt epileptica, quæ simul expellunt, v. g. specif. cephalicum, ℞ bezoartica. Noduli ad præservationem fiant ex expellentibus, rad. scorzon. v. g. & epilepticis ut rad. & sem. Pœoniæ maris ritè collectis, *vid. sis Hartmannum.*

Si à cerebro, prodest magisterium aloes, Tinct. Smaragdi, (quæ prodest etiam ratione ♏ ⊡) nodulus ex ras. cran. hum. flor. Pœoniæ, filic. sem. Pœon. visc. querc. cryst. præpar. balsam. succini &c.

℞. *Specif. ceph.* ℥ß.
S. Sonderlich Pulver auf etlichmal. Dos. 1. Messerspitz voll pro ratione ætatis.
℞. *Magist. Epilept.* ℥i.
Bezoard. ⊙ ℈ß.
S. Güilden Magisterium gegen die böse Kranckheit.
℞. *Tinct. Pœoniæ*
♏ ⊕ *epil.* ℥ß.
M. S. Tinctur ins Bier. Dos. gutt. 15 20. 25.

℞. ▽ *ceras. nigr.*
tiliæ
Pæon. ana ʒi.
Specif. cephal. ʒß.
Syr. flor. cephal. ʒi.
Pæon. ʒvi.

M.S. Stärcktränklein wol umzurütteln.

℞. ▽ *flor. tiliæ*
lil. conval.
ceras. nigr. ana ʒi.
epilept. Langii ʒß.
Mag. cran. hum.
Smaragdi præp. ana ℈i.
cryſtall. præp. ʒi.
(præprimis ſi à bile oriatur) edulcoretur man. Chriſti perlatis.

F. l. a. Potio.

℞. *Flor. Pæon.*
tiliæ ana p. iij.
Rad. Pæon. vel Squam.
vel utriusque ana ʒiij.
ariſt. rot. ʒiß.
Ras. cran. hum.
ung. alcis ana ʒi.
Viſci quercini ʒii.

F. l. a. Nodulus.

S. Püschlein ins Bier.

℞. *Flor. tiliæ*
lil. convall. ana p. iij.
Rad. Pæon. ʒiij.
Fol. ſennæ ſ. ſ. el. ʒii.
Coq. in ſ. q. ▽ *com. Col.*
℞. ʒii. *vel ratione ætatis* ʒiij.
in quibus diſſolv.
Elect. hieræ picræ ʒi. ii. iij.
adde extracti caſtor. gr. iv. vel v.

F. Clysma.

℞. *Rad. Pæon.*
ariſtol. rot. ana ʒiij.
Herb. rub. mß. vel mj.
Agar. albiſſ. in petia lig. ʒi.
vel plures
diſſolv. elect. hicræ picræ cum agar. ʒi.
ad iij
pro diverſitate ætatis.

F. Enema.

Poſſunt etiam clyſteribus aliquot guttulæ ♁ ſtill. ſuccini vel rutæ addi, it. radix ellebori nigri.

℞. *Cerat. pro bregmate uſit. q. s.*
malax. ♁ *deſt. ſuccini*
rutæ
Induc ſuper alutam & obduc ſyndone rubra.

S. Euſſerliches Pflaſter. F. in formâ transmiſsâ.

℞. *Bals. ſuccini*
rutæ ana ʒß.
Ping. caſtor. ℈i.

M. S. Euſſerlicher Balſam.

℞. *Succini albi*
Maſtich. ana ʒiß.
Galbani
Opopan. ana ℈ß.
viſci quercini ʒii.
ambræ gr. vi.
moſchi gr. iij.
ſem. pæon. maris ʒß.
ladan. ʒiß.
♁ *Nuciſtæ q. s.*

M. F. Emplaſtrum.

Quod extendatur ſuper alutam in formâ ſemilunari, adſperge pulv. cubeb. & imponatur capiti, ita, ut formæ lunaris extremum utrumque capitis tangant, probatum dicitur in infantibus & adultioribus. *Vid Craton.* Mirè etiam & ſpecificè commendatur pulvis hirundinum, ſi illæ cum nidô calcinentur. It. Spinæ piſcis muſtelæ,

ſtelæ, oſſa de corde cervi, cerebrum & epar pullorum corvi, pulvis ſecundinarum, præcipuè primiparæ, bezoart. ☉re, ♏ ☿ ♆tum. ♏ cran. hum. C. D. Rhefeldii, dum cranium humanum ſuperfunditur ♏ ☿ aliquoties, iterumque abſtrahitur: Hic labor repetitur, donec cranium ad ʒ. part. unà ferè in recipientem eat. ♏ fl. tiliæ, ceraſorum nigr. Pœoniæ, ⊡ comp. ℞ flor. Pœon. Eſſent. herbæ ♑riæ, amuletum Hartmanni de ſambucô, ſmaragd. ſalic. collo ſuſpenſum, fœcul. pœoniæ, mag. ung. alcis, gelatin. cran. hum, ▽ epil. Langii.

Proſunt & *amuleta*, v. g. Radix Pœoniæ juſtô tempore collecta de collo ſuſpenſa, de collectione ejus *vid. Schröderus & Hartmanus.*

Caput IV.

De

PAVORE.

UBi infantes in ſomnô pavoribus corripiuntur, proſunt fœcula Pœoniæ, ſmaragdus præpar. *vid. Balt. Tim. â* Güldenklee/ p. 244. Mag. ung. alcis, ſpecif. cephal. theriaca ſmaragdina Petri â Caſtrô.

Externè ♎ ſtom. Craton. ♎ nucis moſch. expreſſum. Amuleti locô oculus dexter urſi vel lupi, ſmaragdus, radix Pœoniæ. Saeculus ex aniſo contuſo capiti impoſitus *Strobelbergeri* experimentum eſt.

Si â lacte corruptô vel *vermibus* oritur pavor hic, vel epilepſia, vel alius morbus, detur in pulte mechoacanna cum fœculâ Pœoniæ mixta,

℞. *Specif. cephal. ʒi.*
Smaragdi præp.
fœcul. Pœoniæ ana ℈i.

D. S. Stärckpulver auf einmal.

℞. ♎ *ſtom. Crat.*
maſt. ana ʒi.
nuc. moſch. per expr. q. s.

S. Magenſälblein.

℞. ♎ *Nuc. Moſch. per expreſſ. ʒi.*
ſtillat. menthæ g. iij.

S. Euſſerlich Magenſälblein.

℞. *Empl. de cruſta panis*
ſtom. ex lad. Crat. ana q. s.
malax. cum ♎ *ſtom. Crat. & obduc ſyndone rubro.*

℞. ▽ *Pæon.*
menthæ ana ʒß.
Syrup. de mentha
pœon. ana ʒiij.

M. S. Sonderlich Säfftlein.

℞. *Ol. nucis moſchi ʒi.*
ſtillat. aniſi g. iv.

M. S. Euſſerlicher Balſam zu den Schläfen und Würbel.

℞. *Rad. Pæon. ʒß.*
Sem. anis.
Pæon. ana ʒiß.
F. l. a. Sacculi Duo.

S. Euſſerliches Säcklein eines um das ander auf das Haupt zu legen.

Conf. de hôc affectu *Foreſtus lib. X. Obſ. L. in Scholiis pag.* 3. 7. 8.

CAP.

CAPUT V.

De

VIGILIIS NIMIIS.

CAutus hîc debet esse Medicus cum opiatis seu narcoticis, ne facilè lædatur infans.

Externè prodest lac muliebre cum paucâ quantitate croci temporibus illitum ♁ nuc. mosch. per expr. unguent. populeonis.

Internè verò pulvis anodynus confortativus. Pulmenta ex lacte, in quo cortices cap. papaveris decoct. fuerint: Syrupus de papav. erratico &c.

℞. *Sem. papav. alb. ℥i.*
Nucl. persic. N. ij.
c. s. q. lactis muliebris.
F. l. a. Cataplasma.

S. Eusserlich aufzulegen.

℞. ♁ *papav. expr. ℥i.*
stillat. anethi g. v.
nuc. mosch. expr. ℥i.

M. S. Eusserlicher Balsam / quô inungantur tempora.

℞. *Syr. de papav. simpl. ℥ß.*
▽ *hypnot. Dorner. ℥ii.*

M. S. Ruhsäfftlein auf einmal.

℞. ♁ *papav. expr. ℥i.*
nucl. Persic. per expr. ℥ß.
still. anethi g. iij.

M. S. Eusserlich Oel.

℞. *Unguent. popul. ℥i.*
♁ *stillat. anethi g. iv.*

M. S. Eusserliches Sälblein.

Medullâ ex pedibus cervorum vel Boum possunt inungi tempora & egregiè prodest.

CAP. VI.

De

STRABISMO.

Vid. Prax. Hartmanni.

CAP. VII.

De

AURIUM HUMIDITATE.

PRodest *externè* essentia absinthhii, ♎ ⊡ non adeò acris neq; sæpè rectificatus, ♁ amygdal. amararum, ♁ still. absinthii, ⊡ puerorum non destillata &c.

Sequuntur jam *Affect. medii Ventris.*

CAP.

CAPUT VIII.

De DENTITIONE.

Alvi fluxus hîc non ſtatim debet ſiſti, ne epilepſia fiat; gingivæ tumentes opimè inunguntur ſanguine ex criſtâ Galli, vel adipe Gallinarum vel ℥ chamom. lil. alb. unguent. dialthææ & ſimilibus.

℞. *Mucilag. ſem. pſyllii.*
lini
alth. c. ▽ *roſ.*
extract. ʒiß.

M. S. Sälblein/ das Zahnfleiſch offt damit zu beſtreichen.

Loco julepi roſarum additur ſaccharum penidii ad conſiſtentiam linimenti.

Hiſce non juvantibus, demum detur cerebrum & pinguedo leporis. Nimis enim fortiter attrahunt. Potus frigidus valdè convenit.

CAPUT IX.

De TUSSI.

Si à capite deſcendit materia, & catharrus adeſt, optimum eſt ſperma ceti recens, non rancidum. Datur per ſe. It. ſuccinum catharrhale, fœcula aronis, iridis, Pæoniæ, cranium humanum præparatum.

℞. *Olei amygd. dulc. rec.* ʒß.
ſucch. penid. q. ſ.

M. Pro pulticula, adde
pulv. ſpec. diatrag. frig. ʒß.
ſperm. ceti rec. ʒi.

M. S. Breylein gegen den Huſten.

℞. *Cerat. pro bregm. uſit.*
Tacamah. ana q. ſ.

Malax. ℥ *maſt. Induc ſuper alutam, & obduc ſynd. rubra in formâ uſit.*

S. Puls-Pflåſterlein.

℞. *Gummi junip.* ʒii.
ſuccini
thuris
maſtichis
Tacamah.
benz. ana ʒß.

M. S. Rauchpulver gegen die Flüſſe.

Fumus hic poteſt bombace excipi & imponi.

Si à materiâ pituitoſa, prodeſt pulvis Mechoacannæ cum fœcula aronis.

In ſicca conveniunt ſpecies diatragacanthi frigidii, diapenid. Pulvis excellens contra tuſſim infantum *Mynſichti pag.* 109. Herb. beton. verben. major. anethi.

Externè unguentum pectorale, emplaſtrum Filii Zachariæ ℥ amygd. dulc.

Internè porrò ▽ pulm. vituli cum ſucco, herbâ & ſyrupo de hyſſopo, de ſcabioſâ, ol. amygd. dulc. recens cum ſaccharo penidio.

℞. Unguent. pector. us. ℥ii.
℥ amygd. dulc. ℥ß.
M. S. Eusserliche Brustsalbe.
℞. ℥ lil. alb. ℥ii.
S. Eusserliches Brust-Oel
℞. Spec. diatrag. frig.
diapenid. ana ʒi.
Fœcul. aron. ℈i.
M. S. Brustpulver.
Si materia est viscida:
℞. Spec. diaireos.
fœc. aronis ana ʒi.
M. S. Brustpulver.
℞. Succin. Catharr. ʒ.
Cran. hum. præp. ℥ß.
fœcul. aronis
Spec. diaireos ana ℈i.
M. S. Fluß- und Brustpulver auf 1mal.
℞. Mechoacannæ albiss. ʒiß.
Fœcul. aronis ℈ii.
Succini catharr. ℈ß. vel ℈i.
M. S. Laxierendes Fluß- und Brustpulver auf etlichmal.
D. in pulticula lactis.
℞. ▽ scabios.
veronicæ
tussilag. ana ʒß.
Syr. scabios.
de hispid.
tussilag. ana ʒiij.
M. S. Brust- und Lufftsäfftlein offt einen Löffel voll.
℞. ▽ Pulm. vituli ʒiß.
Fœcul. aronis ℈ii.
succini catharr. ℈ß ad ℈i.
Man. Christi perl. q. s.
Pro edulcoratione.
M. S. Brusttränklein auf 2mal.
℞. Ol. amygd. dulc. rec. ʒi.
Mannæ electæ ʒvi.
Extract. liquirit. ℈ii.
Lactis ♀ ℈i.
cum ▽ scabios. ʒv.
F. l. a. Lambitivum. Dos. cochl. parvum
℞. Extr. scabios.
enulæ ana ℥ß.
Spec. diapenid. ℈ii.
Sacch. cand. in ▽ hyssopi solut. q. s.
℥ axisi g. iij.
F. Rotulæ.
℞. Syrup. flor. acac. solut.
mellis ros. sol. ana ʒvi.
mechoacannæ alb. ℈ß.
jalappæ resinosæ gr. v.
▽ fl. acac. ʒiij.
fœnicul. ʒi.
M. Dos. Cochl. ij Bis vel semel in die pro infante anni j.
℞. Pulv. contra Tussim infant. Myns. ℈ii.
Rad. irid. Florent.
Pulv. stom. Birckmanni
ana gr. vi.
Confect. alkerm.
Camph. ana gr. vii.
sacch. candi viol. ℥ß.
℥ still. fœn. vel anisi g. j.
M. F. Pulv. dos. ℈ß. aliquoties de die.
Vel ℞. Summit. anethi
Flor. chamom.
sambuci ana mß.
Sem. fœnic. ℥ii.
Coq. ex brod. intest. vituli vel agni q. s.
Col. ℞. ʒvi.
Mellis ros. col. ʒi.
M. F. l. a. Enema pro Puello, 18. mensium.

Sequuntur nunc morbi infimi ventris.

CAP.

CAP. X.

De

VOMITU.

NOn *semper statim sistendus* est, sed interdum pro diversitate causarum excitandus, quòd fit dato ♃ amygdal. dulcium in quâdam copiâ: Vel revulsionis gratiâ applicentur Clysteres. *Prosunt* quoque empl. de crustâ panis, cum ♃ mastichinô malaxatum. It. cataplasma ex fermento acerrimô pulv. menthæ, ros. rubr. thure, masticke, nuc. mosch. cum ✠ ros. præp. vel sacculis ex herbis appropriatis. It. ♃ mastich. nuc. mosch. express.

Interne prodest mag. corall. nux mosch. &c.

CAPUT XI.

De

TORMINIBUS VENTRIS.

HIc *Clysteres* ex specificis, carminativis, vel ex floribus chamomillæ, foliis lauri, menthæ, abrotani & baccis lauri conveniunt.

℞. *Spec. decoct. carmin. ℳß.*
Bacc. lauri ʒii.
Coq. in s. q. ▽ com.
Col. ℞. *ʒi. ad ʒiij.*
pro ratione ætatis, dissolv.
Elect. de baccis lauri ʒii.
adde ♃ *still. lauri g. ii.*
Vit. ovorum N. 1. vel q. s.

M. F. Enema.

℞. ♃ *chamom.*
rutæ
anethi ana ʒi.
still. chamom. g. vi.
cumini
carui
aurant. ana g. iv.

M. S. Eusserlich Oel gegen das Reisen.

Si metus Epilepsiæ adsit, addendum ♃ rutæ omnibus Clysteribus & externis.

℞. ▽ *carmin. Dorncr. ʒi.*
Syr. de cort. aurant. ʒvi.

M. S. Safft gegen das Grimmen.

℞. *Empl. de baccis lauri q. s.*
Malax. ol. still. chamom. induc super alutam & obduc syndone rubra in forma transmissâ.

M. S. Eusserlicher Pflaster gegen das Reisen.

In omnibus Torminibus ventris singulare est medicamentum semen anisi grossô modô contusum, non solùm enim flatus pellit, sed etiam leniter laxat. *vid. Heurnius in Aphor. Hippocr.*

Si tormina ventris sunt contumacissima, prodest balneum ex floribus chamomillæ, summitatibus anethi, herbâ rutæ & foliis lauri. Theriaca unius vel alterius pisi vel grani pondere exhiberi quoque infantibus potest.

Cap. XII.

De

PASSIONE CARDIACA.

IN *Hypochondriorum inflatione* prodest quoque semen anisi, aqua botryos, ▽ carminativa, spec. diacumini, rad. angelicæ. *Externè* unguentum cardiacum Francofurtense, quod Schröderus describit. it. extractum & ol. angelicæ.

℞. *Pulv. rad. ireos*
sem. anisi ana ʒi.
Fœcul. Pœoniæ ℈i.

M. S. Stärckpulver auf etlichmal.

℞. ▽ *botryos*
carmin. Dorner. ana ʒß.
de cort. aurant. ʒvi.

M. S. Säfftlein auf etlichmal.

℞. *Spec. diacum.*
sem. anisi ana ʒi.

M. S. Pulver auf etlichmal.

℞. *Unguent. cardiac. ʒiij.*
℥ stillat. angel. g. iiij.

M. S. Eusserliche Salbe.

℞. ♃ *irin.*
chamom. ana ʒii.
still. angel.
anethi ana g. ij.

M. S. Eusserlich Oel.

Cap. XIII.

De

ALVI ADSTRICTIONE.

SI *oritur à causâ frigidâ* & siccâ, post purgationem humectantia prosunt. Manna cassia, passulæ laxativæ, poma laxativa, rob. passul. brod. prun. laxat. minimè verò prosunt validè purgantia, cum exsiccent & adstringant.

Si oritur à pituita viscida, convenit mechoacanna vel suppositoria officinalia pro infantibus. Possunt illiniri ol. diacolocynthidos. Pomum Borsdorfianum putridum cum pinguedine anserum intestinis illitum. It. Pinguedo anserum & gallinarum cum juglande umbilico imposita. It. Unguentum de arthanita cum unguento dialthææ.

℞. *Unguent. de arthanitâ ʒii.*
Fellis tauri inspiss. ʒi.
Cum ol. diacolocynth.
F. l. a. Linimentum.

℞. *Decoct. emoll. ʒi. vi. vel plures.*
Unguent. clysmat. ʒii. vel iij.
F. l. a. Clysma.

℞. *Ol. raparum*
lini ana ʒß.
Ung. clysmat. q. s.
F. l. a. Clyster.

CAP.

Caput XIV.

De

Alvi fluxu.

Clysteres ad abstergendum fiant ex decoct. scord. simpl. & syr. ros. solutiva.

Inter adstringentia præcipuè valet unguentum corall. cum succo citri, ebur sine △, pulv. nucis moschatæ, mastich. aq. cinamomi cydoniata, syrupus corallinus, mastichinus.

Externe ol. cydon. mastich. myrtill. nucis mosch. per express. unguent. comitissæ &c.

℞. *Mag. corall. cum succo citri ʒi.*
Pulv. stipt. Crollii ʒß.

M. S. Stärck und anhaltendes Pulver.

℞. *Mag. corall. c. succo citri*
eboris sine △ ana ʒi.
Pulv. granat.
mast. ana ℈i.

M. S. ut antecedens.

℞. *Ol. mastich.*
cydon.
myrtill. ana ʒi.
nuc. mosch. per expr. ℈ß.

M. S. Eusserliches Oel.

℞. *Unguent. Comitissæ ʒiij.*
Ol. nuc. mosch. expr. ʒi.
mastich. q. s.

M. S. Eusserlich anhaltendes Sälblein.

℞. *Empl. diaphœnic. q. s.*

Malax. ol. mastichino. Induc super alutam & obduc syndone rubrâ in formâ usit.

M. S. Anhaltendes Pflaster auf den Leib zu legen.

Dantur hæc commodè cum *Diluentibus* præcipuè, pro extricandâ penitiùs inhærente materiâ morbificâ. quare *Decoct.* v. g. *raporum, seri lact. caprin.* & *acidula* obtundentia, ut *Clyss.* ♄ ♀*rat.* ℞ *rosar. viol.* cum potu miscenda benè ordinantur.

Liquida enim hæc & penitiùs in poros admittuntur, & efficaciùs operantur. Hinc etiam *Infusa*, si paulò diutius duraverit affectus noster, rectè commentari poterunt v. g. ex *rad. acetos. cichor. gentian. plantag. fol. card. bened. summit. absinth. cent. min. sumar. chin. de Chin. lig. colubr. cass. caryophyll. schönanth. cum limat.* ♂*tis & crystall.* ☿ quæ tum diluendi, tum aperiendi fine in usum cedunt.

China de Chin. (pluribus suo loco in sequentibus commendandum medicamen) ad ʒij. in vino infusum, pariter optimè in usum cedit, vel loco vehiculi, quod hujus loci est, vel per se adhibendum.

Ad alterum scopum obtinendum *Educentia* medicamenta unicè recommendanda sunt. & quidem *Vomitoria* quod attinet, eadem in nostro affectu omninò adhiberi possunt & debent, cum constet ex vomitûs desiderio in casu anteà prolato, materiam moveri adhuc posse, nec nimis glandulis insidere, cedunt proinde hunc in finem ☿ *emetic.* ad *g. ij. iij.* cum *cinnab. nativ.* vel simili roborante, in pilulis vel cum saccharo datus, & convenienti vehiculo cum ▽ *cinamom.* vel simili liquore propinatus. ♒ ⊕*li* tantoperè ab *Angelo Sala ternar. emeticorum cap.* 4. *p.* 499. commendatum, cum *rad. asari* & ♌ *destillat. cinam.* vel alio, commodè etiam adhibetur.

Laxativa & *Purgantia*, insignem, in quartanis & similibus febribus longioribus obtinentia virtutem, jam commendanda sunt; excellunt verò pro re natâ & usu fortiori vel mitiori expetito inter eadem: *pulv. laxat. vegetab. Dn. D. Wedel. Crem. & Cryst.* ☿ *simpl. &* ♂*l.* ☿ ⊕*latus simpl. &* ☽*aris, pulv. Cornachin.* seu *Cerberus triceps ex Crem.* ☿ ♄ *diaphor. & resin. scammonii*, qui pulvis sæpe in quartanis commodo usu esse solet. Porrò pro *pilulari formâ* conveniunt *extract. aloës, hellebor. nigr. panchymag. Croll. rhabarb. mass. pil.* ☿*ear. resin. scammon. gialap. Infusa* etiam *purgantia antifebrilia* vel eo nomine commendanda sunt, quòd continuari longiùs possit eorundem usus, fermento febrili glandulis intestinalibus penitiùs impacto commodè inservientia. plura de purgantibus hisce in quartanis febribus vid. passim apud autores practicos.

Purgantia hæc tempore intermittentiæ adhibentur utplurimùm: vel si placet die paroxysmi eadem propinare, maturius id exequendum, ut

opera-

operatio ante paroxysmum absolvi possit; quam aliàs studiosè durante conflictu differre solet archeus.

Venæ sectio utut aliquando etiam in febribus intermittentibus horrore carentibus, vel plethorâ præsente administretur; utplurimùm tamen ejus usus non exposcitur, cum facilè ex mobili productior morbus reportari possit. quare nullis indicationibus præsentibus in nostro casu, nè noceamus, cum prodesse velimus ægroto nostro, planè inutilem esse dicimus venæ sectionem.

Tempore Exacerbationis, seu hoc loco *ante paroxysmum jam appropinquantem*, eò respiciendum, ut miasmatis fermentifici, seu fermenti febrilis motus suffl aminetur & antevertatur, destruendo & annihilando eodem, quod fit *præcipitantibus, incisoriis & disjicientibus, seu partium tenuium, seu fixarum cumprimis & alcalinarum, seu mixtis*: quorum plurima licèt etiam diebus intermissionis dentur, superiùs ex parte commendata, quale v. g. est *Elixir Antiquartium*, huc potissimum referendum; inprimis tamen hoc loco ante paroxysmum velut magis specifica, meritò laudanda sunt sequentia: ☉ *absinth. cent. min. card. ben.* ☿ *diaphoret. lapid.* ♋ *conch. præparat. corall. arcan. duplic. Mynsicht. flor.* ☉ ♈*ci, specif. febrif. Croll. Lang. Strobelberg. Bezoard. min.* ☽*l. mater perlar.*

Efficaciora verò & excellentiora hæc omnia reddi possunt additis *viperinis*, ut *trochisc. de viper. cinnabarinis*, *oleis destillatis*, & cumprimis *oleo seu balsamo antisebrili Dn. D. Wedelii*, composito ex *oleo caryophyllorum, piperis & camphoræ*. vid. *Ejus Opiolog. lib. 2. sect. 2. c. 1.*

Commendanda etiam hoc loco in specie peculiari nomine veniunt *Bezoardica*, illa scilicet, quæ exclusionem fermenti febrilis in sanguine respiciunt, talia verò sunt ex balsamicis, ♀eis & ☉inis: ♌a jam à nobis commendata, quibus addi merentur ℞ *bezoard. Dn. D. Wedelii* & aliorum ut *B. D. D. Rolfinc. Michael. Ludovic. Ess. theriac. balsam.* ~ *theriac. camphor. theriac. cœlest.* ipsâque *Andromach.* ~ *ebor. C. C. serpent. viperar.* ☉ *volat. viperar.* spectant huc quoque ipsa ☩da, ut ☩ *s. & bezoard. rutac.* & similia.

Ex quibus hactenus recensitis, à medico perito, & materiæ medicæ gnaro, pro variis circumstantiis, quæ in ægro nostro contingere possunt, variæ, selectu probè instituto, concinnari queunt formulæ.

Singularem sui hoc loco meretur considerationem celebris hodie, & decantata medicina *Cortex Peruvianus*, *China Chinæ* dictus, superiùs etiam cum aliis allatus. Egregium sanè est hoc medicamentum, amaricante & fortiter penetrante virtute, cum asperitate leviter adstringente se commendans. Solet equidem ʒj. per se, vel cum *oleo destill.* convenienti in *vino malvatico*, vel alio propinari ante paroxysmum. danda verò opera circa exhibitionem hujus nobilis medicamenti est, ut nonnisi præmissis universalibus, & acido

febrili jam maximam partem correcto, in usum trahatur: aliàs major spirituum, materiæq; morbificæ confusio ex intempestivo usu hujus laudati corticis provenire potest. Notandum præterea hinc est, infidum non raro post usum hujus corticis observari effectum. qui enim semel vel bis à propinato eodem remansit, sæpè post aliquod tempus redire visus est paroxysmus, majori aliquando, quàm anteà erat, cum vehementiâ. quare nec semper, nec nunquam hoc medicamine utamur oportet, quin semper genium morbi & circumstantias circa eundem, quidque ferant ægroti, quid minùs, attendamus; non tam empiricorum sectantes temeritatem, quàm firmis & veris dogmaticorum innixi regulis. Denique & hoc addendum, optimum hujus chinæ de chinâ cum specificis febrifugis jam recensitis esse connubium. Plura curiosa hujus corticis exotici indagatori suppeditabunt *Willisius de Febrib. cap. 6. Barthol. cent. V. hist. 56. Boyle tract. de utilit. Natural. Philos. part. 2. sect. 3.*

Opiata præter jam dicta, quæ præstare possent ægroto nostro, aliisque quartanariis auxilia, instar omnium & sufficientissimè docet *Dn. Wedelius* in suâ *Opiolog. loco suprà cit.* ubi simul methodum curandi genuinam febres intermittentes in genere, subministrat. Dari scilicet possunt Opiata non per se, & primariâ intentione, sed secundariâ cum pulveribus febrifugis maritata: ac præmissis universalibus; hinc hanc in rem *Horstius problemat. therapeut. decad. 1. quæst. 7.* plurimas *ait* febres intermittentes, præsertim quartanas, post præparationes & purgationes debitas auxilio *laudani opiati* sublatas fuisse, duabus vel tribus horis ante paroxysmum exhibiti.

Adhibito aliquo ex jam commendatis ante paroxysmum medicamento, æger leni calore tegatur, nec corpus ad sudorem conatu religioso cogat, reficiendus *in ipso paroxysmo aciatis*, & aliis pro re natâ suaviter *refrigerantibus*. eò tamen respiciendum, nè nimio refocillantium usu paroxysmus inhibeatur, & materia pœnitendâ hinc operâ intempestivè intrò pellatur.

Quidam ex hodiernis medicis methodo curandi febres quartanas hactenus propositâ non contenti, exantlato paroxysmo eadem repetunt, quæ paulò ante paroxysmum dederant medicamina, singulis 6. 8. horis eorundem continuando exhibitionem; imminui nimirum hoc pacto & penitus inverti fermentum febrile rati. quem tamem curiosum conatum suo loco relinquimus, idque nonnisi in melius declinante morbo tentandum esse, rationibus in subsidium adhibitis, persuasi.

Topica poterunt adhiberi sequentia: *stomacho*, cum hic malè habeat, epithemata ex *spir. vini*, sæpius repetenda, *emplastrum de crusta panis*, & *bacc. laur.* ℥ *caryoph. carv. roboratum* pro lubitu applicentur. *Lieni*, qui dolorem gravativum sentit, conveniunt Unguenta & Emplastra emol-

emollientia & roborantia e. g. *Empl. de cicut. de gumm. ammon. & cappar. lil. albor. ~ formicar. pinguedines variæ*, & similia. *Cordis & pulsuum regioni* inserviunt *sacculi ex spec. cordial. temperat.* ▽*is cordialibus frigid. irrorandi.* Pro *pediluvio* commendatur *lixivium* : nè plura alia pro libitu adhibenda latius recensea-mus.

Diæta debitè ab ægroto nostro in posterum observanda erit:

Cibus itaque sit boni succi & facilis concoctionis. carnes ⊖e nimio conditos, fumoque induratos, aliosque cibos crassos, glutinosos, ac multum terrestris succi in se continentes evitabit. flatulenta omnia fugiet. è contra melioris succi & magis correctis vescetur cibis.

Potus sit cerevisia probè defecata, vinumque tenue & maturum consultum quoque est, carduo benedicto, absinthio, aliisque infusis, quemvis exaltare potum.

Aere pluvio & nebuloso, quantum fieri potest, nullum posthac suscipiet iter; sed temperatum undique sibi eliget eundem.

Motus intempestivos mox à cibo non instituet, nec *quiete* nimiâ effœminabit corpus: cuncta ad mediocritatis leges compositurus.

CASUS II.

De

FEBRI MALIGNA.

JUvenis viginti annorum, plethoricæ constitutionis, hæmorrhoidum fluxui assuetus conqueritur de ingenti lassitudine totius corporis, sequitur horripilatio & inordinatus rigor, tandem calor continuus cum siti, capitis dolore & vigiliis subsequitur. Pulsus erat languidus, nonnunqam naturali iterum similis: Sæpius animi deliquium patiebatur; aderat nausea & diarrhœa cum ingenti circa ventriculi regionem dolore; lingua erat arida: ⊡ rubicunda & clara. Quæritur quis morbus & quibus remediis curari possit.

RESOLUTIO

AFFECTUUM cognitio juxta *Hippocratem* est vera eorundem medicatio: Ante omnia itaque inquirendum erit in morbi hujus ideam, antequam curationem suscipiamus, cùm in morborum cognitione maximam Fortunæ Medicæ partem sitam esse putemus. Dicimus itaque præsentem Ægrum laborare FEBRI MALIGNA, desumtis signis dignosticis à symptomatibus, morbi idea & aliis.

DEFINIMUS hanc febrim quod sit: *intemperies maligna acris & fervida,*

vida, cum præternaturali totius massæ sanguineæ effervescentia.

Dicitur *febris* à ferveo, vel ut aliis placet à februo, de quo *Willisius, Schokius, Vossius & alii* videri possunt. Nos parum curantes Etymologicas disceptationes, illas discutiendas aliis relinquimus. Nobis sufficit notâsse, adesse intemperiem calidam & pulsus mutationem, vel ut alii loquuntur cordis irritationem: quibus positis, necessariò ponitur febris. Solebat aliàs vox febris solis febribus ardentibus tribui: hinc canit Virgilius

Cum furit, atque artus depascitur arida febris,
Profuit incensos æstus avertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam.

Usus verò obtinuit, omnes illas intemperies, quæ aliqualem etiam conjunctum habent calorem, modò febrilis adsit cordis irritatio, vocare febres. *Vide Disputationes Medicas Sylvii.*

Maligna dicitur, quoniam est mali moris, decipiens non rarò ægrum, medicum & adstantes: symptomata habet graviora, quàm febres vulgò habere solent, plures afficit, multos interimit, & eludit vulgaria ante febrilia medicamenta, ita ut ejus natura longè distet ab aliarum febrium ideâ & genio. Dicuntur etiam tales febres malignæ, quia similes sunt malis hominibus, qui aliud vultu & verbis præseferunt, aliud corde occultant, & factis præstant. Dicuntur etiam venenatæ, quia immediate à venenatis particulis, sive intus genitis, sive extrinsecus admissis, oriuntur, ut dicetur capite de causâ. Infestæ sunt ipsis medicis, hinc nonnullis vocatur febris antimedica, medicorum napellus & flagellum, qua hodierno tempore in Germania multi celeberrimi viri obiêre, loquente experientia, *vide tractatum Cl. Lehr. de Scorzonera.*

Subjectum *hujus morbi* Universale dicimus esse totum corpus; conqueritur enim æger de ingenti lassitudine totius, adest horror & rigor; & omnes actiones læsas esse deprehendimus. Particulare verò est cor, quod musculum esse dicimus: Notandum verò ad evitandas falsas aliorum imputationes, nos hic non intelligere nudum illud parenchyma, ut vulgares Anatomici illud in mactatis canibus vel aliis cadaveribus demonstrant; sed potius indigitari à nobis integram fabricam cum insito calore, & insidentibus spiritibus animalibus, sine quibus facultas illa pulsifica, quam nobis antiquorum sectantes errores velut superadditam quandam ab anima peculiarem virtutem obtrudunt, explicari nequit: nisi Entia præter manifestam necessitatem multiplicari velint.

Cor esse verum hujus morbi subjectum, patet ab insigni functionis ejusdem læsione, pulsus enim est mutatus, in quo consistit ratio formalis febrium juxta nonnullos, qui demonstrant dari etiam febres frigidas, & calorem esse saltem effectum motus

sive

sive febrilis fermentationis : de quo vide *Franciscum Piens* Medicum & Chirurgum expertum, ut & magnum nostrum *Sylvium*. Nunquam, *dicentem*, probabunt essentiam febris consistere in isto æstu in corde, hinc & universo corpore. p. n. aucto, postquam dantur febres algidæ, frigore continuo & nullo calore aut ægris, aut medicis adstantibusve aliis notabili molestæ? quas, ne suis præjudiciis valedicire cogantur homines credere, quàm scire magis apti, negant simpliciter & audacter? quoniam in auctoribus suis classicis, atq; sua ex se mutuò exscribentibus, quos solos habent pro bonis, talia non legerunt in Museo suo somniis excogitandis & conscribendis, quam circa ægros symptomatibus eorum observandis magis dediti, pro quibus orandum est, ut sit mens sana in corpore sano, ni & hoc ex affectione quin & quandoque melancholia hypochondriacâ sit minus sanum, sicut ex vultu talium tetrico & moroso facile est medicis practicis hoc deducere. Sed quid dicent suffeni bonorum auctorum helluones, ac nil præterea ferè sapientes, de frigore tam sæpè per horas plures tam graviter circa intermittentium initia ægros vexante & lacerante, subsequente non rarò calore leni ac nullatenus molesto? Audebunt ne negare, durante frigore laborare suos ægros febre? An potiùs dicent toto illo tempore tam longo auctum esse & concentratum in corde calorem suum fictitium ac præternaturalem, quamvis nec sibi nec aliis, nec ægris ullo signo observabilem, præjudicio tamen suo necessariò concludendum? sed pro his, *pergit*, quoque orandum, postquam mirè delirat ipsorum mens. An quæso assentiemur hominibus omnem tum ægrorum tum aliorum, tum suum sensum suis præjudiciis postponentibus, & quidem cum quotidiano ægrorum suorum detrimento? Absit, ut hoc agat vir bonus ac Deum timens &c. Certum tamen est, calorem infitum sive ignem naturæ ut alii vocant irritari, supprimi & tandem in manifestam erumpere flammam, accedentibus particulis ad expandendum nunc satis dispositis. Qualis vero sit ignis ille vitalis, multi non capiunt, seque illud nescire aperte profitentur, dicendo : Cœlestis esse naturæ. Putamus tamen non opus esse, ut ad extremos mundi angulos confugiamus, cum unus idemque hoc in universo sit calor. Cœlestia enim, inquiunt *Cartesius, Graydanus, Regius Tatinghoff, de la Forge, Brokhuisen, Raei, alitque Viri Clarissimi :* & elementaria tantopere non differunt. Non sunt duo calores, inquit Piens, neque concipi debent ut duo, sed unus.

Quoad Causam Negotium hoc est arduum & difficillimum, quod multorum Clarissimorum Virorum torsit ingenia. *Morbi pestilentiales*, inquit Clarissimus Willis, *adeò in tenebris grassantur & ignotam ducunt originem, ut eorum causæ & essentia sine recursu ad occultas qualitates rarò explicentur.* Conabimur tamen,

men, quantum possibile, ægro nostro & adstantibus causam morbificam adeò clarè ac perspicuè proponere; ut nulli dubitemus, illam facillimè à quovis etiam, cui de meliori luto formavit præcordia Titan, perceptum iri. Causam itaq; veram hujus morbi maligni dicimus esse particulas acres volatiles & valdè incongruas, quæ compagem totius cruoris solvunt, destruunt, & universam œconomiam labefactant, id quod partim à priori, partim à posteriori probari poterit. Novimus, nonnullos alto supercilio hæc lecturos, qui istiusmodi morbos malignos à tota substantia, & qualitatibus occultis dependere acriter defendunt, imò in illos invehuntur, qui profundius in latentem causam inquirere conantur; quasi verò non sit laude dignum, veritatem in profundo latentè eruere, & omnia in foro medico ad manifestas qualitates referre velle. Omnes unanimiter profitentur & concedunt, causam febrium malignarum esse venenosam, ergo participabit de natura veneni: quod si ab epoto veneno eadem observemus produci symptomata, quæ per manifestas possint explicari causas, quid opus erit in explicatione symptomatum, febres malignas comitantium, confugere ad occultam aliquam & specificam energiam? dicam adhuc clariùs: Si Mercurius sublimatus, napellus, arsenicum aliaque venena intus assumta excitant nauseam, vomitum, ardorem, anxietates præcordiorum, tormina, rosiones, fluxus alvi cruentos, lypothimias, tremores, convulsiones, sopores, deliria, maculas cutis &c. per solam partium configurationem. quatenus dissoluta abeunt in subtilissimas volatiles ac summè acres particulas, per quam configurationem manifestè omnes illi effectus explicari possunt. Ergo etiam in febribus malignis & pestilentialibus, ubi eadem observamus symptomata, per tales qualitates manifestas idem negotium explicari poterit. Prius nunquam negari potest, & hactenus sufficienter probatum, â nobis etiam in ipso conflictu ulterius demonstrabitur. Ergo consequens etiam erit firmissimum.

Rectè hoc ex fundamento præmittit *Clarissimus Willis* explicationem naturæ venenorum, antequam venenum pestilentiale in specie describat, quoniam illis probè cognitis, facillimè etiam naturam febrium malignarum scire poterimus. Siquidem ipsorum vis consistit in sola continui solutione, sive foris in corpus nostrum agant, sive intus virulentiam suam prodant, ita ut supervacanea sit divisio morborum in morbos intemperiei, compositionis & solutæ unitatis, cum omnes in continui solutione conveniant, & differant solum quoad majus & minus, dum vel facilius vel difficilius in sensus incurrunt. A posteriori etiam sententiæ hujus veritas probatur, dum observamus medicamenta illa alexiteria non occultâ sed manifestâ agere qualitate, imò ne unicum quidem nominari posse alexipharmacum, cu-

jus

jus effectus sive operationis non manifesta possit reddi ratio. Omnia enim alexipharmaca referri possunt ad attenuantia, incidentia, volatilisantia, calefacientia, quæ pro diversitate veneni exhibentur, quatenus illud consistit in frigore potentiali: glutine quodam volatili, coagulatorio & contagioso: vel in particulis acutis scindentibus & causticis, quibus necrosin liquori tam vitali quàm animali inducit, (vel ut alii loquuntur, quibus animam vegetativam & sensitivam destruit) hinc oriuntur à venenis juxta Regium, magni ardores, mentis perturbationes, deliria, partium & totius corporis refrigerationes, intumescentiæ, livores, rosiones, excoriationes similiaque alia symptomata; quæ per contraria calefacientia, vel refrigerantia, item oleaginosa, pinguia & lenientia, sæpè curantur. *vide* ulterius *medicinam Henrici Regii.*

Particullæ illæ incongruæ duplici agunt in corpus nostrum modo, vel fundendo, vel coagulando: *fundendo*, dum ita dissolvunt sanguinis compagem, ut in serosum abeat liquorem, & ad accendendum sit planè ineptus, inde cessat pneumatosis tam in corde, quàm in cerebro, non aliter ac affuso oleo ♁ri lac in liquorem tenuem abit, nec unquam ad fibrosam consistentiam reduci potest.

In Ephemeridibus Gallicis collectis à Jean Baptista Denys refertur, canem illicò mori, si per Siphonem sanguini misceatur liquor N. ita enim fundi massam sanguineam, ut mutata ejus textura particulæ nunquam in ordinem pristinum cogi queant.

Coagulando, dum sanguis confestim figitur, & ad circulandum ineptus redditur; hinc oriuntur suffocationes, maculæ nigræ, lividæ, totum corpus non raro vel saltem alterutrum latus post mortem obsidentes: Non aliter ac si spiritus N. injicitur per arteriam, & sanguinem cum inopinato animalis interitu coagulat.

Accusabimur forsan à nonnullis nimiæ curiositatis, quum illa parum prosint futuro medico, semper enim eandem dicunt manere medendi methodum, eadem etiam semper applicari remedia, sive ad occultas confugiat quis qualitates, sive alius factus audacior per particulas (*ad quas tanquam commune asylum dicunt nos confugere, & pro illis tanquam pro aris & focis dimicare, imò pro Diis haberi*) negotium illud explicare tentet. Verùm errant quàm maximè boni illi viri. Quomodo enim Medicus debellabit morbum, cujus causam ignorat? ignorantiam verò suam nolens volens prodit, dum dicit: Febrem malignam esse morbum occultarum qualitatum, idem enim est, ac si diceret, die Haubtschwachheit kommt her/ich weiß nicht woher. Ipsa etiam alexipharmaca quàm maximè inter se differunt, neque indifferenter applicari debent, & hujus rei ignorantia multos trucidat, ita ut forsan errore medici plures pereant, quàm virulentia ipsius morbi. Siquidem si venenum

fit volatile valdè & acre, summo cum vitæ periculo ægro exhibentur medicamenta alexiteria, salibus volatilibus abundantia; potius contraria eligenda, vel præcipitantia, vel acrimoniam obtundentia. Lap. Bezoar. Bolus armena, diascordium & alia. Ex quibus patet, methodum nostram medendi non esse adeò periculosam & lubricam, ut illorum, qui vera negligunt principia. Retulit mihi *Dominus Waldschmidius*, se aliquando tractasse Juvenem febri maligna graviter decumbentem, in quo nullum toto morbi tempore gravius observare poterat symptoma, quàm summam respirandi difficultatem, per intervalla crebrius recurrentem, ut præ metu suffocationis æger erecto corpore noctu diuque sedere coactus fuerit. Ter secta fuit vena, non lege methodi ordinariæ, si quidem nec plethora aderat, nec calor febrilis adeò urgebat, hinc secunda & tertia venæ sectio ab aliis medicis prohibebatur; interim facies observabatur livida à sanguine coagulato & circa malas restagnante, pulsus erat languidus à sanguine ad cor transeundum minus dispositio, quibus omnibus probè consideratis, desertâ viâ communi, venæsectio bis adhuc felicissimo successu, aliis contradicentibus administrabatur, & æger è faucibus mortis eripiebatur, non neglectis aliis sanguinis coagulationem impedientibus medicamentis. Et quomodo quæso occurrere poterimus symptomaticæ & colliquativæ urinæ in febribus his excretioni? sudoribus illis copiosissimis sed ægro funestis? fluxui alvi coliquativo? de quibus optimè *Riverius de febri maligna?* nisi vim illam fundendi probè cognitam habeamus, tunc enim exulare debent omnia attenuantia & volatilisantia, & illa adhiberi, quæ tonum tum viscerum tum ipsius sanguinis conservent.

Brevibus itaque dicimus, particulas has acres & malignitatis & effervescentiæ esse causas, ex sola configuratione, quemadmodum videmus in chymicis duos liquores confusos se invicem destruere, effervescere & strepitum edere, nullo aliò accedente movente, præter solam illam texturam, quam à primo habent ortu, & qua, quoties aliis figuræ particulis occurrunt, tales ebullitiones excitant.

Nunc eâdem brevitate etiam Modum Generationis proponemus: generantur illæ particulæ vel in corpore ipso, vel alibi generatæ corpus intrant. In nostro ægro utrumq; potest esse; Hodierno enim tempore malum hoc Epidemicum est, & hinc indè vagatur, ut quàm facillimè contagium aliundè suscipi possit. Adest præterea consuetæ evacuationis suppressio, ob quam sanguis restagnans acescit, & ebullit, quo in motu particulæ fiunt acriores & cordi communicatæ irritationem illam vitiosam, nec non una cum sanguine ad alias partes translatæ, calorem totius corporis excitant, ficque malignitatem induunt, id quod cernere licet

licet in aquis paludosis, aliisque liquoribus diu reservatis.

Symbolum suum conferunt SEX RES NON NATURALES; Præ omnibus vero considerandus est AER: quamvis enim & reliqua quid conferre possint, tamen non tam generare febres malignas, quàm illas graviores reddere putamus. Sine aëre vitam nostram conservare nequimus, cum in eo sit occultus vitæ cibus, de quo vide *phasin Sophicum Domini Johannis Tackii.* Aër itaque facillimè sanguini suas imprimit qualitates, qnod si alienis & peregrinis imbuatur particulis, inficit sanguinem & labem corpori nostro communicat, Eundem verò alterari & inquinari certô certius est. Sunt autem duo præcipui spiritus, quos in aëre observamus, quorum unus est acidus, alter volatilis salsus, uterque aptus, vel compagem sanguinis solvere, vel cruorem magis figere. Negari sanè nequit, continere in se aërem æstivum particulas salinas lixivas, sed volatiles, aliquid oleosi & aromatici habentes: Hinc, referente *Illustri Digbæo*, & ex hoc *Clarissimo Sylvio*, illi, qui exeunte vere aut vigente æstate aëre sudo ac sereno per Galliam meridionalem faciunt iter, percipiunt aromaticum plantarum etiam longissimè dissitarum odorem & fragrantiam certissimo argumento, particulas subtiles emanare ex illis plantis, atque cum vento transportari per aërem ad regiones alias. Particulæ illæ agitatæ à calore solis magis acuuntur, & attractæ per inspirationem augent particulas biliosas in sanguine, infringunt humorem acidum & austerum, quorum munus est sanguini justam largiri consistentiam, & temperare bilis volatilitatem, unde sanguinis crasis valdè mutatur & ad corruptionem disponitur. Neque aër inspiratus pulmonibus solùm communicatur, verùm ipso in introitu etiam salivæ miscetur, & glandulas intrat, deglutitur etiam in ventriculum, ibidemq; auget bilem, hoc est, reddit illam acriorem & magis volatilem, humores etiam pituitosos & viscosos ibidem attenuat, & fluxibiles reddit. Clarissimus *Sylvius* hâc de re ita differit: *An inspiratus aër aliqua sui parte salivæ quoq; aliisq; humoribus, à cerebro subjectisque ipsi glandulis, glandulosisq; tunicis ad os & fauces derivatis, commisceatur, & unà cum illis deglutitus in ventriculo & intestinis tenuibus mutationem aliquam humoribus ibi repertis, aut confluentibus adfert? sicut arduum est probare, ita durum videtur negare. Mihi certè, qui veritatem ubiq; ac unicè sector, non censetur illud improbabile, quamvis putem, plures adhuc requiri observationes ad rem illam obscuram illustrandam, confirmandamq;, & ita stabiliendam, ut dissensientium cogatur assensus.*

Referendi sunt huc venti, qui agitando, confundendo, & apportando aërem vitiant. Sic australis alis suis salem volatilem ad nos transportat, nec non spiritū volatilem. Borealis plures acidas partículas secū vehit: suntq; vel

nitrosæ, vel de sale muriatico & armeniaco participant. Denique impurior fit aër, & ad generandas febres aptior à nebulis, nubibus, pluvia, nive, grandine, â vaporibus & tetris exhalationibus, è cavernis, locis paludosis, vel cadaveribus exspiratis: de quibus prolixè agit *Sylvius*, qui videri potest.

Aër itaq; infectus interimit plantas, bruta & homines, ut videmus aquas corruptas & alienis incongruis & peregrinis corpusculis & atomis refertas necare pisces: Venenatæ enim particulæ sunt valdè agiles, & in momento tanquam radii luminares per medium diaphanum transeunt.

Paulò aliis verbis, eodem tamen sensu, de hoc negotio loquitur *Thomas Willis:* siquidem is admittit innumeras atomos figuræ multiplicis & plurimum diversæ, ob quas variè cohærent, mutuo combinantur, & corpora nostra diversimodè afficiunt. Nam quamdiu in utrisq; apta contemperatio intercedit, tam diu vita ac sanitate fruimur. Sin vero corpuscula aëri innatantia sint ejusmodi figuræ & potentiæ, ut spiritibus corporis nostri adversentur, tunc crasis ipsorum pervertitur, corpus putredinem concipit, & vita nonnunquam extinguitur. Hinc inter homines ac pecora lues sæpenumero grassatur, quæ simul totos interficit greges. Plura qui desiderat, adeat ipsum authorem *libr. de fermentatione & febribus.*

Cum verò brevitati studeam, ipsam applicationem Lectori relinquo, vel magis specialia mihi ad cathedram reservo, quilibet enim videt ex antedictis veram causam febrium malignarum facillimè ita erui & in apricum duci posse, ut nihil possit esse clarius: Restat ut de SIGNIS agamus, antequam ipsam aggrediamur curationem.

SIGNA DIAGNOSTICA vel malignitatem indicant, vel dispositionem febrilem: utraque à symptomatibus desumuntur, quorum syndrome & congeries signum pathognomonicum exhibet. Itaque hic operæ precium erit, ordine referre SYMPTOMATA, & simul causam eorundem addere, quo signa fiant clariora. Hi morbi cognitu sunt difficiles, solent enim vel sine, vel cum tantillo frigoris invadere; adest statim in principio ingens lassitudo membrorum, capitis gravitas, & ut plurimum solent ab initio illam indispositionem suscitare, qua quis antea laboravit. Sic in hysterica muliere causabunt uterinos affectus; in calculosis dolorem renum excitabunt: qui colicis obnoxii sunt doloribus, in illis colicam mentiuntur, in aliis pleuritidem simulant. Sæpius cum hæmophtysi adoriuntur, sicq; deludunt medicos, ut horum symptomatum, & non febris malignæ rationem habeant.

In præsenti casu Æger noster conqueritur de *ingenti lassitudine* totius, partim à copia humorum vitiosorum hinc inde in habitum corporis effusorum, partim etiam ob spirituum animalium vitium. Siquidem auræ

auræ instar particulæ illæ venenosæ afflant simul liquorem animalem, propterea segnius influit, & motum ac sensum cum molestia quadam edit. Accedit & hoc, quod, læsa sanguinis accensione in corde, illico cesset spirituum animalium genuina generatio, unde paulo post functiones animales non ritè peragi possunt.

Sequitur *horror & rigor* reciprocus; partim ab halitibus acribus & mordacibus partes sensiles obsidentibus, partim etiam ab ipsa cordis irritatione, & flammulæ cordis agitatione. Siquidem observatu dignum, ligna recentia igni imposita ipsi ruinam minari, & flammam valdè minui, ut penitus extingui videatur: tandem luctâ transactâ, & recuperatis de novo viribus, in apertam erumpit flammam. Eôdem modô quoties humor incongruus unà cum sanguine cor ingreditur, toties flammula cordis opprimitur, hinc rigor & horror ob illam cordis irritationem in universo corpore percipitur: Donec, discussis particulis aquosis, & ad accensionem minus dispositis, reliquæ particulæ fiant fervidiores; Hinc videmus in ægro nostro rigorem subsequi calorem, accenso enim sanguine, & auctâ nunc flamma particulæ illæ agitatæ alias vicinas agitant, donec tandem calor in toto corpore deprehendatur. Quæ omnia accuratè explicantur à *Jaque Rohault de febribus.* Cum his conciliari possunt *Sylvii meditationes*, qui rigorem deducit ab halitibus acidis & austeris succi pancreatici, corrupti ob restagnationem, & bilis dominium superantis: quibus discussis, inquit, bilis sui juris facta calorem sive agitationem particularum minimarum in toto corpore instituit.

Sitis & capitis dolor ab iisdem dependent causis. Siquidem bilis tum per se acrior, tum ab effervescentia febrili adhuc acrior pejorque facta sitim inducit. In capite vero, rodendo, vellicando & distendendo acrimonia suâ salsâ lixivâ dolorem excitat: unde vigiliæ contumaces sequuntur, quatenus tam ab acida acrimonia, quàm etiam salsâ partes sensiles afficiuntur. Siquidem vigiliæ tam diu durant, quam diu sensuum externorum organa vehementer vellicantur. Pulsus est languidus, ob sanguinis corruptionem, ex obstructione hæmorrhoidum pronatam; interdum naturali adhuc similis, quoties istiusmodi particulæ adhuc ingrediuntur, quæ momentaneam illam accensionem suscipiunt. Notandum tamen, talem pulsum non diu manere, & si accuratè forsan illum observare velimus, nunquam in omnibus erit naturali similis: *Pulsus minor, inquit Clarissimus Sylvius, acceptus ferendus halitibus acidis ad cor delatis & sanguini admistis eundemque solito magis coagulantibus, adeò ut tunc densior factus segnius ac difficilius rarefieri queat, Debilior verò debetur iisdem halitibus acidis sanguinem non tantum, sicut dictum coagulantibus, verùm eo ipso ipsum ad partium quarumvis secessum ac secretionem ubivis absolvendam in-*

eptiorem facientibus ; unde in cerebro animales ſpiritus minori copia tunc à ſanguinis maſsâ ſecedentes animalem motum ubique languidiorem efficiunt : quapropter multi eò tempore pedibus ſuis ſtare non poſſunt, aut partes alias commovere.

Præcipuum ſignum diagnoſticum inter alia à viribus deſumitur. Videmus ægrum noſtrum pati *animi deliquium* citra cauſam manifeſtam; inde concludimus, latere anguem in herba, & ſummam malignitatem occultari, reliquis diebus magis magisque ſe produturam. Sanguinis enim motum valdè eſſe perturbatum, & ob æqualem ejus mixtionem à fermento venenato ſolvi inceptam cruorem in corde ſtagnare exinde facillime colligi poteſt.

Adeſt *Nauſea* à bile volatili in ventriculo & inteſtino duodeno fluctuante, & ventriculi ſubſtantiam ſenſilem ad motus periſtaltici inverſionem irritante.

Alvi fluxus oritur à ſanguinis fuſione & colliquatione, nec non à bile acriori prædominante, & excrementa diluente. *Dolorem circa ventriculi regionem* alii à flatibus comprimentibus orificium ejus ſuperius derivant. Nobis magis placent illa, quæ *Helmontius* habet, dicendo : *Sedem ſuam has febres habere in convexo ſtomachi, ad quæ loca nonniſi arcana provenire; Endemicam enim inſpirationem nihil aliud eſſe, quàm odores imperceptibiles, qui per pulmones in thoracem penetrent, diaphragma perſpirent, & ſtomachi ſuperficiem feriant. Linguæ ariditas* vel ſola hujus febris ſignum inſeparabile eſt, qua perſiſtente gliſcit febris: vide *Oßvvaldum Grems.* Quæ ſigna collectivè ſumpta, & febrem & malignitatem certo indicant, cujus curationi nunc incumbuendum eſſet, niſi ex re foret medici, ſeſe prognoſtico aliquo præmunire, ne, ſi curatio pro voto non ſuccedat, ejus fama incurrat naufragium.

Urina rubicunda debetur bili, vel particulis ♃reis una cum ☉linis mixtis & incoctis: unde febrilem diſpoſitionem & ſpirituum accenſionem cognoſcimus.

Signa Prognostica hoc in affectu ſunt lubrica, facillimè decipientia & medicum & ægrum, id quod jam dudum agnovit *dictator dicens §. 2. aph. 19. prædictiones in morbis acutis eſſe incertas.* hinc ſuadet *Magnus Rolfincius* ex *Riverio:* Satius eſſe, eloquia noſtra ſuſpendere, donec vel naturæ vel morbi victoriæ indicia certa ſe obtulerint. Siquidem obſervatum eſſe, quod quò majora in hâc febri apparuerint ſymptomata, quæ aliis in morbis pericula, imò etiam ipſam mortem minentur, eò meliorem ſalutis exitum reſpondiſſe: Mitiorum verò ſymptomatum præſentia plurimos interiiſſe.

Fallaces ergò *ſunt his in morbis prædictiones*, quia tempora morborum ita accuratè diſtingui nequeunt, cum morbus hic æqualiter ſua tempora percurrat, & refert *Grembs* : quendam ſextô die ſudâſſe ſudorem frigidum copioſum, & ſeptimo ſe melius

lius habuisse. Hinc exclamat: *ó quàm fallaces regulæ dogmaticorum*! Idem observavit *D. D. Geilfusius*, in illustri personâ, quod ex relatione *Dn. D. Waldschmidii* habeo.

Est hæc febris ex numero acutarum, hinc ratione temporis prædicimus ad undecimum & decimum quartum diem extendi posse. Est *morbus periculosus*, insidiosus, curatu difficilis ac multis lethalis. Metum augent graviora nonnulla symptomata; animi deliquium, fluxus alvi, & summa virium prostratio. Reconvalescentiam repromittunt ætas juvenilis, mentis constantia, & convulsivi motus absentia.

Interim *inter spem & metum* versamur. Nullum dubium est, sanguinem ob prægressam hæmorrhoidum obstructionem valdè esse corruptum. Magna spes sita est in earundem apertione, nam in febribus malignis juxta *Fabricium ab Aqua pendente* plus præstant hæmorrhoidum per hirudines apertiones, quàm venæsectio, quoniam reseratis arteriis sedalibus sanguis à corde revellitur.

Diligenter *quotidiè* erunt *inspiciendi oculi*, manus tangendæ, & lingua examinanda. Oculi, ut instans delirium prævideatur. Manus, quæ convulsionem instantem indicant: & lingua, quo sciamus, utrum morbus ungaricus, vulgò die Bräune/ coincidat.

Pulsus servans æqualitatem bonus. Malus è contra inordinatus & inæqualis.

Pulsus sanorum similes periculosi: significant enim naturam præ imbecillitate à coctione abstinere: juxta *Riverium*.

Motus convulsivi admodum periculosi sunt.

Motus tremuli manuum & linguæ funesti esse solent, & plurimum ab Hippocrate damnantur.

Surditas in principio apparens malum portendit, in statu vero salutem pollicetur.

Narium stillicidium malum.

Singultus & *cardialgia* mortem minantur.

Maxima ciborum aversio periculosissima est.

Oculorum inflammatio certum appropinquantis mortis prænuncium, nisi hæmorrhagia narium sequatur.

Per somnium etiam nunquid ex oculis sub appareat, inspiciendum. Nam si quid non exactè commissis palpebris ex albo sub appareat, modo non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione, contingat, malum est signum & lethale valdè. *L. 6. aph 52.*

Ex urinis in febribus malignis ferè nulla prognosis elicitur, aut admodum incerta: siquidem, quæ sanorum similis est, sæpius pessimum exhibet signum: Imò verò multi, coctionis signis manifestè in urinâ apparentibus, è medio sublati sunt. Attamen urinæ concoctæ, & laudabile enæorema habentes, idque multis diebus perseverans, & de die in diem magis sesè uniens, ac in matulæ fundum sensim descendens, certam salutem

tem perpetuò pollicetur. Vide *Riverium.*

Certius prognosticum, sed triste, sumitur ad hoc, quando ægri floccos carpunt, vel plicas supra lectum explicant, vel quodlibet objectum inordinatè arripiunt: quod qui faciunt, nunquam evadunt: quia significat delirium valde intensum, & non solum meningum, sed & occuli tunicarum inflammationem, & spirituum opticorum perturbationem incurabilem; propter quam oculis varia & falsa objiciuntur, quæ æger removere conatur. Vide *Hæfer. p. m.* 346 id aliquando tamen citra noxam & ægri interitum factum fuisse refert *Horstius Tom. 2. p. m.* 92. *obser. suarum*, quæ dignæ, ut noctu diuque à quovis practico legantur, relegantur, ac in succum & sanguinem convertantur.

Curatio nititur indicationibus: Sunt verò *duo* potissimum hoc in casu *indicantia*, intemperies calida, & maligna, illa per alterantia, hæc per alexipharmaca expugnanda. Adsunt etiam urgentiora symptomata, quæ curationem ad se convertunt: vigiliæ, alvi fluxus, animi deliquium & linguæ siccitas.

Remedia desumuntur è triplici fonte: *Chirurgico, pharmaceutico & diætetico.* In *primo* sese offert venæsectio; quæritur, *utrum in ægro nostro celebrari possit?* ℟. Nullum indicans venæsectionem reperimus hoc in casu, excepto calore febrili, & hæmorrhoidum fluxu suppresso. Malignitas enim per se nunquam venæsectionem indicat. Itaque contraindicantia, perhibentia & prohibentia quoque consideranda veniunt. Adest autem alvi fluxus, nausea & summa virium prostratio, quæ illam potius prohibent. Itaque ab illa abstinendum, & ejus loco cucurbitulæ applicandæ sunt, præsertim in partibus corporis inferioribus ad solvendam hæmorrhoidum obstructionem, in quo spes salutis ferè sita est. Convenient etiam hirudines venis sedalibus applicatæ: modum applicandi docuit *Zacutus Lusitanus*, & ex hoc *Hoffmannus.*

Sanè *venæsectio* in morbis malignis mihi semper fuit suspecta, & nunquam approbatur, nisi in plethoricis; quia thesaurus iste vitæ humanæ, frænans acres & malignos humores per V. S. aufertur, & sic malignitas facilius prædominari potest. Hoc in nostro casu planè ob alvi fluxum exulare debet, qui est perpetuum prohibens. Et cum sit res maximi momenti, audiamus sententiam pronuntiatam *à Moræo, practico dexterrimo*, ita dicente: *Observandum diarrhœam magnum esse prohibens sanguinis missionis, ideoq; in hâc nostra maligna febre sanguinem non fuisse emissum, quia ipsa febrem, in qua tamen Hippocrates ita sanguinis missionem commendat, concomitatur. Fundamentum tamen etiam est in ratione, quia cum frequenti alvi dejectione, in qua diarrhœa essentia consistit, plurimum vires dejiciantur, sanguis si emittatur, adhuc magis consequenter infirmus viribus destituetur,*

tuetur, & sic tandem non supersunt, quibus possit morbum in vigore consistentem, perdurare, quod tamen semper medicus mensurare debet, alioquin actum est de vita infirmi. Igitur omni morbi tempore, quo diarrhœa adest, à sanguinis missione abstinemus.

Solent aliàs Medici pro & contra disputare. Et miror *Minadoum* Medicum Italum scripsisse de febri maligna, quod in hac febri audacter sit mittendus sanguis, si verò contingat, ut ægri moriantur, id factum esse, quod sanguis non sufficienter sit missus. Sed quid si ad animi deliquium usque emittatur sanguis, & æger moriatur, valebit ne adhuc excusatio illa, mortuum esse ægrum, quod non sufficienter sit missus sanguis? Interim procede cautè, nam venæsectio est remedium, quod medicum ad summum honoris & famæ fastigium evehit, & quod ipsum etiam facillimè è solio iterum deturbare potest. Si enim sanguis non est missus, contendunt, si missus fuisset sanguis; forsan æger evasisset: Si verò mittitur, tunc inculpant venæsectionem, dicendo, febres malignas alexipharmacis expugnari, non verò vires dejici debent, quibus amissis natura contra malignitatem morbi pugnare nequit: quicquid ergò feceris, vulgi censura impinges, si solus es in cura, tum omnis culpa tibi soli imputabitur, si in mutuum consilium alios Medicos vocaveris, hic venæsectionem, alter sudorifera, alter laxativum propohet, & cum quilibet in sua opinione cedere nolit, fit inanis rixatio, quæ omnia prolixius prosequitur *Grembsius.*

Vicem venæsectionis supplere poterunt *cucurbitulæ*, de quibus suprà. Rectè de illis *Celsius, ut ex iis minus vehemens est auxilium, sic certè est magis tutum, nec unquam est periculosum, etiamsi adhibentur, ideoque ubi sanguinem mittere opus est, periculumque à vena secta immineat, huc potius semper confugite.*

Ex hoc fonte etiam *vesicatoria* petuntur, quæ auram venenosam tam è liquore vitali quàm animali potenter revellunt, quæ ægro nostro in pedibus applicanda ordinamus, ne sanguinis motus ad vasa sedalia impediatur. Et quamvis illorum usus à nonnullis in dubium vocetur, plus tamen confidimus experientiæ tot virorum illustrium. vide *Celeberr. Horstii & Riverii observationes.* Experientiam hanc, inquit *Hæserus in tractatu Hercules Medicus inscripto, in memet ipso confirmare ausim, qui, cum Anno* 1632. *eadem lue Epidemicâ diebus caniculatibus laborarem, & morbo in statu existente, per triduum totali usu rationis sine cibo, motu, loquelâ destituerer, non sine parentis mei & adstantium stupore, post cantharides nuchæ applicatas & vesicam ruptam, rationi, loquelæ, & tandem pristinæ sanitati, Deo opt. maximô medicamentis benedicente, restitutus fui.* Cavendum autem, ne instante vel præsente crisi adhibeantur, vel ne remedia uno eodemque tempore usurpentur, ne eveniat,

quod fieri solet in incendio domus, ubi populus adeò occupatur, ut unus alteri sit impedimento.

E fonte pharmaceutico purgantia prodeunt, quæ etiam nobis prohibentur, tum â malignitate, tum ab alvi fluxu: quo nomine non solùm evacuantia propriè dicta, verùm etiam lenitiva & clysteres castigantur, & citra temeritatem imò insaniam tali in casu, ubi diarrhæa comitatur febrem malignam, exhiberi nequeunt; illi enim temerarii non intelligunt naturam veneni, & nesciunt, quod particulæ illæ acres levissimo etiam motu agitari, & à circumferentia ad centrum summo cum vitæ periculo, medici infamiâ, & perpetuo conscientiæ morsu, præcipitari possint. Interim ignorantiâ nihil doctius, & nihil audacius.

Vidimus nunc, quid de venæsectione, purgantibus, lenitivis & clysteribus sit statuendum. Recte itaque primo statim intuitu aggredimur malignitatem, quæ Bezoardicis expugnanda: & quamvis Hippocrates sudores, sine coctione qui accidunt, insalutares esse statuat, tamen cum materia maligna qua talis coctionem non admittat, sed si coctionem expectare velimus, omnes humores interim corrumpat, radices altiores agat, & vires magis magisq; convellat; rectius ad ipsâ statim sudorifera confugimus. Et cum superius dixerim, symptomatum urgentiorum semper habendam esse rationem, ut itaque una fidelia duos dealbare possimus parietes, bezoardicis & intestina corroborantibus etiam sic simul hunc curabimus affectum: detur itaque pulvis sequens.

℞. *Pulv. Anglici* ʒß.

S. Engliſches Giftpulver auf einmal.

℞. *Aq. è typh: Cervor. ſ. vin. Formentill. ana* ʒi.

S. Waſſer zum Pulver.

℞. *Diaſcord. Fracaſt.* ℈iv. *Aq. Carduib.* ʒiiß. *Spec. de hyacinth.* ℈j. *Liquor. diaphor. myns.* ℈i. M. F. Pot.

S. Schweißtränckl ein auf einmal.

Hæc & alia, quoties opus fuerit, exhiberi possunt, & sudores tecto corpore expectari.

Curatio diarrhææ felicius peragitur sudoriferis, quoniam illa humores ad ambitum corporis à ventre revellendo non solùmmodò diarrhœæ, ubi cum maligna febre conjungitur, maximè prosunt, verùm & ipsâ malignitate febrili hæc remedia etiam expostulante, ipsi malignæ febri sunt remedium. Observandum enim hic iterum ex *Moræo*, hasce diarrhœas nunquam esse naturæ salutares operationes, quod ex eo patet, quod patientem solummodò in pejorem statum cum virium dejectione deducant, neque sint cum facili tollerantia, aut etiam sequatur conferentia, qualiter sunt illæ, quas in continuis simpliciter putridis febribus cum virium robore morbique remissione non raro in praxi observamus: Neque refert, quod in principio morbi, alvo solummodò primæ regionis excrementa evacuante, non multum videntur debilitare,

tare. quoniam notabilis sequitur debilitas, dum, diarrhœa continuante, serositates vasorum evacuantur. Interim & caloris & virium etiam habenda erit ratio. Cui intentioni satisfacient sequentia.

℞. *Aq. Theriacal.* ℥i.
rosar.
regiæ Viennens. ex ☉ *destill.*
è succ. rub. idæ. ana ℥ij.
Spirit. refrigerant. gr. xv.
Syrup. liberant. ℥i.

M. S. Kühlend und stärckend Wasser. Vel ℞. *Aqu. ser. lact. destill.*
borrag. ana ℥i.
Juleb. Gemat. C. ℥ß.
M. S. Ut antè.

℞. *Spec. de hyacinth.*
Diamarg. frigid.
Pulv. Bezoard. Sen. ana ℈i.
Lap. Bezoar. Orient. ʒß.
☉ *perlat. gr. xv.*
M. F. Pulv.

S. Stärckend Hertz-Pulver / ein halb Quintlein auf einmal.

℞. *Aq. p. Epithem. cord.*
rosar. ana ℥ß.
Carbuncul. ℥ij.
Acet. Bezoard. destill. ℥iij.

S. Hertz-Pulß und Anstreichwasser.

Vigilia demulceri possunt sequenti Emulsione.

℞. *Sem. melon. excortic.*
cucum. excort. ana ℥iij.
papav. alb. ℥ß.
Contus. cum
Aq. ser. lact.
rosar.
borrag. a. ℥ii. *emulg. l. a. add.*
Margarit. pp. ʒi.
Man. Christ. perlat. ad grat.

S. Besänfftigende Nachtmilch für etlichmal.

Linguæ aridit atem corrigit Mucilago seminis Cydoniorum: Gelatina. C. C. vel quod erit instar omnium, Aqua rubra ad fauces, vulgo das rothe Gurgelwasser/ vel das rothe Pommerische Wasser. Cujus genuinam descriptionem multi inter arcana habent.

Unicum ädhuc notandum de *Diaphoreticis & Cardiacis*, quæ liberaliori exhibita manu cordis motum intendunt, quin & sæpissime ejus robur frangunt; quare vulgaris observatio est, quòd cardiaca non rarò mortem accelerant, eò quod cruorem nimis exagitando, vires citiùs alterant.

Caveant ergo sic sibi juniores medici, & discant rectè ex præcedentibus mederi, ne tam multos æterno imposterum commendent somno.

Simili prudentia & circumspectione etiam opus circa *opiata*, hæc enim, quoniam spiritus vitales extinguendo & figendo opus suum perficiunt, si in pulsu debili ac vacillante usurpentur, suffocando somnum perpetuum accersunt, id quod quotidiana experientia satis superque testatur. Quare in pulsu languido, inæquali ac formicante, cane pejus & angue opiata vitanda erunt.

DIÆTAM quod attinet, consistit illa in legitimo *sex rerum non naturalium* usu, itaque in illis ægro nostro erit servandus modus: *Aer* vitiosus corrigendus floribus fragrantibus hinc inde sparsis, aut suffitu ex rebus odoratis, miasmati venenoso resi-

tibus. Præterquam enim quod ejusmodi thymiamata aërem infectum corrigunt, etiam ſpiritus vitales, pravitate venenoſæ auræ infectos, à fœdis inquinamentis depurant, quemadmodum quævis odorata in abdita corporis ſe trajiciunt, ſpiritusque valdè alterant, ac in lipothymiis rerum fragrantium odore evaneſcentes ſpiritus revocantur, & inſtaurantur. Sic referunt *Democritum inſignem ſuorum temporum Philoſophum*, morti jam proximum, panis calentis odore integrum triduum effluentem ſpiritum retinuiſſe. Hinc aliis in plurimis morbis ſuffitus antiquis fuere familiares; ut videre eſt apud *Hippocratem*, *Avicennam* & alios: Nec muliebre commentum eſt, etſi illæ ſine conſilio re hac ſæpiſſimè utantur, & quamplurimos patientes liberent: vide *Neucranz de Purpura*.

Victu utatur tenui, cremore ptiſanæ, avenæ, panatella ex cereviſia & pane triticeo, ex juſculis hordei, oryzæ, pullorum, caponum, aliisque facilis concoctionis, cum ſucco citri, cydoniorum, rubi idæi & aliis paratis.

Potus ſit decoctum. C. C., citri Mynſichti, Emulſiones amygdalarū, julepi refrigerantes & confortantes. Tinctura roſarum. Et cum aſſuetus ſit cereviſiæ, admittimus tenuem deſecatam & probè coctam, cui radix Scorzoneræ, raſura C. C., eboris & alia imponi poſſunt. Vinum jubemus exulare, quia ob leptomeriam ſpontè ſurſum tendit, caput ferit, & vigilias contumaces & delirium excitat, ac ☿re ſuo, à maligno calore accenſo, ſanguinem inflammat. Et *Neucranz in tr. de Purpura*, ut & *Hæſerus in Hercule medico*, teſtantur, omnes fuiſſe mortuos, quicunque vino abſtinere noluerint.

Quin & vini, aqua cocta aliave refrigerante diluti uſus meritò ſuſpectus eſt: *Clar. Riverius* in nonnullis ſubjectis vinum concedit, ſi ſcilic. febris ſit exigua, venenata verò qualitas plurimum intenſa, & corpus ægrotantis pituitoſum. *Zacutus Luſitanus*, ut in omnibus, ſic & in hoc puncto mirabilis, indifferenter omnibus illud concedit. Sic juxta *Celſum* ſæpè quos ratio non reſtituit, temeritas adjuvat. Uſus acidularum etiam interdictus, quod interiora nimis refrigerent, & à circumferentia ad centrum moveant. Præſertim cum in noſtro ægro habeamus alvi fluxum ſymptomaticum, qui ab uſu acidularum ingraveſceret.

Quoad reliqua decumbat æger quantum poſſibile, quietè, quo per continuam diaphoreſin venenata ſpicula exſpirent. In *ſomno* & *vigiliis* ſit moderamen, quorum alterutrum, ſi extra naturæ legem abeat, convenientibus medicamentis reduci poteſt. *Animi affectus* declinentur, qua in re & adſtantes ſuum faciant officium. Confidat æger Deo, qui potenti ſuo verbo languores noſtros non rarò ſanat, ubi omnis conſilii humani vis ceſpitat, ac cuncta deſperationi proxima inſtantem interitum nuntiare videntur.

CAS. III.

CASUS III.

De

APOPLEXIA.

PAstor ætatis consistentis, affectioni Hypochondriacæ alias obnoxius, tempore hyemali, inter concionandum ira accensus, primò horrore, post vertigine correptus, obmutescit, omnes tàm interni quàm externi abolentur sensus, corruit, ita ut eum de suggestu deportare necesse haberent Auditores, stertebat cum respiratione difficili, pulsu parvô & inordinatô, facies rubebat &c. Intra horæ ferè spatium, adhibitis infrà dicendis internis & externis medicamentis, ad se redire cœpit, linguæ immobilitate, totiusque corporis imbecillitate remanentibus, quæ tamen continuatione medicamentorum brevi quoque cessarunt.

RESOLUTIO

OMnibus & singulis, quorum in proposita casûs historia mentio fit, benè probéque perspectis signis, facilè quilibet judicabit, ægrum nostrum eô correptum fuisse affectu, quem APOPLEXIAM vocamus, ἀπὸ τῦ ἀποπλήττειν, quod fortiter & graviter percutere significat, ducta similitudine ab animalibus ad aram unô ictu corruentibus. Ulteriorem qui desiderat Etymologiam & Synonymiam, Practicos aliosque adeat Authores, fusiùs hæc ipsa pertractantes.

Sumitur verò *Apoplexiæ vocabulum* dupliciter. (1) Generaliter. Paralysin, stuporem, obstupescentiam &c. includens. *Vid. Hippocr. sect. 7. aph.* 40. (2) Specialiter & in propria significatione. Estq; Subitanea sensuum & motus abolitio, remanentibus respiratione difficili, interdum nullâ, & pulsu inordinatô, ex p. n. spir. animalium stagnatione sive statione proveniens: Alii definiunt, quod sit mentis consternatio cum sensuum externorum & motus abolitione. *Lindano* est hæmastasia in capite.

Symptoma ergò est, & quidem actionis abolitæ: de parte affecta *in seqq.* dicetur.

Exactiùs verò ut calleamus *generationem* & *naturam* hujus affectus, inquiramus parùm in ejusdem CAUSAS, rem sanè perplexissimam, de qua diversissimis & intricatis sententiis multum pugnatur; sed post habitis litigationibus istis, potioribus quorundam Authorum breviter, pro ratione instituti, recitatis opinionibus, mea quæ sit, pauciss imis subjiciam.

Sunt itaque qui ſtatuunt, ex obſtructione principii nervorum in baſi calvariæ Apoplexiam generari, ita *Galenus*, *Paulus Ægineta*, & qui eos ſequuntur alii. Sed quid obſtructio illa incommodabit functionibus principibus, cum cerebrum cæteroquin ſit illæſum, imò cum nervi manifeſta deſtituantur cavitate, humor viſcidus eos intrare, obſtructionemque cauſari non poterit.

Alii oriri eam exiſtimant ex compreſſione principii nervorum; verùm & hæc opinio antedictam patitur inſtantiam, quod nempe functiones principes hactenus non læderentur.

Alii intemperiei cerebri frigidæ cauſam Apoplexiæ tribuentes, ſi conſiderarent nudam intemperiem, quæ ſummum gradum non in inſtanti, ſed ſucceſſivè adipiſcitur, non tam citò actiones omnes tollere, neque tam ſubitò corrigi poſſe, convenientibus enim adhibitis remediis, citò interdum affectus hic deſinit, hæc, inquam, ſi paulò accuratiùs expenderent, brevi ſuæ valedicerent opinioni.

Obſtructionem ventriculorum cerebri ab humore viſcido & craſſo ortam, *alii* accuſant; verùm experientiâ Anatomicâ conſtat, in ventriculis cerebri variorum Apoplexiâ extinctorum nihil repertum, eosque ab humoribus ejusmodi prorſus immunes fuiſſe, de quo videatur *Fernelius libr. 2. de abditis rerum cauſis.* Ulteriùs hanc opinionem redarguit hydrocephalo laborantium inſignis & maxima cerebri cavitatum ab humore repletio, nihil interea plerumque Apoplectici ſentientium.

Fernelius cauſam in compreſſionem arteriarum, plexum retiformem, ſeu rete mirabile conſtituentium, rejicit, experientiâque hanc ſuam ſtabilire conatur ſententiam. Sed quicquid ſit, licet concedam, interdum obſtrui vel comprimi poſſe hæc vaſa, cerebrum tamen omni debitoque pro conficiendis ſpir. animalibus ſanguine minimè defraudatur, cum alia adhuc ſuperſint vaſa ſanguinem ſufficienter advehentia, nempè arteriæ vertebrales.

Gregorius Nymmanus Apoplexiam ortum trahere ab obſtructione torcularis arbitratur, cum tamen ejus officium non ſit, ſanguinem cerebro afferre, ſed potiùs avehere, ita, ut venæ non arteriæ fungatur officio, inſuper adeſſet arteria cervicalis, adeſſent arteriæ plexum retiformem conſtituentes, quæ cerebro, ſanguinem apportando, ſufficienter providerent. Poſſet igitur & Nymmano concedi, Apoplexiam interdùm ex obſtructione torcularis oriri, ob impeditam ſcil. ſanguinis circulationem, verùm eò, quò vult Nymmanus, modo fieri non credo. Alii dictas obſervantes difficultates provenire dicunt ex ſtagnatione ſanguinis in vaſis ſanguinem cerebro adducentibus, cui ſententiæ favere videtur *Dn. D. Mezgerus in Diſſert. Medic. Anatom. 3. de Flux. & reflux. ſang. pag. 29. 30.* Huic ſententiæ & ego ſubſcribo, quod ſcil. ſæpiſſimè inde generetur atrox hoc malum,

prout

prout ex seqq. patebit. Plures Authorum hic adducere opiniones chartularum harum angustia non concedit.

CAUSAM igitur IMMEDIATAM APOPLEXIÆ posui spir. animal. stagnationem. Spir. n. animalis ad motum & sensus perficiendos in continuo motu & influxu sit necesse est. Ad hoc verò requiritur motor perpetuus & via libera; Horum alterutrum vel utrumque, si simul subitòque lædatur, Apoplexia præstò est.

Considerabimus itaque primò motorem, ejusque in hoc affectu vitia, postmodum viam ejusque obturationem, aliaque eidem affinia. Quô verò hæc omnia fiant planiora, de generatione, naturâ & motu spir. animalis pauca quædam erunt præmittenda.

Generationem verò *spir. animal.* modo sequenti fieri, mihi persuadeo: Sanguis si per arterias capillares, unicâ saltem tunicâ dotatas, cerebrum transit, spirituosæ sanguinis partes cerebri substantiam, corticalem præprimis penetrant, relictis partibus crassioribus aquosis aliisque heterogeneis, haud aliter ac spir. vini in destillatione transit spongiam oleo imbutam.

Naturam spir. animalis quod concernit, vini spiritui vel cuicunq; alteri simillimum esse arbitror, id quod præter alia generatio modò proposita & restauratio indicant: Consumpti enim ab exhibitô spir. volatili facilè reparantur: Videatur *Timæus* à Gülden-Klee *in Respons. Med. p.* 20. statuens, spiritus constare in sale volatili spirituoso, iisque acidum aversissimum esse: Ubi tamen notandum, cum spiritui vini similem non esse, prout est in formâ liquoris; sed halitus & vaporis, tum enim expansus ac mobilis existit, & quemadmodum parva quantitas spir. vini in halitus resoluti totam cucurbitam & Alembicum cum vase recipiente in destillatione implet, imò per tenuissimas rimas cum impetu erumpit, ita & spir. animales cerebrum, nervos & musculos subitò adimplent.

Eos verò halituosâ formâ suas perficere operationes, ex dicendis elucescet: Cùm calidus effumansque sanguis cerebro communicatur, tum halitus spirituosi id penetrant, inque halituosâ formâ à calore, tanquam subtilissimi spiritus, conservantur, atque ad partes corporis expensione & motu per spinalem medullam & nervos deferuntur: Cerebrum enim cum spinali medullâ multis vasis sanguiferis refertum est, nervosque concomitantur arteriæ, à quarum calore continuò foventur, facileque in formâ halituosâ conservantur. Unde, ut experientia docet, si partes corporis admodum refrigerantur & humectantur, spiritus hi concrescunt, (similiter ac spir. vini in Alembico impositis linteis madidis) & partes ad motum & sensum redduntur ineptæ & resolvuntur: Hi enim spiritus, cum omnibus corporis partibus sensum & motum largiri

giri debeant, motu satis celeri præditi sint necesse est, quo voluntatis in motu potens ac celerrimum exequantur arbitrium, sensationesque externas citissimè ad cerebrum deferant: Spir. volatilis, si expansus, ad hæc omnia aptior erit, tum enim citò & facilè transire nervos, expandere musculos, & resilire in sensatione poterit, quæ à coagulato simili modò perfici nequeunt.

Modus autem *motus hujus* talis est: Halitus isti spir. volatilis, si in cerebro dispersi & expansi sunt, propelluntur non tantùm expansione, sed & cerebri motu per spinalem medullam cœterosque nervos ad omnes corporis partes. Ad motum verò hunc propriâ facultate edendum cerebrum ineptum esse, fabrica ejus satis superque testatur. Meningibus motum cerebri qui attribuunt, experientiâ refutantur, ablatâ enim magnâ cranii parte & ipsis meningibus, motum tamen cerebri observavit *Riolanus* in ove. Motus enim ille, qui in cerebro deprehenditur, & manifestè quidem in infantum recens natorum & vulneratorum, pulsuum motui respondet, pulcherrimè in demortuorum cerebro repræsentari potest: Cranio nempè priùs ablato, quo cerebrum suis meningibus vestitum in conspectum veniat, crassam qq. meningem removere proficuum foret, tum enim cerebrum tenui solùm meninge tectum, mæandros intestinorum quasi repræsentabit. His ita paratis, si inflentur arteriæ carotides in collo, per distinctos pulsus egregium edet spectaculum, singulis namque inflationibus non solùm arteriæ inflantur & attolluntur: sed & integra massa cerebri movetur & intumescit, quolibet inflationis ictu, sic qq. apertis ventriculis lateralibus, si ramus arteriæ jugularis, plexum constituens Choroidem, infletur, tremulum visuque jucundum exhibebit motum, unà etiam movebit partes quasdam adjacentes, præsertim glandulam pinealem.

Ex hoc *pulsatili* universo cerebro communicato *motu*, arteriarum beneficio, spirit. animalem in motu versari & in nervos propelli suspicor. Dum enim cerebrum tam arctè à cranio circumdatum sit, ut in multis craniis, viæ arteriarum exscriptæ quasi extent, fieri aliter nequit, quin per motum & appulsum sanguinis cerebrum intumescat, cùm ulterius, ob accuratam cranii adjacentiam, propelli nequeat, ipsius substantia movendo & dilatando prematur, & consequenter spir. animal. exprimantur in suos canales & nervos. Arteriæ verò spinalem medullam & nervos undique concomitantes, præterquàm quod calore eos expandant, continuo quoque motu pulsatili eorum motum promovent.

Moveri autem spirit. animal. continuò illò motu & calore sanguinis in cerebro ejusque appendicibus, ex eo constare videtur, quod, quoties impedia-

pediatur sanguinis ad cerebrum partesque sensiles motus, toties derepentè omnes actiones animales labefactentur & tollantur. Quemadmodum videre licet in strangulatis, in quibus in momento ferè omnes sensus tàm interni quàm externi, motusque animales cessare solent, quorum historias quasdam collegit *Wepferus in Exercit. de loc. aff. in apoplex.* quarum illa cœteris memorabilis existit de Angla suspensa, medicorum ope verò restitutà: Hujusmodi notatu dignam recenset historiam *Helmontius* de curioso quodam Astrologo *Libr. de Lithiasi cap. 9, §. 46.*

In morbis syncopticis, cum motus sanguinis & pulsus suspenduntur, animales etiam actiones labefactantur & tolluntur, non autem functiones animales subitò abolentur, quod ob impeditum sanguinis influxum, spir. animal. suo destituantur & frustrentur alimento, tùm enim lentè labefactarentur ejusmodi actiones, donec tandem successivè consumtis spiritibus deficerent, hoc autem non fit in illis sanguinis stagnationibus, sed derepentè, alia igitur subitaneæ hujus abolitionis functionum quærenda ratio, dicta scil. cessatio motus. Cessante enim in cerebro pulsatili motu, cessat, ab impedito sanguinis influxu, calor, spiritus ad partes non propelluntur, sed stagnant, brevique coagulantur.

Cum itaque impeditum sanguinis influxum sequatur repentina spirit. animal. stagnatio, læsio verò & abolitio functionum à spir. animal. dependentium, inquirendum in causam tam subito sanguinis illius influxum impedientem: Hæc est repentina sanguinis in arteriis caridibus & vertebralibus stagnatio coagulatio & concretio, & hanc, si non semper, ut plurimùm tamen generatæ Apoplexiæ causam esse existimo.

Coagulatio verò ipsa causatur ab halitibus acido-austeris & coagulativis sanguini commistis; Halitus hi afficiunt vel extrinsecùs advenientes, corpusque in respiratione vel per poros intrantes, vel intrinsecùs in corpore nostro, mediante effervescentiâ vitiosâ in tenui intestino excitantur, ascendunt, sanguini commiscentur, eùmque coagulant. Huc inclinare videtur *Bernh. Swalve in tract. de querel. Verb. p, 222.* Sublimatum autem acidum quippiam, inquit, sin ab astro suo depulsum ruat in spinæ medullam, tactum motumque resolvit. Ideoque sæpiùs Apoplexiam præcedere videmus cardialgias, vomitus vel vomendi conatus, dysenterias &c. Id quod variorum etiam testantur fata. Ex his dictis *focus qualitasque materiæ* haud obscurè jam colligi poterit, cum & post apertionem in ventriculo & intestinis caustica & nigra materia sæpius reperta sit.

Generari hac materia & in corpore nostro produci potest pravâ diætâ, multa scil. acido austera in alimentis assumendo, unde humores

tales in corpore generantur, præ cœteris verò ſuccus pancreaticus facilè eam induit naturam, inque ductu laterali ſtagnat, ſtagnatione acrior factus tandem copia & acrimoniâ materiam obſtruentem, pituitam nimirùm viſcidam, perrumpens, cum bile vitioſam in duodenô excitat effervescentiam, unde halitus illi acido auſteri & coagulativi exſurgentes, acrimoniâ ſuâ in orificio ventriculi admodum ſenſili cardialgiam excitant, ventriculum ad vomendum, inteſtina ad egerendum irritant, imò, corroſis inteſtinorum tunicis, dyſenteriam pariunt. Fieri coagulatio quoque poteſt à veneno exhibito coagulativo, mercurio ſublimato communi, aquâ forti & ſimilibus, quæ cani propinata mortem ſubitaneam cum coagulatione ſanguinis intuliſſe vidimus.

Num verò ſanguinis in cerebrum influxus alio etiam modô tam repentè impediri queat, certò determinare non poſſum. Pituitam viſcidam quod concernit, eam quidem in arterias capitis delatam, easdem obſtruere poſſe non nego, quod verò confertim & ſimul omnes oppilari & obſtrui poſſint à pituita, eſt de quo maximè dubito. An quoque ſubitò omnes comprimi poſſint arteriæ, ut tranſitus denegetur ſanguini, non aſſequor, poſitô verò hoc fieri, à ſanguine extravaſatô ut plurimùm fieri arbitror, quamvis non ſequatur: in hujus vel illius Apoplectici capite inventus eſt ſanguis extravaſatus, ergò hujus mali cauſa extitit, cum vaſa obſtructa facilè rumpantur & ſanguis extravaſetur, quemadmodum videre eſt in pleuritide. Per ſubitaneam verò arteriarum Carotidum & vertebralium abſciſſionem etſi fiat Apoplexia, ea tamen Medico curanta non offertur. Non deſunt quoque qui ex obſtructione ſinuum cerebri, qui ſanguinem revehunt, circulationem ſanguinis impeditam, ſtagnationem interdum & extravaſationem, & per conſequens Apoplexiam provenire ſtatuunt.

Perſpectâ hactenùs ſtagnatione ſpir. animal. â motore labefactatô & ſublatô pendente, pauca quædam addam de *via affecta*, influxumque ſpiritibus denegante. Certum eſt incisâ ſpinali medullâ, illicò ſequi omnium inferiorum partium reſolutionem, eorum ſenſus & motus abolitionem, cujus rei experimentum in brutis facilè inſtitui poteſt, inciſô enim ſpinalis medullæ principio, Apoplexia præſtò erit, licet tum Medico incurabilem. Comprimi poſſe medullam oblongatam & quidem ſubitò cenſeo, repentè materia confluente circa magnum occipitis foramen (formam infundibuli repræſentans) per quod tranſit medulla oblongata, medullamque comprimente, ut ſpiritibus denegetur exitus. Confertim autem eò materia confluere poteſt, ſi ventriculi cerebri & quidem laterales humoribus ſint repleti, qui quantitate nimiâ

miâ coacervati, contigüitatem limbi cum cerebri radice perrumpunt, licet hæc etiam motu cerebri violento divelli possint, in sternutatione aliove modo. Sanguis ex ruptis cerebri vasis eò effusus, medullam oblongatam comprimere aptus existit, rumpuntur verò vasa à vulnere, contusione, si consuetæ supprimantur hæmorrhagiæ per nares & menses, vel alio quocunque modô.

A Causis Mediatis Proximioribus ad Remotiores nunc progrediendum, quas in naturales, non naturales & Præter-naturales dividunt: *Naturalium in classe* sese offert temperies ad frigiditatem præcipuè & humiditatem proclivis: Ætas senilis Apoplexiæ ferax secundum *Hippoc. sect.* 3. *aph.* 31. ubi Apoplexiam inter senum morbos refert. Dispositionem hæreditariam multum huc conferre quibusdam placet. Inter *non naturales* se sistit primò Aer Aquilonaris, frigidus, violentus & asper: Occidentalis, pluviosus, pituitam serososque humores augens: Aer exhaltionibus venenatis & Narcoticis infectus; Radios Lunares peculiari vi cerebro infestos hic quidam accusant. Pertinet & huc tempus anni hyemale, de quo *Hippocr. sect.* 3. *aph.* 23. Diætam suprà parùm tetigimus: Venere nimiâ Apoplexiam imò mortem sibi quosdam acquisivisse, legimus. Præ aliis verò animi Pathemata humores exagitare solent, ex ira enim vehementiori quosdam Apoplexiam passos esse observavit *Forestus l.* 20. *in schol. obs.* 70. *Ex præternaturalibus* adducitur Melancholia. *vid. Hippocr. sect.* 6. *aph.* 56. Causa externa violenta v. g. contusio, casus, vulnus, ictus, fractura &c. Plura reperiuntur apud Authores; hìc brevitati studens, dictas causas casui nostro nonnihil applicabo.

Affectum Ægri nostri ortum habuisse à vaporibus acido-austeris & quasi malignis, non solùm ex suprà positis, verùm etiam si circumstantiæ, Symptomata, aliaque in historia Casus proposita, imò curatio sequens, diligentiùs paulò inspiciantur, ad oculum patebit: Primò enim dixi Eum *affectioni hypochondriacæ* obnoxium fuisse; cujus causam plurimi moderni Medici in acido-austero latitare asserunt: *Hyems* erat coagulationem & stagnationem humorum promovere apta, imò cum ipsum frigus in particulis acidis & nitrosis consistat, aciditas in corpore præprimis dispositio aucta fuit. *Ira inter concionandum* corripitur, Pathemate à Scherbio vehementissimo dicto. Ira enim humores agitando, mineram causæ morbificæ in pancreate absque dubio latitantem excitavit, unde vapores acido-austeri elevati primò horrorem, posteà caput petentes, spir. animal. inordinatè movendo, vertiginem produxerunt, tandem coagulatô in vasis sanguine, & per consequens cessante spir. animalium motu & influxu (à quibus omnes corporis partes tanquam à sole irradiantur) necessariò subsecuta fuit

omnium, qui à spir. animalibus aliàs sustentantur, sensuum abolito, corporisque lapsus. Remansit autem *respiratio difficilis* cum *pulsu parvo inordinato*, non prout quibusdam videtur, ob summam respirationis ad vitam conservandam necessitatem: Quamquam enim respiratio summè sit necessaria, finis tamen per se efficaciter agere nihil potest, efficiente scil. causâ deficiente, præterea natura nunquam non hoc ageret in omnibus ad vitam conservandam necessariis actionibus: Neque etiam à spirit. vitalibus, calore & motu cordis, ut aliis placet, conservatur, sed ob faciliorem spirit. animal. in illos nervos influxum evenire suspicor, qui influxus à primâ nativitate & dormienti & vigilanti sine ulla intermissione continuatur, hinc, hos nervos poros suâ sponte apertos & dilatatos habere quidam existimant, reliquos non item, sed tantùm per inflationem spir. animal. dilatari. *Pulsus* erat *parvus* & *inordinatus*, cum sanguis propter obstructionem arteriarum vix circulari poterat:

Ast ad ea, quæ supersunt festino, ubi si obiter DIFFERENTIAS & SIGNA *Apoplexiæ* tetigero, curationem postmodum subjungam: *Differt* Apoplexia ratione graduum: Quorum *Hippocr. sect. 2. aph. 42.* duos; Galenus verò *lib. 3. de loc. aff. c. 7. & 10. & comment. ad aph. 42. sect. 2.* Hipp. quatuor constituit, quem plurimi imitantur: *Apoplexia primi gradus* est, ubi respiratio aliqualem servat ordinem: *Secundi gradus* est, ubi respirationis major adest difficultas & inæqualitas, modò enim crebra, rara modò observatur. *Tertii gradus* fortis dicitur & vehemens, in qua respiratio quidem præsens, sed summa cum difficultate æger laborat, adeò ut cum stentore spuma prodeat. *Quarti gradus* acutissima & fortissima est, in qua respiratio ad sensum abolita est, ægerque cadaveris instar jacet: Ratione causarum porrò differt Apoplexia, cùm alia sit à motore cessante, sicut in ægro præsenti, alia à via obstructa & laborante: Rursus alia à causis internis, alia ab externis, item alia à vi externa, à contusione, ictu, vulnere &c.

SIGNA IMMINENTIS interdum ferè nulla sunt, interdum præcedunt torpor & stupor, sensus amissio sine manifesta causâ, dolor capitis & gravedo subitò ac vehementer invadens teste *Coo. sect. 6. aph. 51.* somnus altus, oculorum caligo, circumgyratio capitis per imaginationem & vertigo tenebricosa, horror, incubus, tinnitus aurium ac linguæ balbuties secundum *Hippocr. sect. 7. aph. 40.* stridor dentium in somno, sternutationis conatus sed impotentia, & quæ sunt alia: In præsenti Apoplectico præcursores erant horror & vertigo. Præsentis Apoplexiæ signa satis sunt evidentia, subitaneus nempè lapsus, cum sensus & motus privatione, relictâ saltem respiratione vel difficili vel ad sensum nulla cum pulsu inordinato & parvo ut hîc vel magno, neque concussus neque punctus

ctus sentit, dormit profundè, imò stertit, membra laxa elevata concidunt suo pondere, mortuorum instar.

SIGNA CAUSARUM, ut in aliis quibusque morbis, ita & hîc ob curationem probè sunt observanda: Si enim sit à motore cessante & sanguine stagnante, plerumque adest pulsus magnus, interdum, ut hîc videmus, parvus, cum majori nisû respirationis & facili rubore, sæpè eam quoque supradicta præcedere solent signa. Si à compressione medullæ oblongatæ, pallor potiùs quàm rubor faciei observatur, neque tam subitò sensus interni omninò tolluntur, pulsus admodum debilis cum respiratione simili adest. Si à sanguine extravasato, plerumque evidens causa vel plethora præcessit. Cœterarum causarum signa ex circumstantiis & per se patent, vel judiciosâ calculatione & diligenti symptomatum observatione facilè eruuntur.

Ne verò hîc cum aliis affectibus, valdè ipsi affinibus, confundatur, operæ pretium me facturum arbitror, si signa apposuero DISTINGUENTIA: *Distinguitur à Lethargo*, quod in hoc, quamvis somnolenti sint, excitentur tamen, quod Apoplecticis non accidit, insuper Lethargum febris comitatur, in hac non, nisi superveniat, ille paulatim fit, hæc subitò. *A Caro*, tactu, qui remanet & plerique sensus, puncti enim sentiunt partemque movent, Carus sensim invadit & respiratio adest libera, hæc repentè cum respiratione vel difficili vel ad sensum nullâ: Apoplexia plerumque in Paralysin desinit, ille citrà paralysin curando evanescit. Ab Epilepsia motibus convulsivis: *A Syncope*, ubi pallor faciei & pulsus ferè abolitus cum sudore frigido. *A suffocatione uterina* dicta, colore faciei cadaveroso (quamquam teste *Lazar. Riverio Prax. libr. 8. c. 1. p. m. 360. & libr. 15. c. 6. p. 219.* interdum rubicundus observetur) fauciumque strangulatione, Patientes sensibus tum internis tum externis aliquantum constant, vocatæ enim audiunt & post paroxysmum dictorum aut factorum recordantur: *A Catalepsi*, quia Cataleptici liberè respirant, & membra rigida, Apoplectici verò resoluta habent, præterea in illa ægri in eodem situ, in quo deprehenduntur, rigidi permanent: *A Catarrho suffocativo*, quod hoc correpti sensibus motuque integris suffocentur.

PROGNOSIN quod attinet, sciendum, hunc affectum periculosum & sæpè lethalem esse, quamvis pro varietate graduum curam admittat, secundùm *Hippocr. aph. 42. sect. 2.* Apoplexiam fortem solvere impossibile esse, debilem verò non facilè. *Hippocr. aph. 15. sect. 6.* sequens ponit prognosticum. Qui valentes capitis dolore subitò corripiuntur, & protinus muti fiunt & stertunt, intrà 7. dies intereunt, nisi febris supervenerit: Grandævos ob virium imbecillitatem frequentiùs opprimit quàm juniores: Si à difficili respira-

tione sudor superveniat, præsertim frigidus, lethale. Quæ à sanguinis stagnatione oritur, solutu faciliorem esse existimo, cum medicamenta locum affectum faciliùs attingere queant, secùs ac in illa, quæ à compressione medullæ oblongatæ provenit, quod remedia hìc adhibita locum destinatum difficilius assequantur. Cum igitur à sanguine potissimùm stagnante malum in ægro nostro foveri æque ac ortum traxisse pateret, tantum abfuit, ut de salute ægri desperatum sit, ut potiùs omnis eò moveretur lapis, quò eò citiùs convenientia adhiberentur remedia.

Statim itaque, ægro in justo situ priùs collocato, pro conciliando & reddendo sanguini motu, ad nobilissimum pariter ac generosissimum auxilium, *Venesectionem* nempè, confugimus, sanguinemque è mediana brachii dextri misimus ad ℥ vj. *Celso* enim notante *libr.* 3. *c.* 28. post sanguinis missionem si non redit mens, nil spei supereſt: Magni ideò æstimanda venæsectio, cum scil. ut hìc adsit plethora & stagnatio sanguinis: Post venæsectionem respiratio liberior, pulsusque fortior erat: Subindè cochlearia duo mixturæ seq. ipsi infundebantur.

℞. *Aqu. lavend.* ℥iß.
apoplect. Sennert.
spir. lilior. convall. ana ℥ß,
tinct. castor. ʒi.
spir. sal. armon. ʒi.
ol. succin. nigr. ʒß.
syr. de beton. ℥vi. *M.*

Cervix, collum, adjacentesque partes seq. inungebantur linimento.

℞. *Aqu. anhalt.*
theriac. an. ℥iij.
spir. sal. armen.
ol. spic.
philosoph.
vulpin. an. ℥ij.
ungu. martiat. ℥iß.
M. F. Linimentum.

Quibus per dimidiam horam adhibitis oculos aperire incipiebat, membraque movere, interea frictiones & inunctiones non intermittebantur, naribus admovebatur spir. sal. armeniac. inungebanturque oleo succin. nigr. His ita continuatis per ʒ. horæ quadrantes planè æger se recolligit, remanentibus solùm, ut in historia casus dictum linguæ immobilitate viriumque imbecilitate, quæ continuatione medicamentorum dictorum brevi quoque cessarunt, & hæc ad Paroxysmum tollendum fuerunt ordinata & adhibita: Ad præservationem ipsi recommendabatur usus crebrior. spir. sal. armen. non satis laudandi vel alterius urinosi, pituitam enim viscidam ductum Pancreaticum aliosque obstruentem non solùm deobstruit, incidit & attenuat, verùm etiam humorem acido-austerum corrigit, prætereà tempore veris & autumni purgatio præcessâ præparatione instituatur pilulis seqq.

℞. *MP. Tartar. Quercet.* ʒi.
resin jalapp.
Diagryd. an. gr. ij.
ol. garyophyll. gt. iij.

cum

cum conserv. flor. lavend. F. pil. No. xilj.

S. Purgier Pillen auf einmal.

Tempore verno post purgationem venam incidere valdè quoque proficuum foret, præprimis cum æger noster sanguine abundet: In usu rerum sex nonnaturalium diætam observet exactam: Aër eligatur purus & temperatus: Cibus & potus causæ morbificæ sit contrarius. Vigiliæ & somnus non excedant: Motus mediocris præsertim ante prandium & cœnam instituatur: Imprimis verò animi pathemata & præ cœteris iram cane pejus ac angue fugiat.

CASUS IV.

De

EPILEPSIA STOMACHICA.

ADolescens, annos circiter viginti natus; Temperamentum sanguineum à parentibus nactus; Ad Academiam studiorum gratiâ missus, cum fermè per biennium Bacho & Veneri calidè, Musis tepidè litasset, vinôq; repletus discursitationibus nocturnis plateas, boatibusque aërem, sæpè repleviſſet; Nunc ab aliquot mensibus retrò crebris vertiginibus affligi cœpit. Ante paucos verò dies Medicum accedens, de animi deliquiis quæ in sella circa tempus prandii ad caminum sedentem, post aliqualem circa præcordia gravitatis & tensionis sensum, cum manuum ac pedum convulsione, capitis concussione & omnium rerum ignorantia aliquoties invaserint, singulisque vicibus per quadrantem horæ afflixerint, conquestus, opem medicam imploravit. Quæritur quis affectus, & quam postulet curationem?

RESOLUTIO.

AFFECTUS, de quo hic Ægrotus conqueritur, EPILEPSIA, notissimô vulgò nomine, vocatur: Hoc autem ἀπὸ τῦ ἐπιλαμβάνεσθαι, quòd subitò mentem sensusque omnes quasi prehendat, deduci, vel ipsis lippis ac tonsoribus est notum. Aliàs autem nomenclationes, quibus cum ab Antiquis, tum à recentioribus Medicis insigniri solet, quia parum in indicando momenti inveniſſe videntur, consultò heîc præterimus. Qui volet, plenum earum catalogum requirat apud *Excell. Sennertum praxeos lib.* 1, *part.* 2. *c.* 31.

Vi nominis excussâ, quò ipsam hujus mali essentiam propius intueri liceat, ad ipsam DEFINITIONEM pro-

properamus; utpote quâ, quid sit esse rei, indicatur. Juxta *Philosophum* 1. *Top.* 5. & 2. *Anal.* 10. Adferuntur autem definitiones Epilepsiæ à variis variæ, quarum plerasque, quòd ex meris iisque nec omnibus propriis symptomatis sint contextæ; (uti speciatim videre est in illa *Fernelii*, quam adfert *Pathol. lib.* 5. *cap.* 3. *Epilepsia est convulsio non perpetua, quâ homo subitò concidit, sensuum omnium atq; mentis functionibus interceptis, ut nec audiat, neq; videat, nec expeditus præteritorum meminerit.*) rejicimus: Docti, Accidentium propriè definitionem non esse ex 6. *Metaph. c.* 4. ad quem locum scitè admodum *Averroës, qui dicunt*, inquit, *Accidentia non habere definitionem, minus dicunt, quàm habent: Sed & qui dicunt accidentia habere definitionem, plus dicunt, quàm habent;* quibus innuere videtur Philosophus acutissimus impropriam saltem concedi ipsis accidentibus posse definitionem, quam tamen nos arti inutilem esse censemus. Consultius itaq; atq; usui medicô magis accommodum existimamus, si definiatur *Epilepsia, quòd sit defectio animi cum convulsione.*

Genus Epilepsiæ constituimus *Defectionem animi* (λειποθυμίαν Græci vocant) quam meritò distinguimus à *Defectione animæ* (λειποψυχία græcis dicitur) ad quam illa, si crebrior accidat, viam quasi sternit; unde eam patet hâc multo esse leviorem: Etenim deficiente animâ functiones cessant omnes, cessat pulsus, cessat respiratio, & tantum non vita ipsa: Deficiente animô vox sola aliquibus elidítur; Aliis ad motum vis non sufficit; Summum est, si ægri non vident, non sentiunt.

Differentiam specificam indigitamus quando eam *cum convulsione* esse dicimus: utpote quâ solâ ab aliis animi defectionibus hæc est diversa.

Signa Diagnostica per quæ nostrum ægrum Epilepsiâ laborare certi sumus, duo in casu recensentur: *Manuum ac pedum convulsio & capitis concussio;* quæ duo huic affectui adeò sunt propria, ut, ubi animô deficienti simul adsunt, nunquam talem ægrum Epilepsiâ laborare negari possit. Tertiô verò quod additur locô, *ægrum post paroxysmum rerum omnium circâ se gestarum esse insciam*, Apoplexiæ aliisque similibus cum hoc affectu est commune. Reliqua quæ à practicis passim ad hunc morbum enumerantur signa recensere, quia in nostro ægro non observantur, tutò nunc supersedemus.

Ut autem Prognostica Signa ex dictis commodiùs eruere queamus, necessum est, *Epilepsiæ Differentias* ab Authoribus observatas hic interponamus: sunt autem ex desumptæ à Magnitudine; Tempore, cum universali tum particulari; Invasionis modô, aliisque circumstantiis. Hinc alia est *Fortis*, alia *Mitis;* alia *Recens*, alia *Inveterata;* alia *quæ servat periodum & statis certisque intervallis invadit*, alia verò, *quæ istiusmodi periodos statas non observat.* Maximè tamen ad curationem facit

facit ea differentia quâ Epilepsia ratione loci, in quo ipsius delitescit focus dividitur in eam, *quæ est per Essentiam*, hoc est, quæ habet focum in ipso sanguine, & eam, *quæ est per consensum*, Sive cujus focus est pars aliqua extra sanguinem, seu, ut vulgò loqui amant, Membrum aliquod, unde etiam hæ species denominari solent: Sic, quæ est per essentiam, simpliciter dicitur Epilepsia: quæ verò est per consensum; si ventriculi, stomachica; Si Lienis splenica cum adjectione appellatur: & sic à cœteris partibus. Ex hisce igitur morbi conditionibus *varios ejus Eventus prædicere* Medico Exercitato non erit difficile. Quanquam enim Authore *Tralliano lib. 1. cap. 15.* unus hic est ex longis affectibus, qui excellentem diligentiam studiumque requirit, & si per initia neglectus fuerit, frequenter iis, qui eô detinentur, commoritur; Longâ tamen Experientiâ Æsculapii sacerdotibus est observatum, Epilepsiam aliam aliâ esse periculosiorem curatuque difficiliorem. Quia & Ratio docet Recentem inveterata; Illam in qua aliquibus saltem partibus; eâ, in qua toto corpore convellitur æger; illâ, quæ certas periodos observat, eâ quæ has non observat; Illam quæ est per sympathiâ, eâ quæ est per idiopathiam; mitiorê multò atq; adeò curatu faciliorem esse. At, nostri ista accomodemus ægro! Spem ipsi jubemus esse ratam; Cum viridis ejus ætas, Terminum curationi Epilepticorum à Magno illo sapientum doctore, *Magno Prudentum Ductore 5. aph. 7.* determinatum, nedum prætergressa; Nec non ipsius Morbi pueritia; Breviores & Periodici ejus insultus; convulsiones saltem particulares ipseque affectus sympathicus potius, quàm Idiopathicus, animum, fore tristissimum hoc malum brevi remediis convenientibus curatum, nobis addat.

Hâc spe ne excidamus, jam *considerationе causarum* huic malo & fomitem & focum suppeditantium erit opus. Frustra enim conabimur morbi curationem, si non prius sublatæ sint causæ; Frustra verò harum tentabitur sublatio, si non exacta earum præcesserit cognitio.

Causas itaque quod attinet, indicantur eæ in casu tum Remotæ, tum procatarcticæ & Evidentes.

Remotæ causæ videntur commodè posse comprehendi sub uno nomine vitæ anteactæ in totum dissolutæ. Dissolutam voco eam, quæ nullis neque Honestatis neque sanitatis legibus paret. Dum enim noster ægrotus Venere immaturâ spiritus exhausit, crapulis frequentioribus corpus afflixit tandem illud effœtum asperitatibus nocturnis radiorumque lunarium injuriis crebrò exposuit, inde visceribus, maximè ventriculô, vasis atque toto habitu cruditatibus pituitosis impletô, bona illa ac laudabilis temperatura atque insita corporis constitutio sensim est eversa, ac pro eâ vitiosa planè substituta,

Cùm itaque nullum sit dubium, quo minus ventriculus in specie scateat humoribus pituitosis corruptis, ac pravam, suôque modô venenatam

qualitatem ſpirantibus; Hinc non eſt difficile PROXIMAM & CONTINENTEM *hujus Epilepſiæ cauſam* invenire: Nimirum ea eſt exhalatio tenuis & acris, ſeu, ut cum Pelope *Galeni* præceptore loquamur, πνευματικὴ τῆς οὐσίας ὥσπερ ἄυρα, â reliquiis cruditatum in ventriculo peculiari modo corruptis orta, indeque ad cor & cerebrum delata illud primò, paulò verò poſt etiam Hoc, cum nervoſo genere, in inæqualis iſtius ſenſus, qui in orificio ventriculi ſuperiore à vapore illo aſpero tranſeunte excitatur, (*unde illa præcordiorum gravitas*) conſenſum trahens. Interim non dubitamus, quin in noſtro ægro peculiaris quædam cerebri diſpoſitio ex victu illo inordinato vertigineque præcedenti prognata ſimul adſit. Atque ex dictis nunc facilè perſpici poteſt ratio, quare Epilepſia cum ſyncope incipiat & cum convulſione deſinat.

Tandem videtur fomes ille in ventriculo deliteſcens in actum ſuſcitatus ob flammæ trepidationem oculis crebris vertiginibus debilitatis gravem; unde PROCATARCTICA etiam CAUSA innoteſcit, quæ in tantum potuit agere fortior, in quantum ventriculus jejunus ſaturo eſt debilior. Et hinc ſimul ſtati iſtius invaſionum temporis ratio pendet.

Atque hactenus de primo poſtulato egimus; nempe *quis ſi ægri noſtri affectus?* Cui neceſſariò ſubjungere debuimus Æthiologiam, quò ſic nobis pararemus viam ad curationem aptam præſcribendam, quam nunc, auſpice illo, ſine cujus auſpicio Medicæ manus nihil valent, aggrediemur.

Reſpiciat autem CURATIO paroxyſmum tum *Futurum*, tum *præſentem*, ipſamque mali cauſam.

Futurum: Curando ut is in totum avertatur, aut ſaltem minus vehemens evadat; Quod quidem vulgò in Epilepſia per conſenſum ligaturis convenientibus partibus adhibitis obtineri ſolet: Sed quia tales ligaturæ ventriculo in profundo deliteſcenti adhiberi nequeunt, Conſultius videtur, ſi noſtro ægro in poſterum porrigatur jentaculum, quo ſic abſque moleſtiæ ſenſu prandium exſpectari poſſit: Quantum enim mali jejunium Epilepſiæ obnoxiis inferre queat, patet in exemplo Grammatici iſtius, cujus meminit *Galenus 5. de loc. aff. c. 6.*

Quod ſi jam paroxyſmum eo ipſo eſſe in fieri ſentiat æger, ut tunc *pilulam ex laudano opiato*, cujus partibus quatuor una *olei camphoræ* admiſta fuerit, ſtatim deglutiat, ab omnibus practicis unô commendatur ore.

Præſentem: Materiæ afficientis citam expulſionem per ſternutatoria promovendo; Spiritus, ut ad munia conſueta revertantur, per fortes acclamationes, validas frictiones & ligaturas dolorificas incitando; Ægrũ, ſi ſedeat, humi poſternendo; denique partes convulſas in rectum & naturalem ſitum reducendo. Pollicem verò quòd adeò ſtudiosè ex manu evellat vulgus, magis ſuperſtitioſum

quàm

quàm utile judicat *Rolfinck. in Epit. meth. pract. c. 15.*

Causam (1.) cruditates pituitosas in ventriculo hærentes per decocta & hausſtus convenientes *præparando.* (2.) Easdem præparatas per *vomitum*, si ad eum pronus sit æger, sin, *per alvum* è corpore exturbando, quod tamen fiat Medicamentis non nimis fortibus; Quamvis enim *Aretæus lib. 1. de cur. diut. c. 4.* rectè quidem ingentibus medicamentis atque validissimis in morbo comitiali opus esse putet, tamen in hâc Epilepsiæ specie purgantia validiora sunt fugienda, ne excrementa aliunde ad ventriculum attrahantur, illeque inde magis debilitetur. (3.) ut ventriculus *stomachicis medicamentis* tam foris quàm intus adhibitis, quibus tamen semper Epilepsiam sive directè sive indirectè oppugnantia sint admista, roboretur. Tandē (4.) ne in posterum pravi humores generentur, aut in corpore cumulentur, circumspectiori rerum non naturalium usu ægro prospiciatur, operam dando.

Medicamenta autem remediorumque *formulas*, quibus illis indicantibus satisfieri poterit, in specie addere nunc non est animus. Cùm plaustra sint practicorum, qui eandē cantilenam, forsan ultimi ex primis, ad nauseam usque canunt. Atque sic etiam alteri postulato in casu facto satisfactum spero.

CASUS V.

De CATALEPSI.

JUvenis XXVII. annorum, constitutionis plethoricæ, honesto formosæ virginis amore captus, nihil æquè ac matrimonium cum eâ contrahendum cogitabat, optabat, rogitabat: renuentibus id verò virginis Parentibus, ex inopinatâ conjugii repulsâ, hujusque significatione, tàm vehementer fuit perculsus, ut totus immobilis & congelatus quasi, instar Marpesiæ cautis, obriguerit, sicque sedens suo in sedili per integrum diem, oculis quidem apertis & respiratione pulsuque satis integris, eundem planè situm retinuerit. Accedens tandem attonita Mater filium excitatura varia quoque tentat, sed in vanum laborans altâ tandem voce; benè speraret, voti compotem fore, & cupitam habiturum amicam, modò ad se reverteretur, exclamavit. Tum ecce! confestim ex sedili prosiliit filius, & quasi ex somno profundo expergefactus, actutùm ad se rediit. Solliciti parentes, quid morbi hoc fuerit, & quomodo in posterū præcaveri malū queat? Scire desiderantes, medicū judiciū consiliumq; expetunt.

RESOLUTIO.

OMnibus & singulis, quorum in propositâ Casûs historiâ mentio fit, benè probèque perspectis, censeo præsentem Juvenem eo correptum fuisse affectu, quem κατάληψιν Græci, ἀπὸ τῦ καταλαμβάνεσθαι, quod passim apud Autores est, *deprehendi, occupari, detineri &c.* hincque etiam Latini CATALEPSIN appellare consueverunt. Quin & aliis adhuc indigitatur appellationibus. Dicitur enim κάτοχος, vel κατοχὴ, ἀπὸ τῦ κατέχεσθαι *detineri;* quod ægri hoc affectu laborantes subitò detineantur. Quin ipse *Galenus* Catalepsin ad *Comavigilans*, aliosq; affectus accommodasse legitur, quam ob causam tamen confusionis arguitur ab *Argenterio;* sed in *Galeni* excusationem dici potest, factum id esse propterea, quod veteres vocis hujus proprietatem non adeò strictè observaverint, uti *Alex. Massaria l. 1. Med. pract. c. 15. & Gorrhæus in definit. Med. p. 216.* benè monent. *Diocli aphoniam*, sed fortè in latiore significatione, appellare placuit. Alii cum *Platero Tom. 1. prax. Med. c. 2. p. 8. congelationem & stuporem vigilantem*, alii *exstasin* nuncupant, licet & hæc potius vehemens sit aberratio, & motio mentis, adeoque differat à propriè sic dictâ *Catalepsi*, quæ describi solet, *quod sit subita ac momentanea partium corporis plerumque omnium fixatio & immobilitas cum facultatum principum & sensuum externorum læsione diminuta, salvâ manente respiratione & pulsu, à spirituum animalium immobilitate ortum habens.*

Fuisse autem *nostrum Juvenem* non tàm *apoplexiâ*, aut *convulsione*, aut etiam *syncope*, sed verâ *Catalepsi* correptum, ipsa ratio formalis, & signa παθογνωμονικὰ, in historiâ recensita, apertè indicant. Neque enim adfuit istiusmodi omnium operationum animalium repentina abolitio, quæ, sicut in *apoplexiâ* observare est, cum maximâ spirandi difficultate, ac stertore conjungitur; neque acerbus urgebat dolor, prout in *convulsiva* musculorum flectentium & extendentium affectione accidere solet, nec denique frigidus sudor, cum pulsu diminuto ferèque ablato & maximo virium lapsu, quæ *Syncopes* sunt indicia, hoc in casu memorantur, quin potius *Juvenis præsens* totus *immobilis, & congelatus* quasi, instar Marpesiæ cautis, obriguit, eoque situ ac figura, quâ prehensus fuerat, sedens suo in sedili, & apertis quidem oculis, salvaque respiratione & pulsu, per integrum diem permansit; quæ sanè omnia *Catalepticum* Ægrum nostrum fuisse, vel ipsa hoc docente Affectus hujus superius adductâ definitione, confirmant.

Quod si porrò *prægressas* consideremus *causas, ætatem* &c. *constitutionem plethoricam, amorem*, idque generis alia, aptas natas omnino illas deprehendemus, ut ad tàm rarum admirandumque affectum disponere Juvenem nostrum valuerint, pro-

ut ex inferius dicendis amplius patebit.

Ipsa denique *similitudo* calculum suum addit. Ita enim affectos homines pro Catalepticis, doctissimorum Medicorum judicio, habitos fuisse, *Schenckii, Foresti, Heerii, Tulpii*, aliorumque observationes abundè docent.

Quibus ita ostensis, roganti: *ad quamnam rerum præternaturalium classem hicce affectus nobis pertinere videatur?* Non dubitamus pronunciare, eum, cùm neque morbus, neque causa morbifica sit, sed à peculiari quadam spirituum animalium intemperie, tanquam morbo, dependeat, ortumque trahat, meritò in numerum *symptomatum* recipi, quippè quæ, ut umbra corpus, morbum immediatè sequuntur, docente *Galeno. l. de diff. sympt. c. 1.* Horum verò cum tres statuantur classes, actionum sc. læsarum, excretorum & retentorum, & qualitatum mutatarum, ad *actiones læsas*, quæ propriè sic dicta symptomata ab *Argenterio & Plempio* vocantur, meritò refertur *Catalepsis*, ubi quidem, prout diversos admittit pro suâ naturâ gradus, quandoque actiones planè *abolitæ*, quandoque verò *diminutæ* observantur. Jam enim aliqui omnem sensus motusque potestatem amittunt, quibus etiam is videtur annumerandus, de quo ita scribit *Buchananus: lib. 6. de reb. Scotic. in mediis scalis aliquis ascendentium subitô stupore correptus ita gradibus adhæsit, ut nec ullâ ratione divelli posset, & sequentibus viam præcluderet:* alii contra audiunt videntque quodammodò, & dictorum recordantur, sicuti *Galeni condiscipulus, illo ipso tempore, quæ loquerentur, audivisse se, quanquam non clarè & evidenter dixit, nonnulla etiam adhuc memoria retinens, postea enarravit. vid. Gal. Comment. in 1. prorohet. Hipp. c. 56.* Quin non omnes ita rigidi sunt, ceu exquisita Catalepsi laborantes, qualis quoq; iste censendus, cujus meminit *Jacotius, Comment. ad aph. 7. l. 2. Coac. Hipp. superiori anno*, dicens, *cum* D. Valeriolâ *Viro Doctissimo & Humanissimo, pauperem vidimus senem exsuccum & extenuatum hoc malo raptum, qui mensæ accumbebat apertis oculis, erecto & firmo corpore, manu dapibus admotâ, ut vivere & prandere mortuus videretur, & ita rigidus, ut collum à me torqueri vix potuerit:* Sed & aliqua adhuc in illis movendi potestas relicta advertitur, prout exemplum ejusmodi recensèt *Fernelius l. 5. patholog. c. 2.* his verbis: *Alterum mortui ritu jacentem invisi, qui neque cernebat, neque audiebat, neque compunctus sentiebat quicquam; facilis tamen inerat spiratio, & quiquid in os inserebatur, promtè vorabat. E lectulo sublatus solus consistebat, impulsusque incedebat, & quocunque vel manus vel brachium, vel crus inflecteretur, illic quasi fixum & stabile permanebat; Expressam quandam dixisset larvam, aut arte progredientem statuam,* Hactenus *Fernel. d. l.* Ex quibus quæ mali hujus sit latitudo, non obscurè patet; ubi tamen notandum duco, quod *Saxonia*, aliique monent, nempè

non nimis eam extendendam, quin potius, cum quandoque compositi sint affectus (id quod *depravatæ* nos docebunt actiones) *distinctivis opus* esse signis, quò tantò accuratiùs cujusque natura mali in apricum deduci & vera Catalepsis à minùs genuinâ discerni queat. Equidem libenter illis assurgo, qui cognitò per signa pathognomonica morbo discretivis indiciis nos carere posse contendunt, interim in re tam difficili & ardua non otiosam planè puto hanc industriam, cum hinc non parum lucis, præsertim in nondum satis exercitatorum mente, affundi res ipsa loquatur, hocque nobis subsidii genus commendet. Sed tempus est, ut ante omnia nunc inquiramus

SUBIECTUM seu PARTEM AFFECTAM, quod duplex sese sistit, *adæquatum* nempe *& principale;* illud *totum* esse *corpus*, quatenus ex mobili fixum redditur; hoc autem *Cerebrum* constituere pronuncio. Quandoquidem autem Cerebrum vel secundùm suam substantiam, vel secundùm structuram suam considerari potest; secundùm quam affici potissimum putandum sit, non otiosè quæritur. Nobis placet sententia *Rolfincii Epitom. cogn. affect. partic. lib. 1. part. 1. c. 8.* dicentis; non secundùm membranosam substantiam spinalis medullæ violenter tensam, sed prout est pars similaris, spiritibus animalibus perfusa, subjectum existere; spiritus enim, dum sunt subtiles atque mobiles, influunt, si secus habeant, sistuntur. Quò benè perpensò, non incongruum erit dicere, spiritus animales tùm subjecti, tùm causæ nomen habere posse, prout vel unà cum cerebrò juncti, vel separatim considerentur.

Quin & *Cor* suò modò affici, exinde patere videtur, quòd ægri per intervalla magnum spiritum ducant, & jam recedente morbò suspirioſi, tanquam ex profundò somnò, excitentur, id quod etiam in nostro *Juvene* observare licuit, & aliàs à *Roderico à Fonseca l. 2. consult. 92. p. 534.* confirmatur.

De CAUSIS porrò hujus mali rogatus; IMMEDIATAM quidem (de qua meritò jure omnium primò agitur) esse spirituum animalium imaginationi atque menti præprimis inservientium immobilitatem, atque congelationem, cum *Sennerto*, *Platero*, *l. 1. prax.* aliisque recentioribus quam plurimis respondeo: hac siquidem positâ præsentem affectum poni, remotâ verò cessare constat. Equidem non ignoro, non paucos, cum *Galenò*, *Comment. in s. 2. aph. 3.* in frigidâ & siccâ Cerebri intemperie proximam affectus hujus causam constituere, tumque posteriorem istius partem, nervosque hinc prodeuntes, sic affectos accusare, propterea quòd ii, qui per Alpes & loca nimis frigida longum iter suscipiunt, hoc sæpius morbò corripiantur, & congelati quasi rigidique permaneant. Verum enim verò, licet negari non possit, ab externo quoque frigore homines rigidos fieri posse & solere, credibile tamen vix ac ne vix quidem est, tanquam in corpore

nostro

nostro frigiditatem, unde etiam omnes nervi congelentur, oboriri, actuque existere posse. Cum enim vita nostra in calido & humido consistat, sanè quam diu homo vivit, vires utrumque suas exerit, neque ante mortem actualis illa (quam dixi) frigiditas, locum atque imperium obtinere valet: Neque aliter intelligendum est, quicquid de frigidâ Cerebri intemperie dicitur, quàm quòd comparativè ita sese habeat, minoremque inuat caliditatem, quàm Cor, aliaque fortè viscera obtinent. Et hinc etiam parum me movet, quòd alii materiam quandam frigidam & siccam, in posteriorem Cerebri partem infusam, & nervos ibidem oriundos exsiccantem atque indurantem, pro causa proxima agnoscant; patet enim ex dictis, quid his sit respondendum; & si vel maximè talem illis causam concesserim, qua ratione quæso tam subitò hoc invadere malum posset, & quomodo tàm repentè desineret? Nonne prius nervi Cerebri posteriori parti proximi, deinde propinquiores, & sic porrò remotiores quoque indurari deberent? id quod, quomodo cum subitaneâ Catalepseos invasione conveniat, res ipsa loquitur: Neque magis nos urgent, qui convulsionem omnium musculorum partes corporis tùm flectentium, tùm extendentium pro Catalepticæ rigiditatis causa obtrudere satagunt, siquidem in convulsione membra facilè flecti nequeunt, quod tamen in *Catalepsi* quandoque evenire, ea, quæ ante ex *Fernelio* aliisq; adduximus exempla, satis docent; &, si fortè quis, num verâ isti Catalepsi fuerint correpti, dubitârit tamè vel ipsa doloris in Catalepsi absentia (quâ etiâ superius innuimus) omnem hanc dirimere litem potest. Sed non est, ut in recensendis refutandisque aliorum opinionibus me diutius detineam, cùm quâ celeritate affectus hic, quos corripit, invadere soleat, ex præsenti historiâ nostrâ satis liqueat; qui sanè invadendi modus, de quacunque intemperie insigni asseratur, probari nullô modô poterit. Talem igitur hic quærendam esse causam, res ipsa docet, qua mediante repentinæ invasionis ratio investigari queat: quæ cum ex ante dictis sperari opinionibus haut liceat, *spirituum animalium immobilitatem atque congelationem* substituere cum Viris doctissimis non dubito. Cum enim omnis sensus, tàm internus, quàm externus, unà cum motu voluntariò, mediantibus hisce spiritibus animalibus, perficiatur, sua sponte videtur sequi, quæ nos recensuimus symptomata, vel resolutis prorsus atque dissipatis, horumque adeò defectu; vel iis fixatis & hinc immobilibus factis, evenire debere: quoniam verò noster Juvenis, apertis quidem oculis, corpore erecto & rigido sedens hunc situm retinuit, tumque etiam alii impulsi ambulasse aliquantisper, & oblata devorasse (quemadmodum superius ostendimus) leguntur, non tam spirituum animalium defectum, (quandoquidem sine horum præsentiâ tales actiones edi nequeunt) quàm potius congelationem fixationemque pro causa immediata

diata agnoscendam duco, adeoque ab hac ipsâ *Juvenem* nostrum Cataleptic-um factum esse, omninò persuasum habeo.

Explicatâ sic immediatâ causâ, illas quoque, quæ hanc, tanquam MEDIATÆ fovere & in actum deducere potuerunt, nunc pervidebimus. Cum verò harum *aliæ propius* feriant, *aliæ remotè magis* agant; de *istis* primò dicendum veniet. Sistunt se hoc ipso in limine & *vapores* & *humores*, quorum uterq; symbolum non leve confert; Vapores quidem quod attinet, diversum sentire autores video: sunt qui vaporem quendam membranas & medullam nervorum implentem, cum H. *Saxonia* adducunt, quorum tamen optinioni subscribere nondum possum, propterea quòd, si ita res se haberet, tum & *Paralysis* & *Convulsio* in *Catalepsi*, qua tali, adessent, quod tamen experientiæ adversatur. Rigida quidem esse membra concedo, sed paralytica esse nemo evincet. Adde quod neque convulsio, neque paralysis tam exiguo temporis spatio, prout quidem in catalepticis est observare, desinant. Satiùs itaque erit, vaporem figentem pro ejusmodi causa agnoscere: Qualis autem sit naturæ & quomodo hanc figendi vim acquirat, explicatu admodum difficile est, adeò quidem, ut non sine ratione plerique aliquid occultæ qualitatis subesse ibi atque latitare, hincque rei hujus naturam non nisi per analogismum & similitudinem quandam explicare posse, fateantur. Iccircò ex fulminis spiritus naturâ, quo vinum in dolio coagulari, hominesque quandoque rigidos effici cernimus, lucem huic obscuritati affundere laborant. Et notum est alioquin ex *Cardani* historiâ *l. 8. de variet. rer. c. 43. p. 164.* quid fulminis spiritus in octo messoribus sub quercu cœnantibus effecerit? A fulmine enim percussi atque exanimati manserunt sub eâ specie, qua discubuerânt, ut unus comedere videretur, alter ori poculum manu admovere, alius bibere: cumque nigri omnes essent, imag nem statuarum totidem repræsentabant. Similiter spiritus in terræ motibus, & è quibusdam speluncis exhalantes, aquas & animalia rigida reddidisse, passim ab autoribus asseritur, ipsiusque experientiæ calculo confirmatur. Quod si verò hæc spiritus figentis ratio mira cuipiam, & tantum non absona videatur, is latentem in nitrô vitriolô, aliisque mineralibus figendi vim atque virtutem stupendam consideret, & procul dubio plura hac de re cogitandi ansam nanciscetur. Nos interea *humorosam* quoque causam, ex qua dictos vapores elevari posse, doctiores consentiunt, perlustrabimus. Hanc verò omnis generis humores suppeditare, ex medicorum observationibus liquet. Sic *pituitam viream*, vel *pituitam cum bile*, arguit *Fernelius l. 5. patholog. c. 2. succum melancholicum* præ reliquis hic valere putat *Sennertus*, *melancholiam* quoque aptum esse humorem censet *Alexander Massaria l. 1. prax. p. 587.* unde figens vapor elevatur; *pituitam* cum *sanguine* mixtam accusat *Dodonæus*

Obs.

Obs. Med. 24. sed in nostro casu ad *sanguinem* ipsum potissimum esse respiciendum, constitutio corporis plethorica innuit. Et sane, uti reliquos humores exemplis illustrare possem, ita non desunt, quibus idem de *sanguine* judicandum esse confirmatur. Sic meminit *Aetius tetrab. 2. Serm. 2. c. 4.* cujusdam Juvenis, multo sanguine referti, qui cum triduum execiſſet, neque claudens palpebras, neq; ad vehementes vociferationes transmovens oculos, neque respondens, quarta die larga sanguinis per nares eruptione facta, ab omnibus molestiis confestim liberatus est. Equidem non ignoro *Zacutum Lusitanum Med. P. P. hist. l. 1. Mercurialem hist. 41.* & alios statuere, vel illegitimam hanc Catalepsin fuisse dicendam, vel de fæce sanguinis melancholicâ, *Aetii l. 1. d. capit. affect. c. 8.* sententiam explicandam esse; interim tamen nimiam sanguinis copiâ, non minus, ac dictos huicq; permistos humores, plurimum ad hunc affectum excitandum valere, accuratior sanguinis investigatio evincere videtur. Non urgebo, quod alii in *Galeni*, soporosos affectus etiam ex sanguine nimio deducentis, defensionem afferunt, illum nempe, si non tensionem efficiendo, saltem replendo suâ copiâ, subitoq; caput occupando hanc affectionem excitare posse; quamvis enim repletionem illam non plane rejectam velim, nihilominus tamen minus satisfacere huic difficultati arbitror: quin potius cùm ipsa sanguinis copia plurimum sulphurearum particularum foveat, id generis quoque vapores hinc elevari facile posse, unde narcoticus quidam stupor postmodum spiritibus inducatur, à veritate haud adeò alienum esse censeo. Dum verò *narcotici stuporis* mentionem facio, quale *Sulphur* intellectum velim, unà explicare animus est: neque enim me latet, esse, quæ sulphure abundant, & tamen vigilias potiùs, quàm somnium inducant, prout *castoreum* & *camphora* nos docere possunt; Et licet hosce, qui spiritum vini, aquam vitæ communiter dictam, immoderatius sumpserunt, primum summopere accendi, postea attonitos stupere, ac si opium bibissent, & stertere ad mortem usque multoties observârit *Platerus lib. 1. observ. p. 17.* certumque sit, à vaporosis assumptis liquidis, ac liberali vini, tum cerevisiæ quoque loliaceæ potu somnum concitari, tamen non nisi cum limitatione hoc accipiendum puto, quandoquidem vinum omni quasi aqueo phlegmate destitutum, si in corpus biliosum siccum recipiatur; tantum abest, ut somnum conciliet, ut potius vigiliæ contumaciſſimæ inde oriantur, prout elegantissimum hujus rei exemplum apud *Galenum l. 2. de loc. aff. 1. ult. in fin.* legere est. Quare & hoc loco perpendenda judico, quæ D. D. *Wedelius Opiolog. l. 1. s. 1. c. 12. p. 43.* commemorat, dum, in quo narcotieũ opii sulphur consistat, erudite exponit, utpote ex quibo non parũ lucis hisce tenebris affundi potest. Cæterũ haut planè negaverim, plethoricã

juvenis noſtri conſtitutionem, omni melancholicæ fæcis ſaburrâ caruiſſe, cum, quæ inferius de Amoris natura proferentur, contrarium potiùs oſtendant.

Reſtat ut REMOTIORES etiam cauſas, quæ ad antecedentium ſive generationem, ſive motionem, ſive faciliorem receptionem faciunt, percurramus. Cum autem ſint vel *naturales*, vel *præternaturales*, vel denique *non naturales*; à naturalibus hujus conſiderationis initium capiemus. Agmen harum ducit *temperamentum* tum totius, tum præſertim cerebri. Viget enim mutuus inter recipiens mittensque reſpectus, unde utriusque diſpoſitiones ſive hæreditariæ, ſive aſcititiæ, plurimum hic ponderis obtinent. Accuſatur autem potiſſimum frigidum & ſiccum, cum, præterquam quod ad cauſas hujus mali fovendas & recipiendas maximè aptum exiſtat, ſingulari laboret debilitate. Equidem nihil tale *in Juvene noſtro* deprehendere eſt, quem potius calido humidoque præditum temperamentò eſſe, hiſtoria docet; interim & hoc quoque ſymbolum conferre poſſe, utpote, plurimarum exhalationum ferax ſulphurearum, ex antea recenſitis patere cenſeo, ita tamen, ut alias, & præſertim commemoratam frigidam ſiccamque, ut & frigidam & humidam intemperiem, magis proclives huic malo mortales reddere, negare minimè quidem velim. De *Ætate* (quam video, autores plerosque, unà cum *ſexu*, harum cauſarum ordini inſercre) non eſt, ut multa notentur, cum nullam ab hoc malo ſatis tutam eſſe, Catalepticorum variorum hiſtoriæ abundè demonſtrent; & licet reſpectu uteri, qui ſexcentarum ærumnarum autor à *Democrito in Epiſt. ad Hippocratem* dicitur, ſexus ſequior aliquam hic prærogativam, quamvis valdè miſeram, habere videatur, tamen & virili ſexui has æquè caſſes, vinculaque timenda eſſe, præter noſtrum Juvenem, plures alii, quorum apud autores mentio fit, teſtari poſſunt. Utrique verò ſexui ut nunquam confert vita nimis ſedentaria, ſic non incommodè *id vitæ genus*, quod iſtâ maximoperè gaudet, ad has referre cauſas licebit.

Ambula, id lieni optimum eſt, inquit ille apud *Plautum Curcul. Act. 2. Scen. 1.* quod monitum dum plurimi negligunt, ſicque varias ſibi ipſis obſtructiones hypochondriorum, & ſpeciatim *meſenterii*, *hepatis*, *lienis*, *pancreatis*, *uteri*, *hæmorrhodium &c.* unde poſtmodum dolores capitis, aliaque incommoda oriuntur, accerſunt, catalogum nobis ſuppeditant cauſarum *præternaturalium*: ſic viri nobilis meminit *Hildeshemius Specileg. 4. p. 422.* qui multis jam annis hypochondriacus in Catalepſin tandem incidit, & poſt longum capitis dolorem in parte poſteriori capitis moleſtum, idem mali obortum obſervavit *Foreſtus l. 10. obſ. 42.* quibus addere etiam vermes licebit, quandoquidem puellam hinc Catalepticam eſſe factam obſervavit *Alex. Benedict. l. 1. c. 26.* Quin etiam alios affectus, niſi probè curentur, Catalepſin inducere poſſe,

posse, exemplum *malè curati Erisypelatis*, quod recenset *Grembsius arbor. ruinos. p. 306.* satis ostendit ac confirmat. Verùm nihil tale nostra in historia cum occurrat, opus non est, ut horum contemplationi diutius inhæreamus, quin potius

Causæ procatarcticæ & occasionales veniunt expendendæ: nam & has plurimum ad inducendam catalepsin ponderis obtinere, ex subsequuturis facilè patebit. Et quidem primò ad *aërem* quod attinet, is sanè, prout turbulentus, nebulsous, & diversis exhalationibus est refertus, diversimodè corpus nostrum afficere, ita quoque ad catalepticum rigorem, & immobilitatem spirituum, occasionem præbere potest, idque per nivosa Alpium loca iter facientes testantur, quippè quorum

- - - multi, ceu Gorgone visâ,
obriguêre gelu.

Sic *Forestus* duo militum exempla recitat, qui â gelicidio in Catalepsin inciderunt. Huc etiam non incommodè refertur, quod Cl. *Bartholinus tract. de usu Nivis p. 83.* recenset his verbis: *Notandum*, inquit, *corpora occisorum hyeme eôdem positu eademque figura, permanere rigida, qua ante cædem deprehensa sunt. Visum id extra urbem nostram, cum 11. Febr. 1659. oppugnantes hostes repellerentur, magnaque strage occumberent; alii enim rigidi iratum vultum ostendebant, alii oculos elatos, alii ore diducto ringentes, alii brachiis extensis gladium minati, alii alio situ prostrati jacebant; imo ex mari gelato, primo vere resoluto, eques equo suo insidens, integer emersit, nescio quid manibus tenens &c.* De frigoris effectu memorabile quoque est, quod legitur inter alia apud *Curtium l. 8. p. m. 346. Memoriæ proditum est*, dicentis, *quosdam applicatos arborum truncis & non solùm viventibus, sed & inter se loquentibus similes esse conspectos, durante adhuc habitu, in quo mors quemque deprehenderat.* Probè autem hic distinguendum duco, inter congelationem, quæ causæ externæ & procatarcticæ rationem habet, & inter eam, quæ propriè cataleptica dici meretur; à frigore externo latentem in corpore causam in actum occasionaliter deduci posse, non inficias eo, sed per se inducere Catalepsin, concedere nequeo, nisi quis forsitan *spiritum Gorgonicum* cum *Charletone* velit admittere, quo flante & penetrante, res obviæ actutum congelentur & indurentur. 2. Ansam quoque præbent *cibus & potus*, frigidus præsertim & siccus, qui & crassus, terrestris, fæculentus, facilè corruptibilis, uti sunt carnes fumo induratæ, legumina, lacticinia, aliaque hujus farinæ alimenta plura: vina item generosiora & vetusta, vini spiritus, cerevisia crassa, minusque defœcata, ut cerebro maximè infesta sunt, ita quoque si immoderatius ingurgitentur, insignem huic malo occasionem præbere valent, quemadmodum ex iis, quæ jam supra sunt allata, satis constat. Placet hic subjungere *medicamenta nimis refrigerantia & siccantia*, imprimis verò narcotica, tum intus tum extus adhibita, hac tamen

annexa limitatione, ut ab iis, quæ ſtuporem inducere apta nata ſunt, ritè ſecernantur: licet enim nos quoque ſtuporis vocabulo quandoque utamur, tamen non niſi catalepticum intellectum volumus. Succedunt 3. & 4. *Motus & quies, ſomnus & vigiliæ*, magnam quoque vim corpori nocivam inducentes, quod ex illis, quæ ſuperius de vita ſedentaria dixi, liquidò patet. Luculentum inſuper teſtimonium huic aſſertioni præbent lucubrationes. Sit enim ita, ut, juxta *Quintilianum lib. Inſt. Orat. 10. c. 3. p. 486.* lucubrantes ſilentium noctis, clauſumq; cubiculum & lumen unum velut rectos maximè teneat, tanti tamen hæc non ſunt, ut propterea quis corpus, caputque præſertim cruditatibus replere, ſimulque functiones naturales in cibis coquendis, deteriores reddere amet. Miſera profecto eſt Glorioſi iſtius apud *Gellium l. 13. N. A. c. 29. p. 506.* jactatio, *vides*, dicentis, *oculos meos ægros, aſſiduisque lucubrationibus prope jam perditos?* Præprimis ætate jam grandævis lucubratio animique intentio nimia nocent, quod ſuo firmat exemplo octogenarius ille, quem, cum menſe Januario in libris ſuis revolvendis eſſet nimis ſedulus, Catalepſi correptum memorat *Fontanus Analect. c. 13. exempl. 10. p. 51.* 5. *Excreta* & *Retenta*, minus rectè habentia, multum ad mali hujus generationem conferre poſſunt; Dum enim utilia excernuntur, vires & ſpiritus una exhauriuntur, hinc fit ut, totum corpus torpeſcat; quod ſi verò excernenda retineantur, omnia tetris exhalationibus turbantur, ſanguis etiam coinquinatur, ſicque ſpiritibus undiquaque tum mole, tum virtute gravis noxa infertur. Quantum denique 6. *Animi motus*, qui non immeritò *paſſiones* vocari ſolent, in corpus valeant, & quàm non ſit inauditum, ab his quoque factos eſſe *Catalepticos*, Medicorum obſervationes docent. Quod ſi verò & ipſum *gaudium*, animi affectus aliàs ad ſanitatem maxime conducens, ubi modum exceſſerit, flammulam diſſipare penitus vitalem poteſt, quid non faciet ira, triſtitia, mœror? meminit ſane *Rondelettus Meth. curand. morb. c. 20. p. 98.* puellæ ex mœrore Catalepticæ factæ; *hæc enim viro, quem parum amaverat, nupta, quoties abſens maritus erat, aut nihil de eo audiebat, reſtituebatur, audito autem ejus nomine corripiebatur; Et cum ferret hydriam, recordans mariti, in via ſedebat, oculos apertos habebat, ut larvam, aut arte effictam dixiſſes.* Sic etiam *Terroris* efficaciam & vim ſi quis perpenderit, haut ineptè cum fulminis impetu eum comparari, fatebitur. Fortè & *Juvenem* noſtrum eo fuiſſe perculſum, ut malum hoc incurrerit, videri poſſet? Imò potius *Amor* fuit, ſiquidem hoc captus, nil niſi *Glycerium* ſuam cogitabat, optabat, &c. uti ex hiſtoriâ patet. Ex tàm plandò affectu, tàm horrendus effectus? dices. Ità eſt, ut *Seneca* ad *Neronem in Octav. act. 2. p. 276.*

Vis magna mentis, blandus atque animi calor
Amor est; juventæ gignitur luxu, otio;
Nutritur inter lætæ fortunæ bona.

Siquidem cum delectabile objectum menti nimis imprimitur, continuo jactu, aut œstrô quodam irrequieto motu memoriam exagitat, adamatam speciem assiduè ingerit, ut omnem aliam accipere recuset; tunc flagrat, ardet, aduritur, dulcique amore inebrietatus animus, ab omnium cœtu sese eripit, & totus incupitæ amasiæ desiderio, illiusque imaginatione defixus amabilem pulchritudinem tantùm contemplatur, vivamque speciem cordi impressam, complectitur & amplexatur, quippe tunc jam satis irretito homine,

Labitur totas amor in medullas
Igne furtivo populante venas
Non habet lætam data plaga frontē
Sed vorat tectas penitus medullas.

Optimè idem expressit Apulejus, dum, *doloris mei causa*, inquit, *& remedium ex te proficiscitur; isti oculi tui per oculos meos ad intima delapsi præcordia, acerrimum meis medullis commovent incendium.* Quod si jam, quæ amori sive insunt, sive accidunt, recensere vellem, nihil hoc affectu admirabilius, nihil itidem vehementius esse, illico appareret. Loquatur pro me jucundissimus poëtarum *Plautus.*

Amori accidunt etiam ultro hæc, quæ diximus,
Insomnia, ærumnæ, error, terror & fuga,
Ineptiæ, stultitiæq; adeo & temeritas,
Incogitantia, cupiditas & malevolentia,
Inhæret etiã aviditas, desidia, injuria,
Inopia, contumelia & dispendium.

Equidem & idem Poëta alicubi (nî fallor) *paululum amare*, inquit, *sane bonum est*, ipsaq; nos historia docet, honesto formosæ virginis amore captũ Juvenem, nil nisi licitum conjugii fœdus desiderasse, ut proinde quis objicere nobis posse videatur, tàm honestæ rei tot vitia sine jure, nec tamen sine injuria, affricari: Verùm enim verò minimè nos ferit hoc telum, quippe qui excedentis amoris indolem describentes, nihil aliud, quàm quanta etiam moderati affectus vis, præsertim in juvenili animo, esse possit, immo soleat, aliorum ex monumentis testimoniisque ostendere voluimus. Solliciti cum res sit plena timoris amor, & cum desideriis curisque noctem, quieti aliàs dicatam, dividat, sicque corpus exsiccet, quis dubitaverit, non levem aliquam inde succi melnncholici portionem progeneratam esse, quæ plethoricam Juvenis nostri constitutionẽ tantò aptiorem, hoc ut incurreret malum, reddiderit? Optima sane ratione *Poëta* jam citatus amoris ærumnis, *errorem & terrorem* accensuit, siquidem & honestissimo uterque affectui facile accidit. Quot enim tum in Diæta errores committuntur? Ut de animi erroribus, secundum quos non satis cauta semper est mortalitas, nihil jam dicam, pariter, & à terroribꝰ subinde amantiũ angitur animus, qui sive veri, sive vani sint, in transversum tamen rapiunt.

Ex quibus omnibus ad oculum patere puto, quanta vis & efficacia causis procatarcticis, & has inter præsertim *Amori* insit. Plura in hanc rem adjicere possem, verùm cum de *Natura Amoris* exasciatam nobis reliquerit orationem, magnum in Arte Medica Nomen Gr. Horstius, non est ut faculam huic soli accendam, aut rivulis meis ab ipso fonte Lectorē abducam.

Cum igitur hæc ita, uti hactenus ostensum prolixè fuit, sese habeant, mirum non est, quod *Juvenis noster* hoc correptus affectu, varias insuper in actionibus, reliquove symptomatum ordine, læsiones fuerit perpessus: quæ sicuti antea, ceu SIGNA, nos in rem præsentem duxerunt, ita nunc, ut singulorum ratio magis pateat, per causas explicanda veniunt.

Primum, *perceptâ repulsâ totus immobilis & congelatus, haut aliter:*

Quàm si dura silex, aut stet
Marpesia cautes,

obriguit, propterea quod intenta in amorem cogitatio, quiq; inservientes spiritus animales, contraria hac significatione perculsi narcoticam illam impressionem subitò susceperint, haut aliter, ac in Jovis ignibus ictis observare licet, unde interdum Catalepticis factis assidentes vix ita correptos vix ac ne vix quidem animadverterunt. Sic narrante *Plinio l. 7. H. N. c. 52.* M. *Ofilius*, comœdiarum histrio, cum populo admodùm placuisset, natali die suo, conviviumq; haberet, editâ cœnâ in pultario calidam potionem poposcit, simulque personam ejus diei acceptam intuens, coronam è capite suo in eam transtulit, tali habitu rigens nullo sermone, donec accumbentium proximus tepescere potionem admoneret. Conferri etiam potest Hollerius, qui se vidisse testatur, qui subitò, cum integerrima fruerentur valetudine, eo malo correpti, ut, nisi interrogati, non respondissent, ab accumbentibus in mensâ vitium haut adverteretur.

2. *Per integrum diem suo in sedile sedens eundem planè situm retinuit:* quod vel spiritus animales in universum, vel quod probabilius *Sennerto* videtur, spiritus duntaxat menti & imaginationi inservientes, sed ita affecti fuerint, ut rigor iste spirituum derepentè fiens in primo sensorio, eos, qui in sensibus externis sunt, attonitos quasi & suspensos ad tempus detinuerit, ut sensum quidem habentes, eum tamen exercere haut valuerint: id quod in plures etiam dies perdurare potest; sic ille adolescens Cataleptícus, cujus mentionem facit Aetius, triduum ita exegisse & quarta demum die facta per nares larga sanguinis eruptione ab omnibus molestiis confestim liberatus legitur.

3. *Oculi* interea *fuére aperti*, ob repentinam musculorum palpebras moventium, ab nervorum spirituumque congelatione & fixatione factam immobilitatem. Quo enim in statu ægrum deprehendit Catalepsis, in eodem illum rigore per universum inducto detinet, ut ex dictis constat. Sic ille apud *Fernelium d. l.* dum literis & chartis sedulò invigilaret, repentè Catalepsi perculsus, ita quidem

obri-

obriguit, ut sedens calamumque digitis premens, *oculis in libros defixis*, putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus & impulsus, omni motu sensuque carere deprehenderetur.

4. *Respiratio pulsusque satis integri permanserunt*, ob summam scilicet necessitatem, tum quod ipsa respiratio partim naturalis, partim animalis actio fit, spiritusque animales præcipuè afficiantur. *Satis* autem *integræ hæ actiones* notanter dicuntur, siquidem, licet respiratio servetur, ita tamen cum illâ comparatum est, ut per intervalla magnum sæpè spiritum ducant ægri, pulsusque in illis similis ferè lethargicorum pulsui deprehendatur, quamquàm non ita mollis & languidus, tum verò etiam magis æqualis existat. Nimirum Respiratio & Vita pari passu ambulant, & ad extremum se spiritum defendunt.

5. *Attonita mater, varia in vanum tentavit, donec grata accessit acclamatio.* Quis miretur à tali frustra multa fuisse in usum vocata: Quid enim & *Mater* & *attonita* consilii heic caperet daretque, & ubi amor erga filium, & improvisa ægri congelatio, omnem cogitationem in transversum rapuerunt? Quid præstaret inexperta, ubi vel Expertissimorum Medicorum doctrina & industria sæpius in vanum laborat. Excusanda tamen est, ut mater, quam quò non adigeret tenerrimus affectus? Neque tamen sequioris sexus curatio nimiâ curiositate intempestivè suscepta propterea probari meretur, quippe quæ, uti nunquam non est sequior, ita quoque plus ibi molesti officii quàm salutis persentitur. Sed quid dico?

Rem omnem potiùs confecit mater, dum 6. *alta tandem vocè: benè sperare, voti compotem fore, & cupitam habiturum amicam, modò ad se reverteretur, exclamavit.* Tum enim ecce! *confestim ex sedili prosiliit filius, & quasi ex somnô profundô expergefactus actutum ad se rediit.* Casualem verò, aut potius fortuitam hanc restitutionem, à parte matris, dixerim; & quemadmodum fortuna in curandis morbis, citra artem, nihil potest, prout egregiè docet *Hippocrates lib. de arte;* ita neque huic filio profuisset, nisi Matris cum amore artis se benignitas, & exquisita Methodus, ista quidem nil minus sperante, conjunxisset. Hinc factum, ut cum contrarium causæ remedium adhiberet exclamatio, sopitus potius, quàm abolitus auditus sensus charissimæ Matris, cujus voci & blanditiis assuetus jam fuerat, is exclamationem perceperit, animusque, quòd suavissimum nuncium exprimeret significatio, hac excitatus quasi vires collegerit, eodemque impetu, quô anteà in stuporem catalepticum conjectus erat filius, omne repagulum, suavissima objecti desiderati recordatio removerit, sicque disruptis subitò illis vinculis, quibus ipsum tenacissima hæc affectio illigaverat, actutum ad se redierit.

Quibus ita deductis, quo mali genere, & quâ de causâ, laborârit filius, procul dubio parentes satis jam intelligent. Quod si verò quis putaverit, simulatum potius hunc fuisse morbum,

bum, huic recensita hactenus, si probè perpendantur, hunc scrupulum facilè eximent. Equidem non rarò invenire, qui morbos simulent, experientia docet; & jam *Galeni* tempore tales sunt reperti, unde peculiarem de hoc argumento librum conscripsit. Quin etiam *Rondeletius d. l. pag. 98.* aliquem Romæ se vidisse, memorat, qui hanc affectionem simulabat, dicebatque, se corripi ex tasi, quoties audiret verba illa passionis Christi. *Consummatum est.* Sed huic ægrotanti veternum baculo excussit, ubi d. l. pluribus videre est. Et sanè cùm difficillima res sit, per unicam duntaxat horam, eôdem situ immotum permanere, næ! per integrum diei spacium, tam pertinacem fingere totius corporis congelationem, quis sustineret?

Verâ igitur, eaque satis exquisitâ Catalepsi correptum fuisse filium, non est ut Parentes vel dubitent, vel, tanquam leve malum, ægro tam subitò ad se redeunte, contemnant. Est enim profectò gravissimus affectus, qui ut ægrum, narcotica spirituum animalium coagulatione quasi congelat, ita vel ipsum etiam medicum, eventus raritate, attonitum reddit: Licet enim cùm aliquando *Mich. Ogerus* & *Nollens* convenissent, historiamque talis ægri narrans *Henr. ab Heer lib. 1. obs. Rar. obs. 3. p. 59.* eos, num unquam istiusmodi casum vidissent? rogasset; *Nollens* se plus millies vidisse, responderit; rectè tamen laudatus *ab Heer* tegessit, putare se, non fuisse mille Catalepticos, ex quo morborum terris incubuit cohors, nullumque se præter hunc vidisse, cui, *nec ego*, respondit *Ogerus, etsi jam sexaginta fere annos medicinam facio.* Et sanè *Galenus, Fernelius, Platerus, Dodonæus*, paucique alii, quos supra citavimus, unum duntaxat alterumque viderunt, apud alios plerosque Practicos altum de illis ferè est silentium. Neque verisimile est, tàm raram rem si vidissent, tacituros fuisse. Quemadmodum verò rarissima quæ sunt, non rarò aliquid monstri alunt, ita & hunc affectum in comitialem morbum commutatum *Benivenius l. de abdit. c. 46.* observavit.

Sed satis jam de iis, quæ ad effectus hujus theoriam exponendam perdinere, notatuque digna videbantur: restat, ut etiam alteri Parentum desiderio, quô PRÆCAVERI filium à recidivâ (quam quidem *Dodonæus*, & ex illo *Heurnius*, fieri solere, sine ratione negant) aut aliis hinc metuendis malis expetunt, satisfiat. Quod dum facere ad gredior, non ingratum erit, in gratiam lectoris, paucis præmittere, qua ratione, *si durante adhuc affectu accersitus fuissem*, me gerere voluissem. Sed inchoaturo aurem meritò vellicant verba sæpius citati *Henr. ab Heer*, ita habentia: *Cùm ad satietatem spectassem; dixi: accerserent alios medicos, meq; cum statuam exuisset æger, cum illis revocarent, in casu enim ad hanc mihi diem invisò nihil tentaturum, nisi consultis senioribus.* Sic etiam ego non nisi consultis expertissimorum Medicorum observationibus, quæ tum in CURATIONE tum *præservatione* hujus affectus

fectus peragenda ducam, ad eorum imitationem annotabo, vel ipsius *Hippocratis* excitato *præceptione*, qua, *Neque sanè indecorum fuerit*, inquit, *si Medicus in rei præsentis angustia circa ægrum versatur, imperitiæ etiam tenebris circumfusus, alios quoque accersiri jubeat, quo communi consiliò, quæ in rem ægri sunt, disquirantur, & illi ad præsidiorum facultatem operas suas conferant.*

Ipso igitur IN PAROXYSMO vocatus, ante omnia spirituum animalium congelationi atque immobilitati ut per contraria succurrerem, sicque primariam adimplerem *Indicationem*, fuissem conatus; cúmque in plethorico Juvene sanguinis copia procul dubio malum hoc sive foverit, sive promoverit, (uti in theoria ostensum est) haut cunctanter *Fontem Chirurgicum* accessissem, atque ex divite hujus scaturigine generosum *Venæ sectionis* auxilium, præ aliis elegissem administrandum, ipsa insuper confirmatus experientia, exemploque, quo *Aetii* Juvenem quarto morbi die, oborta narium larga hæmorrhagia, restitutum superius jam vidimus. Secari autem dextri brachii cephalicam venam, emittique sanguinis uncias sex vel septem curassem, tum quod à plerisque practicis *Sennerto, Rolfincio, Platero*, aliisque hujus venæ incisio plurimum heic commendetur, tum quod ipsa ejus insertio & communio, ex Anatomicis nota, certam una cum diminutione sanguinis, necessariæ revulsionis operam subsidiariam polliceatur: ac denique hæc emissi sanguinis quantitas constitutioni Juvenis nostri plethoricæ, hujusque indicationi, viribus nihil contra indicantibus, probè respondere videatur. *Cucurbitularum Scarificatarum* ut & *Hirudinum applicatione* supersedissem, quandoquidem vicariis hisce V. T. præsidiis, in tam urgente malo, & ubi plethora citam requirere visa operam, nihil, aut parùm quod in rem ægri præsentem ex voto fuisset, meo quidem judicio, efficere potuissem. Quod quidem ita velim accipi, non quod *cucurbitulas*, tum scapulis, tum brachio utrique applicatas, ad revulsionem ulterius instituendam planè inutiles censeam, sed quod, V. S. neglectâ auxilium hinc satis efficax, hoc quidem in casu, frustrà sperari autumem. Idem etiam de *Frictionibus & Ligaturis* dictum volo. Utut autem venæ sectionem Juveni nostro egregiè conducere potuisse, nullus dubitem, in aliis tamen corporis constitutionibus aliter procedendum sentio, monente *Rolfincio Epitom. d. l.* qui, si à sanguine affectus oriatur, V. S. convenire, si verò ab aliis humoribus, non item, expressè scribit. Et sanè quis Sexagenario frigido & sicco, Cataleptico facto, tam audacter venam incideret? Sic & *Thonnerus l. 2. obs. p. 97.* in Fœminæ melancholico temperamento præditæ & catalepticæ factæ curatione à V. S. usu abstinuit, & evacuantibus potius per intervalla usurpatis, naturam sublevare conatus est. Hisce igitur hoc modo observatis, dehinc ad *Pharmaceuticum* me contulissem

Fontem, ea quæ vapores, ſpirituum animalium congelationem fixationemque procurantes diſcutere, immò ipſam hanc tollere immobilitatem apta nata ſunt, in uſum vocaturus. Utinam verò ſatis nota eſſet vaporum horum fixativorum natura, minùs profectò in ſelectu appropriatorum medicaminum laborarem. Hic verò rei difficultatem meamq; ab experientia adhuc deſtitutam opellam confiteri, quàm quicquam ineptè gloriari, malo, utpote valdè alienus ab illorum ingenio, qui ſi fortè unum atque alterum purgans medicamentum haut infeliciter præſcripſere, ſe jam Æſculapii famam atque dignitatem meruiſſe putant. Quare doctiorum veſtigiis potius inſiſtens, cùm plerique *Cephalica* calefacientia & humectantia; ut & talia, quæ melancholico ſucco, hincque elevatis vaporibus conveniunt, maximè commendent, id generis remedia præſenti individuo ita accommodaſſem, ut & temperamenti & aliarum circumſtantiarum me rationem habuiſſe, inde conſtare potuiſſet. Cœterum generoſioribus potius quàm levioribus uſus fuiſſem, edoctus à *Sennerto l. 2. prax. p. 589.* imò ipſa ratione, minimè à parvis hic incipiendum eſſe auxillis, quod quidem in morbis, in quibus periculum non imminet, tuto facere licet: id quod etiam inculcat *Hippocrates ſ. 1. aph. 6.* dum extremis morbis extrema convenire remedia docet. Tentaſſem autem ante omnia, num *Clyſtere* injecto, diverſio materiæ obtineri potuiſſet, huncque in finem ſequent. præſcripſiſſem:

℞. *Rad. alth. lil. albor. angelic. aa.* ʒß.
Herb. rut. mercurial. puleg. betonic. aa. Mij.
Flor. lilior. convall. ſtœchad. arab. betonic. pœon. aa. pij.
Sem. cartham ʒiij.
aniſ. fœnicul. aa. ʒß.
prun. dulc. exoſſ. N. IX.
coq. in ſ. q. aq. commun. ad ʒ.
colat. R. ʒx. *diſſolv. in hiſce*
Elect. de Tamarind. cum fol. ſenn. ʒj.
Hier. picr. cum Agaric. ʒß.
ol. rut. & chamomill. aa. ʒvj.
ſal. rut. ʒß.
M. F. Clyſter.

Notanter dixi: *tentaſſem.* Interdum enim reſiſtit natura, alviq; nimia obſtipatio. Sic in hoc affectu *H. ab Heer* etiam ab initio injici ſtatim volebat validiſſimum Clyſterem, ſed Apothecarius negabat, ſe ulla ratione ob ſtrictioris alvi impedimentum injicere poſſe, proinde glandem præſcripſit, ex ſpecieb. hier. colocynth. & ſal. gemm. &c. idque cum felici ſucceſſu, quale quidem *ſuppoſitorium* in præſenti quoque caſu conducere potuiſſe, ut nullus dubito, ita etiam ſubſtitui curaſſem. Alvo exonerata, cum corpus noſtri Juvenis non adeò impurum videatur, ſternutamenta ad majorem diſcuſſionem ſequentibus excitaſſem.

℞. *Rad. Angel. Zedoar. aa.* ʒij.
Sem. nigell. ʒj. *bacc. Laur.* ʒß.
caſtor.

caſtor. camphor. aa. ℈ß.
conciſ. & contus. M. F. Nodulus ex ſynd. rubr.
S. Büſchlein/daran zu riechen.
Vel ℞. *Aq. Majoran. lavendul. aa. ʒiß.*
Sem. nigell. contuſ. ʒij.
Caſtor. inciſ. ʒß. M.
S. Waſſer/die Naſe offt damit zu beſtreichen.
℞. *pulv. Majoran. pij.*
lil. convall. anth. aa. pjß.
fem. nigell. ʒß.
caſtor. gr. vj.
ol. aniſ. ſuccin. aa. gt. j. l. ij. M.
S. Nies-Pulver.

Interim nec *alterantia* neglexiſſem; ac licet, antequam ad ſe redierunt ægri tales, difficulter internorum quandoq; admittatur uſus, periculum tamen feciſſem, num fortè aliquid *aq. antiepileptic. Lang.* vel *apoplectic.* aut alterius *cephalic.* aſſumere Juvenis potuiſſet, ſiquidem, ut ſuperius vidimus, inventi ſunt Cataleptici, quibus oblata devorare non erat impoſſibile. Sin verò minus ita res ſucceſſiſſet, ad externa, ſeu topica digerendi vim habentia confugiſſem, cavendo in illis acetum, ne vis congelandi & figendi ſpiritus in vapore vel humore aceti uſu, juxta monitum *Sennerti* augeretur. Tandem mitioribus nihil conferentibus ad *rubificantia* & *veſicantia* deveniſſem.

Sed ne videar nimis diu extra oleas vagari, id potius agam, quod *Parentes* nunc deſiderant: cùm enim *Juvenis* ad ſe redierit, & jam nihil æquè ac recidivam præcaveri omnibus modis expetant, ut, quantum per ingenii mei vires licet, huic quoque intentioni ſcopoque, juxta methodi leges, ſatisfaciam, data opera allaborabo.

Conſtituto itaque jam *Juvene* noſtro EXTRA PAROXYSMUM, *cauſarum*, quibus malum hoc inductum eſt, *remotione unicè* ſtudere conveniet. In hac enim omnis *præſervationis* cardo vertitur. Primum itaque materia, ex quâ vapores elevantur, evacuanda, & ne rurſus generetur, præcavendum. Deinde & quoad *Vitalem Indicationem* cerebro potiſſimum proſpiciendum, cumque eo ſi quod aliud viſcus laboret, debito id modo roborandum erit.

Meretur hic iterum: ſuas *Venæ ſectio* laudes, cum plethoricæ *Juvenis* noſtri conſtitutioni nihil æque conducere, & ſine hujus adminiſtratione vix quiquam prodeſſe poſſe, ratio ipſa dictitet; Quare absque ulla dilatione ſanguinem mittendum è cephalica, ut antea dixi, ad quinque uncias, repeto, neque opus eſſe reor, ut purgans medicamentum præmittatur, quandoquidem non tam cacochymia, quam ſanguinis abundantia urget. Quod ſi verò alvus obſtructa fuerit, equidem emollientis Clyſteris, vel blandè ſubducentis pharmaci uſum minimè diſſuaderem. e. g.

℞. *Rad. alth. malv. lilior. alb. aa. ʒß.*
Herb. 4. emoll. aa. Mj
Flor. malv. violar. melilot. aa. pij.
Sem. 4. frigid. maj. aa. ʒß.
fœnicul. ℈ij.

prunor. dulc. exoſſ. N. 7
coq. in ſ. q. decoct. hord. ad 3.
col. R. ℥x. diſſolv.
caſſ. pro Clyſterib. extract.
unguent. clyſmat. aa. ℥j.
ol. violar. ℥ſß.
vitell. ovor. Nj.
ſal. parum M. F. Clyſter.

Vel ſumat prunorum Laxativorum N. IV. l. V. cum ſ. q. brod. Hoc modo viis primis reſervatis, ſanguis dicto modo imminuatur, poſtmodùm verò ut materia vapores generans, horumque elevationem fovens, evacuetur, opera danda eſt. Equidem ea videtur eſſe Noſtri conſtitutio, ut non tàm evacuatione per purgantia, quàm conſervatione per ſimilia opus habeat, verum enim verò ex cauſarum enarratione patet, licet usque adeò cacochymicum corpus heic non occurrat, tamen haut usque quaque purum exiſtere, quin potius aliquid melancholici ſucci contraxiſſe ſanginem, veriſimile admodum eſſe, quo circa gliſcenti malo occurrendum erit, ne poſtea nimium ſero medicina paretur. Sequentem ergo potiunculam non parùm profuturam ſpero:

℞. *Rad. bugloſſ. borrag. ana* ℥ß.
polypod. ℥ß.
Fol. ſenn. ſ. ſt. ℥iſß. *l.* ℥iij.
Rhabarb. elect. ver. ℥ſß.
Tamarind. ℥ß.
paſſular. min. ℥v.
Flor. viol. pij.
crem. tart. ℥i.
ſem. fœnicul. ℥ß.
Infund. in ſ. q. aq. flor. acac. & rubii dæi
Manè ebull. parum col. R. ℥iij. *add.*
ſyrup. de cichor. cum rheo roſar. ſolutiv. ana ℥ß.
aq. cinamom. borrag. ℥j. *M. F. hauſtus.*

S. Laxier-Tränklein auf einmahl.

evacuata hoc modo materia, undè ſanguis ſenſim inquinari, vaporibusque recens ſubinde fomes ſuppeditari aliàs poſſet, videndum porrò erit, ut ne nova iterum generetur, eo præſertim in viſcere, quod ſpirituum animalium generationi dicatum eſt, non neglectis interim partibus, quæ tum chyloſi, tum hæmathoſi ſuas præcipuè operas conferunt. Suaderem igitur frequentem hujus pulveris uſum, præſertim in omnibus lunæ quadris & in omni humida, minusque conſtanti aeris tempeſtate repetendum.

℞. *Spec. dialunæ Mynſicht.* ℥ij.
pulv. Marchion. ℈j.
diambr. diamoſch. dulc. ana ℈ß.
M. cum rotul. confect. Alkerm. compl. q. ſ.

S. Stärckendes Pulver auf etlichmal.

Poterit hujus pulveris ſumi pro ſingulis doſibus ℈j. in *ay. apoplect.* vel *antiepilept.* vel etiã *reſtaurant. Schröderi &c.*

Quibus omnibus denique legitimus *ſex rerum non naturalium* uſus jucundam coronidem imponat: Nullum enim, teſte *Galeno l. de Theriac. ad amphil. 4.* tam efficax remedium Medicina habet, quod ſolitum auxilium afferre

fere queat, si ei victus vel resistat, vel non cooperetur. Et sanè quantum *Diæta* in viribus reparandis, atque conservandis, tumque etiam indole nativâ immutandâ atque corrigendâ, polleat, suo ipsius exemplo, eleganter docet *Verulamius l. 5. Hist. Natural. c. 1. natum se*, scribens, *Parente non senio sòlùm, sed multis infirmitatibus ex nimio medicamentorum usu confecto, adeoque à vitæ suæ initio habuisse corpus adeò debile & malè constitutum, ut Medici determinatè asserrent. fieri naturaliter non posse, ut annum 14. attingeret: se tamen accurato victus usu & studiosâ eorum fugâ. quæ sibi experiebatur noxia, prolongasse vitam jam tùm, cùm hæc scriberet, ad annos 60. non absque spe eam ulterius producendi.* Quod quidem in naturis præsertim debilioribus locum habere minimè inficias eo; cæterum non frustra monuisse *Celsum* reor, sanos benevalentes nullis obligare se legibus, nullumque cibi genus fugere debere: in universum enim si quis nimis arctè diæteticis regulis sese adstrinxerit, non potest non graviter offendi, siquidem vel pauxillum ab iisdem discesserit. Quo sensu id, quod etiam vulgò dici solet, per injuriam tamen natum scomma: medicè vivere pessimè vivere: accipiendum esse D. D. *Voglerus diætet. comment. c. 22. p. 137.* erudite ostendit, *Celsiq.*, monitum quo usque se extendi patiatur accuratè exponit. Quæ Juveni nostro circa victus rationem observanda sint, ut nunc prolixè proponam minimè videtur necessum, cum ea, quæ de causis procatarcticis superius adduxi, illum satis instruere queant, & quandoquidem cætera sanus est atque incolumis, satis erit, si convenientem Naturæ suæ mediocritatem in omnibus observet, adeoque ab iis tùm alimentis, tùm potulentis, quæ caput replere vaporibus solent, abstineat; imprimis verò cum ex amore Catalepticum esse factum constet, hincque facilè colligi possit, quantum in animum ejus imperium id generis affectus habeant, & quàm facilis recidiva sit, sicubi ejusdem denuò cogitationibus, irritaque spe mentem suam excruciet, Parentibus consulerem, ut, si modò ita res ferat, honesto filii desiderio, id quod ipsæ etiam S. Literæ non concedunt modò, verùm etiam volunt, indulgeant; Hac enim spe facta excitatus sicuti ad se rediit, ita quoque haut melius tutiusque ab id generis malis, quam ea adimpleta, præservabitur, quod si verò gravissima quædam obstacula remoras injiciant, prohibeantque quo minus data à matre fides liberari queat, autor sum; non quidem ut assidua ebrietate, quam *Rhasis* videtur commendare, curas hasce diluat, aut magica remedia ac potionem odii, qualem meretrix amatori suo pauperi dedisse apud *Quintilianum declamat. 14. p. 167.* legitur, usurpet, sed potius ut illud *Martialis* frequenter cogitet:

Quiquid amas, cupias, non placuisse nimis.

Tumq; etiam ut, quam longissimè licet, à loco amatæ, filius sese abducat

negotiisque operam seriò impendat, curisque se gravioribus totum det, sic fore tandem spero, ut rationi appetitus obtemperet. nam

Manat amor tectus, si non ab amante recedas,
Utile finitimis abstinuisse locis.

Hinc etiam poëtæ tres illas Deas *Minervam*, *Dianam*, atque *Vestam*, utpote semper occupatas, amori invictas esse, non minus verè, quàm eleganter perhibuerunt.

Cedit amor rebus; res age, tutus eris.

CASUS VI.

De

MELANCHOLIA HYPOCHONDRIACA.

JUvenis quidam, annorum circiter XXVII. temperamentô præditus Phlegmatico-Melancholicô, variis cum obstructionibus, Lieni à multis hactenus adscriptis, proximô præprimis annô conflictatus, à quibus tamen acidularum potu maximâ ex parte liberatus; cùm jam omninò se restitutum crederet, & alioquin naturæ suæ viribus confisus varios in diæta errores, non tantùm ad ebrietatem usque sæpè sæpius poculis indulgendo, sed & cibis δυσπέπτοις, ut carnibus fumo induratis &c. crebrius utendo, commisisset, primùm à cibo sumpto anxietates in præcordiis sentire cœpit, mox, intercedente aliquando intensâ nimis & cum vita solitaria ac sedentaria conjunctâ studiorum ratione, quotidiano ferè dolore capitis, vertigine, tinnitu aurium tentatus præter murmura, ructusque acidos satis molestos, æstu, doloreque in Hypochondriis, præsertim sinistro, circaque ventriculi regionem affligitur, cibi depravati & corrupti per vomitum rejiciuntur; totius ferè macies adest, quibus quandoque difficilis respiratio, cordis palpitatio inquies, falsaque imaginatio, alvus adstricta & urinæ varietas, cum mœrore animi per intervalla rediens accedunt: rebus sic stantibus, æger de salute ac sanitate anxius atque sollicitus, Medici auxilium implorat.

RESOLUTIO.

QUod illis, quibus hostem aggredi animo constitutũ est, dictitari solet, ut quàm cum hoste congrediantur, prius vires ejus explorent, &, qua id viâ fieri possit, cognoscant; idem planè tùm Experientia, stultorum (Empiricos puta incautosq; alios & qui his sese concredidere) Magistra, tùm Ratio Medicos edocuit, ut, ad ægri lectum accersiti, ante omnia

alia

alia ad Morbi ideam atque cognitionem per apparentias sive PHOENOMENA comparandam, operam primam conferant, illâ enim cognitione ritè ex causarum illius indagine inventâ, facilius multò erit, remedia, quibus eundem debellare, & cœteris, ut decet, constitutis superare possis, invenire: Quod cùm in præsenti morbô tentare animus sit, æquum maximè fuerit, ante omnia, morbum ipsum ut exploremus, cujus expensis phœnomenis ultrò patebit, arbitror, morbum, quô æger hic noster laborat, esse MELANCHOLIAM HYPOCHONDRIACAM. Satis enim illud produnt antegressæ obstructiones, ventriculi imbecillitas, anxietates à cibo, respirandi difficultas, aurium tinnitus, flatus copiosi, in ructus erumpentes, Hypochondriorum æstus ac dolor, & quæ cœtera sunt in Historia enarrata; verùm *Hypochondriacæ passioni Melancholicum* quoq; affectum adjungi, attestantur Mentis confusio, tristitia sine causa ipsi ægro manifesta, pathemeta & mœrores animi; Hæc igitur, ne gratis dixisse, vel in cognitione morbi deceptus videar, operæ pretium erit, phœnomena ista singula examinare, id quod priusquam fiat, non abs re fuerit opinor, quid Medici per *Melancholiam Hypochondriacam* intellectum velint, paucis inquirere.

Dicitur a. AFFECTUS, quo præsens Æger laborat (signis, omnibusque attendendis attentis, riteque perfitatis) *Hipochondriacus* (1.) à *loco* nempe, in quô primariò mali fomes hæret, *Hypochondriis* puta, quorum nomine veniunt omnia in abdomine seu infimô ventre viscera contenta, ventriculus cum intestinis tam tenuibus, quàm primariò crassis, coli præcipuè pars *Hypochondrium* sinistrum occupans, atq; ex augusto in angustum angulari figurâ curvata ad renem sinistrum ac Lienis regionem vergens; hinc (2.) etiam *Spleneticus* vocatur, à loco vicissim affecto, liene sc., qui principaliter hîc affecti vulgò, sed falsò creditur, id quod ex seqq. planum fiet, & tandem (3.) ut in levioribus hisce breves simus, *Melancholicus*, sive *Melancholia Hypochondriaca* & *flatuosa* dicitur, vernaculâ nostra, die Miltzige Hertzdruckung/die Miltzbeschwerung/das Miltzstechen/die Miltz-Melancholey.

DEFINIUNT autem (sed descriptione potius *Medica*, quàm *Logica* definitione) hunc affectum, quod sit, *Delirium absq; febre & audaciâ, sed cum tristitiâ, mœrore & anxietate, citra manifestam causam, à sanguine, crassitie & fœculentiâ, ex acido illo vitioso Triumviratus*, (sit venia verbo) *obstructiones intestinorum, variaq; in Hypochondriis symptomata causante, commaculato, elevato & cerebro communicato, Spiritusq; animales inquinante ortum ducens.*

Generis vel conceptûs convenientiæ locum occupat delirium, in hoc enim convenit cum aliis immanibus deliriis, Phren. sc Mania, Hydroph. &c. Reliqua descriptionis verba *differentiam* tùm à *subjecto*, tùm à *causis* & *adjunctis sympt.* desumptâ, constituunt.

Vidi-

Vidimus equidem in antedictis, ægrum noſtrum, Melancholia Hypochondriaca affici, verùm enim verò eundem planè morbum eſſe, quo æger noſter affligitur, ac unice convenire cum illo, qui in ante allata deſcriptione proponitur, probandum reſtat, quod ut in actum ducamus, à *ſubjecto* ordiamur oportet, poſito enim tali *ſubjecto* p.n. habente, ponatur & ipſe morbus neceſſe eſt.

Faciliori namque viâ in Morbi notitiam & Curam venimus, ſi prius *ſedem* ejus ſive SUBIECTUM oſtenderimus, circa quod variæ Autorum ſententiæ nobis occurrent: Conſtat quidem, *Cerebrum*, *Spiritusq.* animales maximè hîc affectos eſſe, num vero primariò, an ſecundariò? hîc indigitandum, nam complicato affectui competit & complicatum ſive duplex ſubjectum, quorum unum *principale*, alterum *minus principale*, ſalutatur, *ſubjectum* a. *primarium* non unum idemque ab omnibus cenſetur; Quidam ſolum *Lienem* cum *Ventriculo* & *Meſenterio* ex *Epate*, per vas venoſum attrahentem craſſum ac limoſum ſuccum, Melancholicum dictum, illum alterantem, atque ex ipſo conveniens ſibi alimentum elaborantem, reliquumque inutile ad ventriculum per vas breve amandantem, ſubjectum mali hypochondriaci judicant, inter quos *Galenus* potiſſ. & *Avicenna*: Sunt & qui in hoc affectu *Pancreati* & *Peritonæo*, ceu facit *Sennertus*: vel Meſenter, tanquam corpori, cloacæ ſimili, multum attribuunt, uti *Schenckius*: Alii in ramis *venæ Portæ* & *arteriæ cœliacæ*, ac *Meſentericæ* majoribus, qui ab Epate & Liene ad Ventriculum & vicina loca tendunt, ſedem cauſæ hujus affectus conſiſtere ſtatuunt. Verùm rationes omnium hîc ſubjungere, aut quasdam ex illis examinare velle, inſtituti ratio haud permittit; utatur quilibet ſuô hîc ingenio, modò meam de hac re ſententiam exponere mihi liceat, ubi quidem ſilentii peplo involvenda neutiquam erit *Helmontii* opinio, quâ ſuo hujus loci Duumviratui male habenti, vel ob poteſtativam facultatem minus rectè gubernanti culpam adſcripſit; intelligit autem per *Duumviratum*, mutuum Lienis cum ſtomacho commercium atque conſpirationem, & demonſtrare conatur, ſplenem inſpirare fermentum digeſtivum ſtomacho atque cerebrum obedire deliro Duumviratui, *Laxa enim, inquit, atque confuſa ſunt cerebri phantaſmata ſi ſplenis noxa incurrat, quod patet in delirio febril. Hypochondriacus &c. & caput per ſolum actionis regimen auſcultare ſtomacho*, nam vertiginem è ſtomacho prodire, ibidemq; eadem radice, qua ſyncopen, provenire explicat, ali, atque ſic in Duumviratu animam eſſe ſtatuit; videſis *tr. ejus de ſede animæ & Jus Duumvir. inſcript.* Verùm enim verò præterquam quod valdè obſcura ſint quæ affert, & quædam etiam à vero non parum abludant, in reliquis præter

ter nomina parum novi adferre in medium videtur. Lienem pro subjecto hujus affectionis principali plurimi Autorum statuentes reperiuntur, quorum sententia inferius, ubi de causis agendum, prolixius proponetur; Restat ut nostram de *subjecto* tum *princip.* tum *minus princ.* sententiam addamus. Illud itaque *Hypochondria* esse, in specie autem *Intestina* sub *Hypoch. sinistro* contenta, *jejunum* sc., potiss. autem *Colon*, cum *Excell. Ettmüller.* statuo, quod & probat *Schenck. lib.* 3. *obs.* 17. *p. m.* 363. ubi de Colici doloris novis agens observationibus, dicit quosdam Melancholiâ affectos omnia timuisse & mirificas metuendi causas sibi finxisse; id quod etiam testantur juvantia, sicut idem *L.* 1. *observ.* 7. *p. m.* 135. observationem huc facientem recenset, de Juvene Melancholiâ difficili, cum diuturna alvi adstrictione detento, qui post multorum remediorum inutilem usum, clystere tandem injectô, & Sir. de rhabarb. exhibito, intra paucos dies convaluit: Facit etiam huc, quod teste eod. Schenck. d. l. Colicus morbus Hippocrati, omnibusque ferè veteribus vel ignotus, vel alio nomine, *Ilei* sc., descriptus fuerit; quia autem diversa sunt symptomata *Ilei* & *Colici* doloris, putandũ censeo, Colicum antiquitus quidem innotuisse, sed Hypochondriacæ affectionis, sive ab Arabibus *Mirachialis* nomine vocatum fuisse, eò quòd abdomen Arabibus *Mirach* vocetur, in quô loco plurimi flatus percipiuntur, sola verò præconcepta opinione, ac sine ratione manifesta Lienem, ejusque parenchyma tanquam obstructum & infarctum hic incusarunt: *Intestina* autem in nostro Juvene maximè pati atque reverâ subjectum constituere, confirmat tandem symptomatum congeries, *rugitus & murmura in hypochondriis, inflatio, flatus, æstus, dolor*, quæ omnia ex Liene proficisci, quis asserat? Sed intestinis, specialiter verò *Colo* collectione pituitoso-Melancholicâ infarcto proprium, ut flatus cum murmure intus occultentur; lienis enim parenchyma hoc neutiquam, neque etiam inflationem admittit. *Hoc* v. scil. *minus principale subjectum* sive remotius, *Cerebrum* cum *spiritibus animalibus*, crassitie atque impuritate ab admixta aliena materia & præcipuè Melancholica sive acida, & denique corpore sive motu imminuto contaminatis, esse, abundè ostendunt *vertigo, tinnitus aurium, falsa imaginatio, mœror animi*, aliaq; in diagnosi proposita & explicata phœnomena, quæ nonnisi in cerebro, ortumque animalium p. n. constitutione quærenda esse, fusius ibidem ostendetur; secundariò etiam cerebrum laborare probat historia, ab *Exc. D. D. Meibomio, Profess. in Julia Celeberrimo*, in illustri quadam personâ observata, & alicubi (locus jam non succurit) recensita, quæ cum doloribus intestinorum colicis in specie admodùm esset obnoxia, quoties hi gravius ingruerent, citra ullam febrem delirare incepit, non prius mentis amotione cessante, quàm dictus cessaret dolor.

Cognito sic morbi hujus subjecto ac perspecta ipsius sede genuina, æquum est, ut jam ad enucleandas ipsius *Causas* progrediamur, is enim scire haud potest, quomodo morbos curare conveniat, qui unde hi sint, ignorat. *notante Celso. L.* 1. Reperio autem tot fermè de causa hujus affectus sententias, quot mihi scriptorum libros inspicere contigit; ut pauca tamen ex his afferam, *Veterum alii* in Calorem immoderatum venarum Mesaraicarum, quæ ad ventriculum & intestina deducuntur, obstructionemque earundem à crasso sanguine ortam, & ex his generatos vapores ad caput ascendentes, ibidemq; Spir. ac mentem perturbantes, causam mali referunt, inter quos est *Rondeletius*, qui ipsemet hoc affectu laboravit, verùm obstructiones illæ viscerûm effectus potius atque morbosa producta sunt ab intemperie & materia viscida atque crassa oriunda; *Alii* hunc affectum fieri propter antipraxiam viscerum putant, intemperiem nempè ventriculi & Epatis, illius frigidam, hujus verò calidam, ajuntque ventriculum hîc in causa esse, ut chylus propter frigiditatem ipsius substantiæ semicoctus trahatur à calido hepate, cujus minimum in cruorem, reliquum verò omne in excrementum facessere credunt, quæ dein ansam præbeant variis corporis incommoditatibus ac obstructionibus, unde flatus, vaporesque adusti oriantur, ortique alias partes per consensum afficiant, hinc delirium si ad cerebrum ejusmodi fumosæ exhalationes ferantur, anxietas & tristitia si ad Cor: sed viam, per quam halituosi isti flatus ac vapores ex Hypochondriis ad Caput & alias partes ferantur, non unâ omnes ratione determinant, quidam enim uti *Helmont. & ex Recentior. alii* planè negant, posse tales vapores atque effumationes immediatè ad Caput ferri, quia ex ventriculo & aliis partibus nihil possit deferri ad cerebrum nisi per vasa: Suum autem duumviratum hîc extollens, omnem ferè molestiam in pylori furorem, ex gas quodam flatuoso ortum & Pancreas referens, cerebrum planè innoxium censet, duumviratui enim adscribit proprium intellectum, vim nempè phantasticam animæ, ubi autem Mesenterium non excludit, ponit enim originem primorum sensuum in stomacho & primorum motuum in splene, in quo omnium perturbationum energia posita sit, cui & mariti nomen, illi autem nomen mulieris attribuit: Pertinet huc *Paracelsi* Tartarus, qui nihil aliud est, quàm succus acidus facilè coagulabilis vel coagulatus, vitioque primæ digestionis h. e. ventriculi fermentationis & secum vitiosæ separationis generatus, quod si minora & angustiora obsideat vasa, eaque oppilet, obstructionum author existit. *Galenus* & qui hunc sequuntur causam ponunt esse atram bilem, quæ ex sanguine in liene separetur & Mæ S. iterum communicetur; quamvis verò Lien hîc non ab omni culpa immunis sit, contra beneficium tamen naturæ esset, si segre-

si segregaret excrementum ac iterum Mam. S. eò inficeret, dum enim Lien laborat vitio, vel obstructione, ita ut pori in fibris nerveis Lienis obstruantur, spiritus etiam non possunt affluere & sanguinis coagulationem præservare, fluxibilitatemque conservare, unde sanguis redditur Melancholicus, h. e. acquirit crassitiem & fœculentiam: verùm hæc omnia producta potius morbosa, quàm causæ radicales videntur, quod confirmat *Sylvius*, qui *disp. de Liene* dicit, se in cadaveribus longè ultra 100. dissectis & ex his plurimis per omnem vitam malo hypochondriaco, Melancholia &c. laborantibus, imò ob illam extinctis, semper satis sanum ac floridum observasse hoc viscus, nunquam vero inflatum, induratum, vel obstructum. Ortum autem hujus affectûs adscribit *Succo Pancreatico* acidiori & pituitæ satis copiosæ ac viscidæ permisto, bile interim existente valdè inerte, vitiatoque sic Triumviratu, (ut cum eo loquar) causam hujus mali explicat; Nos igitur in tanta sententiarum diversitate, cui nostrum adjiciamus calculum, vix invenimus, ecquid tamen sentiamus, aliquo modo circa subjecti enucleationem veritatis inquirendæ gratia indicavimus, hinc etiam nunc ultimæ huic sententiæ subscribimus.

Antequam verò CAUSAM IMMEDIATAM uberius exponamus, operæ pretium erit, pauca quædam de œconomiæ animalis statu differere: Uti g. vita est in sanguine & spiritu, ita & sanitas ac morbus sunt ac dependent ab illis effectivè & radicaliter, suntque in partibus continentibus non nisi relativè. Jam spiritibus & sanguine naturaliter se habentibus, corpus erit sanum, spiritu verò & sanguine p. n. dispositis, actionum sequitur læsio, sive corpus ægrotat: dispositiones autem illæ p. nat. oriuntur à læsa sanguinis fermentatione, fermentisque viscerum depravatis; Spiritus peccant vel influxu, vel motu, deficientes in debita subtilitate. Hinc ob partes solidas non tam lædi actiones, quàm impediri, à quibusdam dicuntur, vitiata nempe sua organiaca conformatione: Unde & hæ Lieni & Mesenterio vulgo adscriptæ obstructiones absque dubio ex ventriculi fermenti nimis acidi depravatione, indeque orta depravata eruditate acida, vel succi Pancreatici nimio acore ortæ fuerunt, (omne enim acidum extra stomachum & ductum Pancreaticum hostile corpori, vel tantillum intra Mesaraicas venas admissum sexcentorum morborum causa existit annuente *Helmont. C. de sextupl. digest. aliment. p.* 131) quod prægressa diæta, ut & juvantia medicamenta, nimirum acidum absorbentia manifestè produnt. *Antipraxia* illa viscerum, stomachi nempè frigida & hepatis calida intemperies, quæ plurimor. affectuum mater & hîc quoq; à multis causa statuitur, sua non caret difficultate, nisi quis talem in viscere intemperiem vocare velit, si fibræ à natura vel flaccidiores, vel rigi-

diores fuerint, sique tubuli magis vel minus ampli existant, nam ventriculus accusatus, quoad substantiam, retinet eandem figuram & situm, in corpore vivente, & vitium est ab assumptis, vel fermento ventriculi nimis acido fixo, cum copioasa viscida pituita in stomacho hærente, vel S. vitioso, vel humoribus circulantibus pro nutritione præstanda ad ventriculum delatis. Porrò, quid de *Melancholia* p. n. à veteribus in hoc affectu accusata, sentiamus, exponendum restat. Cuilibet autem rem intimius consideraturo manifestè apparebit, Melanchol. illam p. n. nihil aliud esse, quàm acidum illud quacunque de causa aut modò in primis viis vitiosè depravatum, unde & Melanch. ab *Hippocrate* acidus succus nominatur, de quo ut certiores evadamus, pedem paulisper hîc figemus. Ex antea allatis concludimus, dari quoque morbos sanguinis & spirituum, qui omnes adscribuntur vitiatæ ejus fermentationi, à duorum salium, Alkali nimir. & Acidi, proportione læsâ, originem habente, sive nunc Acidum præpolleat, uti hoc in affectu, unde sanguis coagulatur, sive Alkali Volatil. prædominetur, unde idem planè dissolvitur; horum autem vitium vel in motu & subtilitate, vel impuritate consistit, quæ utraque differentia in Juvene nostro continetur, dum nimirum Ma. ejus Sa. ex cruditatibus multis acidi vitio, tum in sanguine, tum fermentis viscerum, ventriculo præprimis & intestinis contentô, culpam adscribentibus, nimiam crassitiem & fœculentiam nacta, pro ratione partium & officii hæc atque alia symptomata profert, unde ωtus tam vitales ex tali sanguine geniti, quam ex his animales non satis volatilisati, sed fixiores & quasi condensati, impurique facti imminuto motu actionum inducunt læsionem & depravationem. Quemadmodum enim externæ tenebræ pavorem indicunt, sic ωtus tali crassa materia quasi obnubilati phantasiæ sedem tenebris similem reddentes menti denique mœrorem, tristitiam ac timorem inferunt. Ubi quidem non tàm æstimanda videtur intemperies Calid. humid. frig. &c. decantatique illi quatuor humores, quàm, quæ in hoc cortice Salia latitare diversa, deprehenduntur. Quod & *Hipp. lib. de natura hn. text.* 21. non obscurè innuit, dum non calidum & frigidum &c. inquit esse, quod magnam agendi vim habeat, verùm amarum & ϴsum, dulce ponticum, acidum &c. & alia sexcenta, ut proindè non ex qualitatibus primis, quippè quæ non adeò magnam agendi vim habent, causas morbificas eruendas esse rectè quis collegerit. Confer etiam *libr. de affection. s.* 44. *tx.* 14. *&* 15. *& lib.* 3. *de diæta s.* 20. *&* 22. ubi apertè deducit, quomodo ex cruditate acidâ quamplurimi affectus cachectici dependeant, quâ de re apud *D. D. Ettmüllerum h. m. Celeberr. Practic. Lipsi. & Prof.* ibidem suo tempore meritiss. in *tr. Medic. Hipp. Chym. p.* 27. plura videri possunt.

Hacte-

Hactenus de *Causis propinquis*; accedo ad Remotas, quæ variæ esse possunt, *Temperamentum* pituitoso Melancholicum, vitæ status sedentarius, qualis in ægro nostro occurrit, impeditur enim hoc modo sanguinis volatilisatio, undè partes activæ à sanguine non eliciuntur, sicque spiritus ad inserviendum menti minus apti redduntur, hancque ob rationem hoc malum Hypochondriacum Eruditorum malum dici suevit: dispositiones namque ejusmodi naturales præternaturalibus occasionem dare plerumque solent. 2. Etiam sex *Res non naturales* generationis & cumulationis acidi hujus vitiosi causæ existunt, has inter primas tenet *Aër*, in quô, (si saluber,) alias vitæ cibus occultus latet, si enim in aëre lucido ac temperato versamur, sumus hilares, quia sanguinem in legitimo fluxu conservat, sin vero sub aëre crasso, nebuloso ac pluvioso, variisque peregrinis particulis infarcto, degimus, solito sumus tristiores, quatenus nimirum aër ille crassus M. S. incrassat, ex quô crasso & fœculento sanguine non possunt non generari crassi ☉tus, qui minus prompti sunt ad actiones exequendas. Accedit *Cibus & Potus*, quorum ille quidem qualitate, quantitate temporis assumendi ratione, quâ nova prioribus nondum digestis ingeruntur, & circa assumendi modum, non tàm in ordine ciborum assumendorum, quàm in inordinata deglutitione, sine masticatione præmissâ, peccatur, unde decem boli benè masticati non tam nocent, quàm unus non masticatus, qualis enim cibus, talis chylus, prout autem chylus, ita se sanguis habet, & hunc æmulatur nutritio, quod partes nutrientes, æquè ac nutriendas, crassus enim reddit sanguinem crassum & fœculentum, & vitia primæ digestionis nunquam corriguntur in secundâ, neque etiam in tertiâ; id quod ita se habere, vix ullus morbus, quàm hic noster, æquè evidenter patefacit. *Potus* quoque suum symbolum adfert, vitiosa qualitate hostilis, nimis acidus, sic vinum, uti est hominum nectar in legitimo usu, ita hujus abusus, qualis & in ægrô nostro, ad Ebrietatem huic sæpius indulgente, occurrit, lethiferum evadit venenum, dum ☉tus ejus volatilis ☉inus, Sulphureus, Spiritus animales prius in motus inordinatos adactos, mox figit instar opii, aliorumque narcoticorum, eosque inde torpidos & ad actiones debitas ineptos reddit, aciditate verò extra stomachum existente toti corpori hostilia in Intestinis tormina, variaque alia symptomata producit, aut fermentando facilè acescens, qualis est cerevisia alba, vulgò der Breyhan / quæ non ritè fermentata varias cruditates & obstructiones producere valet; peccans qq. in excessu vel defectu. Considerandа venit etiam ipsa stomachi cruditas acida, ex qua in intestinis postmodum per vitiosam fermentationem producuntur flatus, infarciente eadem de causa copioso muco intestina & in specie Colon ejusque cellulas.

Motus nimius dissipat Mæ. Sæ. par-

ticulas volatiles, unde reliquus sanguis incrassatur, à sumpto cibo etiam mox institutus, nam violentiâ tali cibos nondum ritè digestos è ventriculo protrudit. *Quies* vero *& otium* ubi excedunt, retinentur excernenda, quibus postmodum retentis, augentur cruditates, quæ M. Sam impuram reddunt, uti alvus & suppressæ hæmorrhoides, quibus Excretiones nimiæ addendæ, à quibus vires enervantur, & humores benigni absumuntur: Idem efficiunt somnus & vigiliæ, si debitum excedant modum. Imprimis autem *animi pathemata* maximum hic conferunt momentum, præcipua enim, si non tota ferè quandoque hunc morbum producendi vis & ἐνέργεια in illis posita est, prout suô quoque exemplô Æger noster id abundè confirmat. Quibus tandem præternaturalis & Cacochymica tum sanguinis, tum aliarum partium pituitoso-Melancholica dispositio, quam sibi Juvenis noster, ex variis obstructionibus prægressis contraxit, quæve acidularum potu in tantum quidem, ast non in totum sublata est, accedit, quæ dispositio ad materiam pro generatione acidi cujusdam vitiosi in primis viis adaugendi coacervandam plurimum valet.

Hinc varias possumus elicere DIFFERENTIAS, siquidem Melancholia Hypochondr. alia incipiens & levis, alia inveterata & fortis est, in illa symptomata quoque leviuscula sunt & ægri vel nihil omninò vel parum quid mente moventur, at ubi inveterata sive confirmata est, uti in hoc nostro Juvene; tunc manifestè ægri delirant non aliter, ac Melancholici, qui ex vitio Cerebri per Essentiam affliguntur: meritò itaque, cum *Sennerto* & aliis differre inter se Aff. Hypoch. & Melanch. Hypoch. pronunciamus, cùm Melancholia Hypochondr. semper cum aliquo delirio, aliàs levi, aliàs autem forti sit conjuncta: Ab aliis verò sibi cognatis affectibus ratione loci, doloris quem infert, situs, partisque affectæ facilè discernitur.

Jam antequam ad *Prognosin* & *Methodum medendi* accedamus, ratio ordinis requirit, ut PHOENOMENΩN sive apparentiarum CAUSAS breviter explicemus: *Anxietates* in præcordiis à cibo sumptô observantur, quat. spiritus crassiores cordis ventriculos nimis coarctant, unde sanguis crassus ab assumptis viscidis genitus, circulum suum non ita feliciter & promtè permeare potest: Quin pleraque ferè, quæ in hoc affectu occurrunt, phœnomena, explicare possumus per sanguinem crassum ac fœculentum, hincque elicitos crassos & in motu tardiores spiritus sive per acidum vitiosum, quod sanguinem incrassat & fœculentum reddit, dum primum in Ventriculo hærens, cruditatem acidam; fibrasque ejus vellicando ac irritando, sæpè *Vomitum* inducit. Ex qua vitiosâ fermentatione ab acido per egrino inductâ, dum intestinorum mucô viscido particulæ viscosæ tenaces atque terrestres oriuntur, & in Hypochondriis

fluctu-

fluctuant, fit, ut accedente vellicatione partium liberior illis transitus negetur, hicque in sese quasi coactæ, *rugitus* & *murmura* excitent, ubi v. motu à se invicem discedere conantes majus requirunt spatium, atque ita ex angusto in augustum, (haud ferè aliter ac in æolipylis contingere videmus, quâ de re *vide sis Ren. Des Cartes c. 4. de Meteor.*) tendunt; flatus in corpore producunt; Irruentes verò in Hypochondria vel distendentes ipsa Intestina, ea inflant, ut intumescant vehementius & quasi violenter divellantur cum acerbo Laborantium cruciatu atque dolore, propter nervos ibidem locorum variè disseminatos: In consensum etiam facilè trahitur ipsum diaphragma, quod quasi totum nerveum & præcipuum juxtà quosdam, respirationis organum est; unde *difficilis excitatur respiratio*, cui accedit, quod in cerebro materia morbifica augeatur, ibidemque partes crassiores cumulentur, ex quibus obstructio nervorum respirationi dicatorum sequitur; ♃tibus animalibus ingressus denegatur, vel saltem illi inordinatè ad diaphragma fluunt, neque liberè moveri possunt. *Dolor etiam Capitis adest*, sanguis enim constans partibus crassis, viscidis & ad motum ineptis ad cerebrum ascendens, intumescentibus arteriis infunditur in poros partium, imò in ipsos minutissimos meningum poros, unde propter compressionem tubulorum cerebri & extensionem meningum à partibus pituitosis & viscidis cephalalgia producitur; Eædem partes crassæ & pituitosæ ad Cerebrum raptæ, oblinentes superficiem concavam ventriculorum, poros obstruunt, ut Spir. an. non possint progredi secundùm lineam rectam, unde resilientes circumgyrantur, ac motu circulari moventur & sic *Vertiginem* causant. Unde sæpè aliqualis commotio, quæ si fortior sit ad meatum usque auditorium protenditur, atque exin levis fluctuatio atque *tinnitus aurium* advertitur. Acidum illud vitiosum stagnatione suâ in muco Intestinorum corrodentem vim contrahit; imprimis quando Bilis concurrit acris, moxvè ex ipsorum confluxu efferveſcentia contingit, unde halitus acerrimi adq; superius Ventriculi orificium assurgntes ipsum acriter mordent ac rodunt, quod ubi fit, *æstus Hypochondriorum*, *cardialgia* sive circa *ventriculi regionem dolor* acerbissimus subsequitur. Sanguis insuper ex stagnante tali acido crassus & viscosus vehementiùs in Cordis thalamis efferveſcens, (sanguis enim Melancholicus multo ⊖ acido si imprægnetur, ante terrestris, ad talem raptum fit valdè proclivis) majus requirit spatium, unde Cordis latera magis amplientur necesse est, & sic oritur *Cordis palpitatio*, cui excitandæ multum ponderis etiam Spiritus cum impetu & inordinatè per nervos sextæ Conjug. Cordi dicatos influentes ex mente quorundam Recentiorum tribuunt. Perturbatio autem ♃tuum facile fieri potest, dum in nervis circa Hypochondria ♃tus turbantur, qui

qui ad Cerebrum delati similem turbationem ictibus in cerebro hospitantibus incutiunt & ita ἀταξίαν inferunt, vel, uti stomachus sæpiùs insons, capitis luit pœnas, & perturbatis in Cerebro ictibus an. alii in ventriculi nerveis fibris hærentes similem ἀταξίαν incurrunt, sic etiam Spiritus animal. in Ventriculo & Hypochondr. lacessiti, vel halitu quocunque contaminati, Cerebri incolis malum communicare possunt, ut ita *delirium* inde oriatur, quamdiu enim filamenta nervea leviter ac blandè pulsantur, tamdiu etiam actiones juxta naturæ leges fiunt, cùm verò organa inepta redduntur, anima etiam suas actiones perficere non poterit. Ut ita non incommodè filamenta illa nervea cum chordis Citharæ conferantur, quoad justam dispositionem, tenuitatem ac debitam extensionem, quæ ad harmoniam & concentum suavem producendum requiruntur. Crassiores etiam isti ictus semel moti, diutius servant motum, nec ab aliis in motu facile impediuntur, segnius quidem, sed constanter seu continuatâ serie moventur, semel enim modificati ab objecto aliquo tales spiritus, semper eandem irradiationem offerunt menti; & hæc est ratio, quare semper cogitent tali affectu correpti de uno sive altero objecto, antea menti repræsentato; qualem Casum recenset Celeberr. *Zachias in Quæst. suis Medico-Legal. L. 2. T. 1. Q. 9. §. 17.* dum inquit, Vidi præter cœteros, Presbyterum & moribus laudabilem, & non aspernandæ doctrinæ, qui ex Hypochondriorum vitio delirabat, putans se animam agere & modico interjecto tempore expiraturum, ob hunc mentis errorem hic interdum in terra stragulo substrato tanquam mortuus jacebat, facibus circum se accensis, comedebat tamen, discurrebat &c. Sic etiam Spiritus isti variè & confusè in Cerebro moti, variosque ac inordinatos motus glandulæ Pinealis seu Conario imprimentes causâ sunt, ut Mens non possit non confusè judicare, variaque & confusa sibi imaginari, quamprimum enim æquilibrium & indifferentia spirituum in Cerebro tollitur, Spiritus ita moventur, ut non auscultent animæ imperio, undè *falsa imaginatio*: Quod autem mens judicet juxta consuetudinem sive motus impressos, exemplo doloris probari posse videtur. Percipimus interdum in somno varios dolores, æquales illis, qui ab ense, vel alio quocunque objecto infliguntur, quod aliunde non provenire videtur, quàm quia tunc Spiritus in Conario talem caulant motum, qualem alius ensis produceret: Prout quidem hæc à *Carteſio*, ejusdemque asseclis explicari, ulteriusque illustrari solent. *Alvus adstricta & Urinæ varietas* adest, à vitio effervescentiæ in ventriculo & intestinis, quando bilis & succus Pancreaticus labem contraxerunt, tunc fæces manent immixtæ, quæ tunc cum fero partim ad vesicam transportantur, hinc pro diversitate admixtorum urina varia ad intestina vero delatæ exsiccantur fæces & propter visciditatem & aciditatem

tem fucci Pancreatici indurescunt. *Pathemata & mœrores animi*, hosce ad affectus producendos maximam in Machinâ nostrâ afficiendâ vim habere pluribus ut hîc ostendamus, ratio instituti haud permittit, si interim cuidam plura de illis videre libuerit, adeat *Celeberr. Zachia Quæst. Medico-Legal. de amore* præprimis & amante *tit.* Ut & *Valetudinar. infantile Exc. Viri D. Ettmülleri, Geiger.* quoque *Microcosm. Hypochond. Willis* de Melancholiâ, *& Cartesium* anteà memoratum in eleganti suo *tr. de passionibus animæ*: Huc non nulli referunt affectum *Judæ Ischarioth*, putant enim quidam, inter quos *Heinsius* & *Hugo Grotius*, verba illa de interitu infelicissimo proditoris nequissimi Judæ, apud *Matth.* & *Lucam* occurrentia, intelligenda & explicanda esse, de morbo quodam ex animi tristitiâ & mœrore ingenti propter nequissimum patratum scelus ac ex gravissimo conscientiæ exulceratæ stimulo & cruciatu contracto, qui morbus ob spiritus angustiam ἀγχόνη, sive angia dictus, Judæis familiaris sit, à quâ affectione, fauces sive summas gulæ gutturisque partes cum anxietate maxima præcludente, strangulatum quasi Judam interiisse arbitrantur. Hanc verò litem Theologis dirimendam relinquimus, ne falcem in alienam messem mittere velle videamur. Interim plura de hac re qui legere voluerit, Jacob. *Gronovii Exercitat. Academ. de pernicie & casu Judæ. Lugd. Bat.* 1683. *in* 4. *edit.* consulere poterit. (Quarum contenta in *tractatis eruditorum Lipsi. Actis Calend. Decemb.* 1684. habentur.) Haud quidem negandum puto, posse ex varia animi passione modo hunc, de quo agimus, modò alios corporis affectus, excitari, id quod exempla apud *Schenck. Marcell. Donatum* aliosque occurrentia satis confirmant, ipsaque ratio spirituum vim & energiam in humano corpore examinans quasi ad oculum demonstrare videtur. *Mœror animi, per intervalla rediens*, Juvenem nostrum occupat, quia Acidum illud vitiosum sanguini communicatum facilè efferveſcentiam instituit, per illam autem efferveſcentiam quædam particulæ ad cerebrum raptæ cùm sint acidæ, facilè cum spiritibus animalibus, qui alkalinâ naturâ sunt, similem efferveſcentiam, in cerebro incipiunt, (omne enim alcali cum acido facilè fermentare, chemiæ peritis non est ignotum) unde *lætitia* & *hilaritas*, cum autem hæc fermentatio sive pugna inter acidum & alcali in cerebro non ita diu subsistere possit, spiritus tum coagulantur & incrassantur ab acido, imò etiam ipsi interdum quoad crasin degenerant & fiunt acidi, ita ut non amplius hilaritas, sed *tristitia & mœrores* per intervalla oriantur.

PROGNOSIS: Cum itaque ægrotans noster tot tantisq; malis se oppressum animadverterit, justa omninò illius est solicitudo, quâ ob metum majoris mali, quod enumerata modo symptomata sive phœnomena videntur minari, ad Medici

opem anxius festinat, meliori certè judicio ac solent illi, qui, nisi mortem jam præ foribus sentiant, omne Medicorum consilium insuper habere consueverunt; Ac est sanè, quo de sibi æger noster plurimum metuat, imminensque malum ope Medica avertere laboret. Melancholia namque Hypochondriaca in quocunque subjecto reperiatur & à quacunque sit, semper est longa, diuturna & contumax, nec facilè prorsus tolli potest, quin sæpè homines ad sepulchrum comitatur, unde & à nonnullis opprobrium & flagellum Medicorum nominari suevit.

Valdè autem periculosum & curatu difficile malum est, quia (1) afficiuntur partes nobiles, Cerebrum obstruitur, undè irradiatio in reliquas partes à Spiritibus non potest fieri (2) Spiritus animales, qui sunt rectores Machinæ Pneumaticæ, diuturnitate temporis à Crasi sua desciverunt, (3) Textura viscerum, *Intestinorum* & *Ventriculi* præsertim, est immutata, totaque Ma. Sa. valdè crassa & viscida, unde tota Curatio ad talem intemperiem viscidam depellendam dirigi debet (4) animi pathemata quoque accedunt, *Spiritus enim tristis exsiccat ossa*, & humore Melancholico superabundante, mores animi temperamentum corporis, notante etiam *Galeno*, sequuntur, facit hinc sua natura homines morosos, & ab omni humana societate alienos reddit, quo de vid. *Zacchias p.* 309. §. 32. Et tandem (5) durante sic affectu per consensum, excitari proprius & ex *sympathico idiopathicus* fieri potest. Interea tamen spem sanationis aliquam promittit virium robur & Ægri ad medicamenta sumenda promptitudo & obsequium, accedit etiam, quòd nondum sit per *Essentiam*, sed Æger per συμπάθειαν duntaxat falsâ imaginatione metuq; &c. laboret.

Cognitâ morbi indole, ejusque symptomatibus, proximum erit, ut quâ methodo CURATIO sit instituenda, dispiciamus; Hinc *Indicationes* seqq. benè attendendæ hîc veniunt: Mucilago primò acida & austera parietibus *Coli* infiexi adhærens tanquam cruciatuum Hypochondriacorum terebrantium & contorquentium causa continens, incidenda, attenuanda, & per inferiorem gutturem, ut loquitur *Plautus*, rejicienda est: Postmodum danda venit opera, ut obstructiones tollantur, acidum in primis viis vitiosum ulterius mitigetur, sanguinis quoq; Crasis restituatur, nec non Spirituum animalium inordinationes emendentur, viscera quoque omnia, præpr. Cerebrum & nervosum genus, confortentur, & deniq; symptomata urgentiora, quoad fieri potest, mitigentur: Quibus *Indicationibus* ex *triplici* Medicorum *Fonte* satisfacturi, primo statim in limine litem inter Practicos oriri, *an V. S. hic locum habeat*, nec ne? observamus, plurimi negativam tuentur sententiam, quidam vero affirmativam defendunt, verum enim verò cum nullum V. S. Indicans hic occurrat, sed potius humores

mores valdè Cacochymici peccent, non video, quid commodi hinc sperari debeat? Plethorâ verò aliàs præsente, maximo cum Ægri emolumento & commodo V. S. administrari posse non inficior, *Venæ* quidem *salvatellæ* incisa laudatur, si quid tamen prodest, fieri hoc videtur, non quod hujus administratio peculiariter in Melancholicis prosit, uti quidam, rationibus tamen & experientiâ destituti, putant, sed quod, cum parcius inde evacuetur sanguis, exiterato hoc auxilio vires non adeò debilitentur; sic *Hartmann. in praxi Chymiatr. p. m.* 288. §. 11. Venæ Salvatellæ sectionem, in morbi statu administratam magni hîc facit; *Fonticulorum* autem inustio maximè hic locum habet, utpote quæ in morbis Chronicis continuò materiam peccantem abducit: Par ratio habenda quoque erit *Cucurbitularum* scarificatar. & *Hæmorrhoidum* apertarum, quæ præ V. S. non nisi tamen corpore prius probè expurgato, in usum commodè huc vocari possunt.

Quoad *Pharmaciam*, varia sese obferunt Auxilia, quæ tum *corrigendo*, tum *educendo* Acido vitioso in primis viis, alibique hærenti plurimum conveniunt, tùm denique viribus reficiendis symbolum satis efficax conferunt. De quibus omnibus ut ita agamus, quò Juvenis nostri potissimum habuisse rationem videamur, ante omnia ad subducendam alvum Clysterem emollientem esse præmittendum ducimus, h. m.

℞. *Rad. alth. malv. ana* ʒß.
polypod. q. ʒvj.
herb. malv. c. tot. parietar. violar. ad Mi.
fl. chamomill. melilot. summit. aneth. ana p. ij.
sem. fœnicul. ʒiß.
Coq. in s. q. ▽. *Comm. ad* ʒ.
Col. ℞ ʒx. *dissolv.*
Elect. de Tamar. c. fol. sen. ʒß.
Lenitiv. Flor. ʒiiß.
hier. simpl. ʒi.
ol. viol. chamomill. ana ʒß *s. l. parum.*

M. F. Clyster.

Dehinc, ut ventriculus à crudis & viscidis humoribus, fermenta ejus obtundentibus & peregrino acido inficientibus liberetur, sicque prohibeatur, quo minus medicamentorum postea adhibendorum usu, peccantium humorum saburra ad intimiores viscerum recessus periculosè rapiatur, *Vomitorium* propinandum suaderem h. vel simili m.

℞. *Tart. Emet. Myns. gr. iiß. l. iij. Sach. finiss.* ℈ß.
M. S. Brech-Pulverlein auf einmal.
c. Cerevis. calid.
Vel ℞ *Syrup. Emet.* ʒß. *l.* ʒvi.
S. Brech-Safft auf einmal.

Vel si Æger respuat in tali forma præscripta commodè adhiberi possunt Pilul. N. Emetic.

Liberatis sic à viscoso acido viis primis, ad instituendam humorum in M. S. coacervatorum *præparationem*, prælenti in Casu semper necessariam, *aperientia* & *incidentia* varia in usum vocanda veniunt, quò deinde commodius, minorique cum difficulta-

ſicultate *Purgantia* uſurpari queant. Hunc in finem ex magno *Digerentium* & *præparantium* apparatu ſeqq. fore proficua Ægro noſtro cenſerem.

℞. *Sir. de 5. rad. vel aperitiv. Tim.* *ex ſucc.* ℥vj.
fumar. ℥iij.
Aq. aperit. Schröder. ℥iv.
antiſcorb. Dorner. ℥ij.
Spir. aperit. Penot. ℥iij.

M. S. Digeſtiv-Tranck auf etlichmal.

Doſ. ℥iij.

Vel ℞. *Rad. Cichor. filic. ana* ℥i.
pæon. ℥ß.
helen. ℥ij.
herb. ſum. Ceterach. ſcolopendr. Marrub. alb. ana Mi.
fl. geniſt. chamædr. bugloſſ. ana p. ij.
paſſul. minor. ℥iß.
ſem. cartham. contuſ. fœnic. aniſ. naa ℥i.
Coq. inſ. q. ſeri lact. caprill. deſt. ad ℥.
Col. ℞. ℔iß.
adde Sir. de pom. Borſ. ℥iß.
aperit. Minderer. ℥iß.

M. S. Alterir-Tranck.

Hujus Apozematis uſus ſit talis, ut quotidiè, jejuno ventriculo ℥iij. ſumantur, poſſetque cuilibet doſi inſtillari Clyſſ. mineral. ad gutt. vj. ℓ. ℈ß.

Quod ſi verò loci & temporis commoditas permittant, Acidularum, præſertim Swalbac. potus huic ſcopo apprimè poſſet inſervire, cùm enim non parùm ♂. Vitriol. aliorumque Mineralium eas ingrediatur, viſcoſam ſanguinis ὑγρασίαν validè incidere, acidumque ita corrigere valent, ut viribus illius fractis tertium quodpiam, ſalſacidum vocari ſoleat, indè reſultet.

Ubi vero præparatio jam ſufficienter eſt peracta, id dare operæ oportet, ut peccans materia educatur. Quando autem plerique Practicorum fortiora & quæ particulis ſuis diſſolutis remotiores partes nimis vellicare ac irritare ſolent, medicamenta purgantia damnant, (niſi fortè malum fuerit nimis contumax) Juveni quoque noſtro non niſi blandiora primùm propinanda conſulerem, idque eo magis, quòd horum, æquè ac præparantium, uſus ſubinde repetendus ſit. Talis itaque potio præſcribi poſſet.

℞. *Rad. polypod. q.* ℥iiß.
helen. ℥i.
herb. meliſſ. Ceterach.
fl. violar. geniſt. ana p. j.
Fol. ſen. ſ. ſt. ℥iiß.
Rhab. el. ver. ʒß.
agar. tr. ℥i.
paſſul. min. ℥i.
Crem. Tartar. ℥i.
ſem. aniſ ʒß.
Inf. per noct. inſ. q. ▽ *ſcolopendr.*
Col. ℞. ℥iij.
adde Sir. pomor. de Cichor. cum Rheo. ana ʒß.
Tinct. Tartar. gutt. vj.
Aq. Cinam. borraginat. ℥i.

M. F. Potio.

S. Lariertränckle in einmal.

Quod-ſi verò arriderent pilulæ, poſſent exhiberi tales.

℞. *Maſſ. pilul. Tart. Q.* ℈ß.
Extr. Ellebor. nigr. ℈i.

Reſin.

Resin. Gialapp. gr. iv. l. v. c. Tinct. Tart.

F. l. a. Pilulæ N. xv. Consperg. pulv. liquirit.

S. Laxier-Pillen auf einmal.

His ita peractis, quies Ægro per triduum, aut amplius, pro re nata, concedi debet, postmodùm vero *Aperientium* & *Attenuantium*, & quidem temperatorum, usus ritè continuandus est: Hunc in finem ne natura uni alterique assuefiat, loco sæpius laudatorum, Tinctur. ♂. cum succ. pomor. parat. it. Tinctur. antihypondr. *Glanzii*. Clyss. Mineral. vel Spir. aperit. *Penot*. permista cum jusculis aperientibus, vel Aq. lupulor. aq. hypochondr. Timæi, aut alia, ceu convenientibus maximè vehiculis propinari possent.

Neque *Diuretica* & *Diaphoretica*, evacuato jam quadantenus corpore negligi debent, quippè quæ malo hypochondriaco inprimis consecrata, & propria videntur. e. g.

℞. *Essent. diaphor.* ʒi.
Spir. fl. sambuc. ʒß.
C. aq. fl. sambuc. ʒiiß.
Sir. Cardben. ʒij.

M. S. Schwitztranck auf einmal.

Blandiora verò semper esse debent sudorifera, cum enim huic morbo *Scorbutus* se socium jungere, & scorbutici aliàs plus justò quandoque sudoribus diffluere soleant, cautè hic agendum esse patet.

Inter *Diuretica* varia non ultimum locum occupant ☉ lin. alcalina, eaque pariter blandiora: Hinc *Arcanum duplicatum Myns. c. sal. Cent. min. genist.* &c. permistum nostro Juveni quandoque exhiberi posset.

Vel ℞. *Spir. aperitiv. P.* ʒiß.
☉ *dulc.* ℈j.
Tinct. Tartar. ℈ß.

M. S. Harntreibender Spiritus 10. bis 15. Tropffen.

Vel ℞. *Ocul.* ♋ *ppt.* ʒiß.
pulv. liquirit. ℈j.
sem. lycopod. ℈ß.
☉ *genist.*
fraxin.
tamariscor. ana ℈i.

M. S. Treibendes Pulver auf 6mal.

Præmissis sic universalibus, particularia etiam evacuantia quæ vitiosos humores, atque stimulando, pituitosum in ambitu partium capitis collectum rejiciunt, adeoque & ipsam seri viscositatem & coagulationem corrigunt, in usum vocare convenit, quod facient *Errhina* ex Majoran. fl. lil. convall. helleb. alb. & ex his varia Composita.

Hæc dum aguntur, *Confortantia* tùm *stomachica*, tùm *Cephalica* subinde admiscenda, vel intervalla exhibenda veniunt, quæ cum Aperientium naturam magna ex parte æmulentur, tantò feliciori cum successu huic Indicationi satisfacient. Proderunt v. talia:

℞. *Elix. propriet. Sennert. c. succ. hb. parat.* ʒiij.
Spir. filic.
Meliss. ana ʒß.
Tinct. ♂ *cum succ. pom.* ʒij.

M. S. Stärckendes vermischtes Elixier/ davon 30. Tropffen Morgens zu nehmen.

Vel ℞. *Tinct. ♂ Zvvölfer.* ʒß.
Essent. Carminativ. D. M. ʒi.
S. Milß-Tinctur.

Laudem quoque suam hîc meretur *Opiata Antimelancholica*, quam describit Tim. à *Güldenkl. l. 1. Cas. 16. p. 41.* cujus ʒß. vel ʒj. Æger noster interdum sumere poterit, cùm enim constet alkalinis fixis variis, absorbendi vim habentibus, singulare hinc emolumentum sperare licebit.

Vel ℞. *Conserv. beton. Rorismar. Calend. ana* ʒi.
Rad. helen. condit. ʒvj,
pulv. Cardam. Min. Cubeb. ad ʒii.
Spec. latif. Galen. ʒiij.
Cinam. acut. ʒi.
Caryophyll. ℈ij,
Elix. propr. s. acid. ʒi.
Ol. rorismar. gutt. xij,
M. F. Condit.
S. Stärckende Lattwerg/ offt einer Castanien groß zu gebrauchen.

Ac quoniam vigiliæ in hoc Affectu utplurimum urgere solent, Laudani opiati succ. Pomor. Borsdorff. imprægnati unum vel alterum granum tempore decubitus, non sine successu propinandum censerem, cum *Verzach, obs. Med. p. 146.* Tim. à Güldenklee/ & aliis: Imprimis si cum aptis specificis combinetur, in specie cum castoreatis medicaminibus, hoc dolores intestinor. omnium optime sedabit Narcoticum. Vid. *Observ. River. & Stöcker. in Prax.*

Ab *internis* nunc ad *externa* progrediendum, corpori enim nostro fragili non solum illis, sed & hisce, illorum utplurimum complementis, maximè prospiciendum, quæ inter inconsiderationem in hoc affectu veniunt Balnea, Balsa. &c. *Pediluvia* instituenda circa horam decubitûs, è *fl. Chamom, Melilot.* & simil. *Caput* lavit *B. Mæb. fol. lactuc. c.* ▽ font. decoctis, indeque levamen morbi sensit. *Cucuphæ & Balsa.* quoque ad tempora, nares, bregma, nucham, serobiculum Cordis non erunt contemnenda: Qui plura desiderat, adeat Practicos, *Macasii prompt. mat. med.* vel *Hodeg. Medic.* multa equidem ex illis adhuc adduci potuissent, ast exscribere talia cujusvis est, rectè autem & in tempore adhibere difficile.

Restat nunc DIÆTA, quæ ut ritè instituatur, paucis hunc quoque fontem, qui maximi ponderis hic est, & cui alii in eradicatione hujus mali primum dant locum, libabimus: Absolvitur autem legitimo sex rerum nonnaturalium usu, quô de *videsis* egreg. *tract.* Anglic. idiomat. script. ac inscript. *Themethod. and. means of. enjoying. health, vigour, and. lang. live*, in 8. ab Aut. *E. Maynvvaring. Med. D.* 1683. Londin. edit. cujus præcipua argumenta in supra citat. *Eruditor. Lipsiens. Actis* continentur; *Aer* igitur sit ab omni inquinamento liber atque purus, temperatus ad calorem tamen inclinans, contra vero frigidus, crassus, caliginosus, nebulosus & inclusus exulet, hinc illorum mos nequaquam probatur, qui aëre licet serenô, puro ac tranquillo existente, vix rimam in ædibus suis patere volunt, sed tanquam in cryptis

& specu-

& ſpecubus concluſi, aërem vix unquam ventilatum admittunt, quin potius ſordibus variis ex negligentiâ inquinatum, neſcio quâ præconceptâ periculoſæ mutationis opinione inducti, reſpirando attrahere non dubitant.

Cibos eligat boni ſucci, facilisque coctionis, contra vero qui viſcoſos & craſſos generare humores ſolent, fugiat: Nocent hinc & fructus horæi, omniaque ſaccharata & dulcia, utpote quæ acidum vitioſum augent, unde poſtmodum variæ vitioſæ fermentationes excitantur: Acquirunt autem acidum illud à Calce, quæ illorum ad præparationem uſurpari ſolet, unde fit, ut dentes à Saccharo tam facilè corrodantur. Neque inſuper ſufficit, bonis uti alimentis, niſi etiam debita quantitate, tempore & modo ſumantur, ſiquidem aliàs optimi corruptio fieri peſſima conſuevit.

Idem de *potu* & reliquis rebus nonnaturalibus ſentiendum.

CASUS VII.

De

OPHTHALMIA.

JUVENIS quidam XXIV. annos natus, temperamenti ſanguineo-bilioſi, cum per tempus aliquod victu calidiori, imprimis carne bubula cœpis vel raphano marino vel aromatibus, conditâ delectatus fuiſſet, ſuperque bibiſſet vinum ſatis generoſum, factum ut primò dolorem capitis, non tamen continuum, ſed mox remittentem, mox iterum infeſtantem cum oculorum dolore perciperet. Nihil autem periculi hocce habere malum ſibi imaginans, genio liberalius indulgere cœpit, quo facto pejus in malum incidit, nam progreſſu temporis tanto correptus fuit oculorum dolore & ardore, cibiſque faſtidio, ut diutius hoc malum perferre nequiverit. Quapropter gravius metuens diſcrimen, Medicum accerſi curavit, qui primo intuitu oculos rubicundos, tumidos lachrymasque ſtillantes, caput valdè calidum, Pulſum quoque plus juſto celeriorem, in reliquis benè ſe habentem ægrum deprehendit.

RESOLUTIO.

SI quis oculo paulo accuratiori omnia ac ſingula in modò recenſitâ hiſtoriâ conſideraverit ac perpenderit ſymptomata, is procul dubio non errabit, ſi AFFECTUM, de quo Juvenis noſter conqueritur, OPHTHALMIAM dixerit, nomen à *ſymptomate* & *parte affectâ* habentem. Dicitur

Dicitur *Ophthalmia* Græcis, ut ab ovo rem exordiamur, Ὀφθαλμία ἀπὸ τῦ ὀφθαλμῦ ab *oculo*, sive *parte affectâ*, teste Galen. *l. 2. M. M. 2. pag. m. 34.* Sebitz. *Manual. Medic. part. 2. Sect. V. c. 32. p. 624.* Latinis dicitur *inflammatio oculorum*, quo in sensu etiam sumpsit Hippocr. *l. 3. aphor. 11.*

Hinc *ophthalmiam* DEFINIMUS: quod sit *inflammatio oculorum, imprimis verò tunicæ annatæ, cum rubore, tumore, dolore & ardore, à sanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente easq; distendente, aut planè erodente ortum habens.*

Generis loco hic ponitur *inflammatio*, quoniam omnia accidentia, quæ ad inflammationem requiruntur, *dolor* nimirum, *rubor*, *tumor* &c. in ophthalmia inveniuntur, quod etiam testatur Galen. *libr. 2. de tumorib. cap. 2.* pag. m. 330. & *libr. de differ. morb. c. 13. p. 19.* it. *libr. 4. de compos. pharmacor. secund. loc. c. 2. p. 565.* pertinetque ad morbos compositionis: teste Donat. Anton. ab alto mari *de medend. Human. Corp. mal. c. 10. p. 260.* & Galen. *de differ. morb. c. 13. p. 19. & 20.* it. Hieron. Capivacc. *libr. de affect. oculor. p. 158.* Adest enim (1) *Intemperies oculorum* calida, & sic pertinet ad morbos intemperiei calidæ; adest (2) *læsa conformatio*, quod videre est ex aucta magnitudine, & sic morbis conformationis accensetur: adest denique (3) *Unitas continui soluta*, quod ex dolore satis manifesto patet, & sic ad morbos solutæ unitatis refertur.

Dicitur *Inflammatio oculorum*, ad differentiam aliarum partium, quæ quoque inflammationibus sunt subjectæ, e. g. meninges, pleura, pulmo &c.

Sequitur, *imprimis tunicæ annatæ*, ut excludantur reliquæ tunicæ, quibus oculus gaudet. Notum enim est ex anatomicis, oculum varias habere tunicas & quidem (1) *annatam*, quæ saltem est ligamentum, test. Donat. Anton. ab alto mari *cap. X. de medend. human. Corp. mal. p. 259.* Galen *lib. 4. de compos. pharmac. secund. loc. cap. 2. p. 565.* & *libr. X. de usu part. c. 7. p. 680.* mediante quo oculus firmatur, ne ex suâ orbitâ excidat, & impropriè ad oculi tunicas refertur, (2) *Corneam*, (3) *Uveam*, (4) *Retinam*, addit adhuc *Barbette* in sua *chirurgia* aliam tunicam, quam *vitream* dicit, & à multis malè omissam esse asserit. vid. Barbett. *Chirurg. p. m. 325.* Sed quoniam hæc propriè huc non spectant, sicco etiam pede prætereibimus.

Additur porrò cum *tumore*, *rubore*, *dolore* &c. ad confirmandam inflammationem, nam hæc omnia sunt *signa inflammationis pathognomica.*

Sequitur tandem, *à sanguine acri confertim ac cum impetu in arteriolas ac venulas irrumpente* &c. quæ ultima verba hujus morbi *causam proximam* designant.

Reverâ autem rem se ita habere, Juvenemque nostrum *ophthalmiâ* laborare, haud obscurè signa in historia recensita confirmant, & quidem.

Essentia-

Essentialiter consequentia id quoque asserunt. In *qualitatibus* enim mutatis oculi apparent rubicundi, caput exploranti tactui valdè calidum occurrit, pulsus plus justò celerior deprehenditur.

III. Causæ progressæ id etiam confirmant, quippe quæ partim partis debilitatem augere, partim bilis acrimoniam intendere, sanguinisq; motum concitatiorem reddere satis idoneæ sunt.

Hisce itaq; missis ad contemplandum *subjectum* sive *partem affectam* progredimur.

SUBJECTUM, uti superius quoq; in definitione innuimus, dicimus esse *oculum*, pretiosissimam corporis nostri partem, organum lucidissimum teste Galen. *lib. 3. de us. part. c. 10. p. m.* 496. Notandum autem duplex dari subjectum, nimirum *adæquatum*, & *inadæquatum: Adæquatum* subjectum, quod aliàs dicitur *denominationis*, est *oculus; inadæquatum* sive *immediatum* est *tunica*, quæ dicitur *annata*. Illam etiam Hippocr. *lib. de princip.* s. 18. tx. 12. p.m. 122. simpliciter τὸ πρόσθεν τῆς ὀφθαλμὸς λευκὸν vocat. Riolan. autem *lib. 6. Anthopogr. c. 4. pag.* 448. eam nihil aliud, quàm *ligamentum* oculo, ne exorbitet, circumjectum esse putat.

Cœterùm cum omnis morbus dependeat à sua causâ morbifica, nostrum erit, inquirere hoc in affectu in *causam morbificam*, & quidem *proximam* & *immediatam*.

Dicimus itaque CAUSAM PROXIMAM ET IMMEDIATAM esse sanguinem acrem, confertim ac cum impetu in partem affectam irrumpentem, ibidemque consistentem.

CAUSAS MEDIATAS PROXIMIORES quod attinet, varii generis *humores* ac *vapores* accusandi veniunt. Inter quos primatum obtinet *sanguis* tum *quantitate*, tum *qualitate*, tum etiam *motu* peccans: *Quantitate* peccat sanguis, quatenus sc. plus influit in arterias, quàm per venas refluere potest, unde sanguis in vasis suis stagnat, ea distendit & successu temporis, ob continuum & impetuosum sanguinis affluxum, quo ipso in *motu* p. n. peccat, disrumpit, unde sanguinis extravasatio, quam ipsius putredo, hanc autem necessariò inflammatio insequitur.

Qualitate peccat sanguis, si ipsi conjungitur κακοχυμία (quod plerumque fieri solet teste Galen. *l. 9. M. M. c. 11. & lib. 20. ad Glaucon. c. 1. p. m.* 391. *it. Casp. Brav. Resolut. Medic. part. 4. Disput. 2. Resolut. 2. p.* 484.) vel *biliosa*, quæ apta nata est ad producendam ophthalmiam, dum sc. unà cum sanguine, mediantibus arteriis, ad oculum defertur, ibidemque vellicando ac rodendo suam ἐνέργειαν fortiter exerit test. *Sylv. part. 1. disput. medic. 6. §. 47.* Vel etiam *serosa*, quæ quoque partes modò dictas exasperare & inflammare potest, de quo videsis Schenk. *dissert. de Sero sanguin. cap. ult.* *A Vaporibus* quoq; hoc malum oriri posse quotidiana testatur experientia. Sunt autem nonnulli, qui hoc negant, dicentes, va-

pores oculos nullibi locorum subire posse, quod etiam *Felix Plater.* in sua *prax. c. 4. tom. 2. p. m. 235.* asserit, quod tamen locum neutiquam invenire potest, nam si consideramus structuram oculorum, videmus eos suis gaudere poris, per quos tanquam per viam immediatam vapores ascendere & ad dictam partem pervenire queunt. Dein sua quoq; habent vasa, nimirum arterias, mediantibus quibus unà cum sanguine arterioso vapores ad oculum deferuntur, ibidemque hoc mali genus excitant; quod etiam testatur Schenck. *in Epist. ad Bartholin.* in qua scribit, spumosum sanguinem conciliare ejus fermentationem & aëris accessum. Seq; in ea etiam semper esse sententia, in arteriis plus esse aeris cum sanguine conjuncti, quàm in venis.

Aggredimur nunc CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES, quæ commodè in tres poterunt dispesci classes. *Rerum* videlicet *Naturalium*, & *Præternaturalium*. Inter res Naturales primum obtinet locum, *temperamentum* juvenis nostri ophthalmiâ laborantis *sanguineo-biliosum*, quod utrumq; ad producendum hunc affectum maximè est proclive, illud enim ad *fieri*, hoc ad *acerbari* valdè disponit; illud sanguinem *quantitate*, hoc *qualitate* peccare facit.

Secundum locum obtinet *Ætas* Juvenilis, unde etiam æger noster, quippe qui *Juvenis*, adeoque in eo ætatis flore constitutus, in quo sanguis, ob spirituascentiam & caliditatem, facile fervorem concipit, acriusque intendi solet.

In *rerum non naturalium* classe agmen ducit *Aër* calidus, quoniam caliditate sua excedente sanguinem p. n. efferveſcere facit, ejusq; motum plus justo celeriorem reddit, ut majori cum impetu ad partem affectam affluat. Spectat huc quoq; *anni tempus*, siquidem *hyems* sicca & aquilonia si fuerit, ver a. pluviosum & australe, æstate necesse est febres acutas fieri & ophthalmias ex sententia Hippocr. *Sect. 3. aph. 11. it. aph. 14. Sect. 3.* si verò aquilonius & sine pluviis autumnus fuerit, iis quidem, qui à natura sunt humidi & mulieribus commodus erit, reliquis verò ophalmiæ siccæ.

Cibi & potus suum quoq; ad producendum hoc malum conferunt symbolum; sic cibi crassi, viscosi, acres, flatulenti, it. potus calidi, impr. vinum, ophthalmiæ sæpè sæpius causæ sunt: quod noster Juvenis etiam testatur, qui cum non solùm carne, raphanò marinò aromatibusq; conditâ, ac cæpis delectatus fuisset, sed etiam vinum satis generosum superbibisset, hoc malo correptus. Est autem *raphanus marinus* calidus & siccus ad tertium usq; gradum, & secundùm commune omnium Medicorum eloquium, oculis nocet, caputq; vaporibus replet, idem etiam de *cæpis* sentiendum est, unde etiam factum esse censeo, quòd, quoniam caput vaporibus replent, æger noster dolore capitis primò laboravit.

Vigiliæ quoq; nimiæ authores hujus mali existunt, spiritus, unà cum sanguine arterioso, continuò & justo

celerius

celerius movendo, undè facilè fieri poteſt, ut ob impetuoſum ſanguinis affluxum vaſa rumpantur, & hocce malum producatur.

Animi pathemata, ſi ſc. in iis committantur, exceſſus ad ſubminiſtrandum huic malo fomitem, ſat grave obtinent pondus.

Denique Suppreſſas conſuetas evacuationes malo huic cauſam ſuppeditare, nemo ferè inficias ibit. Sic menſes ſuppreſſos opthalmiam excitaſſe confirmat Gabelchov. *Cent.* 3. *pag.* 49.

Ex rerum *præternaturalium* cenſu, varii huc pertinent morbi. Sic *dyſenteriam* ſecutam fuiſſe opthalmiam teſtatur Horſt. *lib.* 4. *obſ.* 19. *p. m.* 230. *A Catarrhoſis* defluxionibus ophthalmiam ſæpius produci, quotidiana teſtatur experientia, cui etiam adſtipulatur *Guil. Fabric. Hildan. Cent.* 2. *obſerv.* 12. *pag. m.* 89. qui duiturnam ad dentes defluxionem ophthalmiam excepiſſe, confirmat. Et Foreſt. *lib.* 6. *obſerv.* 5. *p. m.* 203. Ophthalmiam poſt *variolas* relictam & mox in *Pterygium* degenerantem commemorat. Confer. Lipſius *tr. de Variolis it.* Lotich. *obſ. Medic. lib.* 2. *c.* 2. *obſ.* 6. Poſt *frontis venam ſectam*, capite non purgato, graviſſimam ophthalmiam una cum viſus & loquelæ perditione obſervavit. Guil. Fabric. Hildan. *Cent.* 5. *obſ.* 18. *p. m.* 339. Gallicam obſervavit ophthalmiam Joh. Steph. *decad.* 7. *conſil.* 5. it. Zacut. Luſitan. *prax. admir. obſ.* 54. *p. m.* 43. Periodicam Galen. *lib.* 1. *de differ. febr. c.* 11. *p. m.* 134 commemorat. Epidemicam ophthalmiam annotavit Amat. Luſitan. *Cent.* 4. *obſ.* 80. Foreſt. *lib.* 9. *obſ.* 4 Actuar. *l.* 2. *MM. c.* 7. Galen. *l.* 1. *de differ. febr. c.* 2. *p.* 116. Mirabilem ophthalmiæ ex *incantatione* recenſet hiſtoriam Horſt. *in epiſt. medic. ſect.* 7. *de morb. per incantat. p. m.* 417. Facit huc etiam aliorum *viſcerum labes* & inflammatio, quæ per conſenſum ophthalmiam poſſunt inferre. Pertinent huc quoque varia *capitis vulnera*, ſic ex leviſſimo circa palpebram vulnere, ophthalmiam ortam commemorat. Guil. Fabric. Hildan. *Cent.* 3. *obſ.* 17. *p. m.* 398. *Contuſiones, Ictus, Caſus ab alto*, quæ omnia apta nata ſunt ad producendam ophthalmiam. Neque res forinſecus oculos incidentes hic omittendæ ſunt, ut *pulvis, fumus & ejusmodi* alia A. fumo enim cinnabaris antimonii ad oculos delato ophthalmiam ortam fuiſſe annotavit, Guil. Fabric. Hildan. *Centur.* 2. *obſ.* 24. *pag. m.* 102.

Hiſce præmiſſis *ſpecialiorem* nunc aggredimur ophthalmiæ conſiderationem, cujus ut & aliorum Φαινομένων RATIONEM paucis explicabimus.

Factum, ut primò Æger *dolorem capitis*, non tamen continuum, ſed periodicum, mox intermittentem, mox rurſus infeſtantem, cum oculorum dolore, perciperet, quoniam vapores acres ad caput & oculos per intervalla delati, ibidem ſuam acrimoniam erodendo & continuum ſolvendo exſeruere, hancque triſtem ſenſationem induxere.

Progreſſu temporis pejus incidit in

malum, *majorique* correptus est *dolore*: Propter variorum in diæta commissorum errorum continuationem, nam vino, uti assuetus erat, liberalius indulsit. Unde necessariò major secutus dolor, quia vinum non potest non sanguini majorem conciliare efferveſcentiam bilisque acrimoniam intendere.

Et *Ardore*, ob nimiam sanguinis efferveſcentiam ac incaleſcentiam, & hanc secutam *inflammationem*, dein quoque ob nimiam particularum biliosarum, i. e. tenuium & acriorum sulphurearum, quæ salinis permiſcentur, nimiam exagitationem.

Cibi fastidium adest, ob materiam biliosam in ventriculo collectam, ejusque orificio superiori inhærentem. Quapropter pejus metuens discrimen, Medicum accersi curavit, qui primo intuitu *oculos rubicundos*, ob plethoram & copiam sanguinis in arteriolas & venulas cum impetu influentem ibidemque conſiſtentem, unde color ille rubicundus; & *tumidos*, quoniam novo semper affluente sanguine, vasa turgere incipiunt, & oculi tumidi quasi apparent: *Lachrymas ſtillantes*, ob seri in sanguine contenti copiam & acrimoniam.

Caput valde calidum, propter nimiam sanguinis bilisque efferveſcentiam & exagitationem.

Pulsumque plus justo celeriorem, propter nimiam sanguinis efferveſcentiam & rarefactionem, deprehendit.

In *reliquis* verò æger *bene se habet*, quoniam nulla in viſceribus notabilis labes animadvertitur.

Cum autem plerumque non solùm ægri, sed & adstantes, magno cum desiderio *morbi eventum* scire desiderent, Medicus ut semper aliquo instructus sit PROGNOSTICO, meditante quo *morbi eventum*, an sc. *salutaris* sit, nec ne? prædicere possit, necesse est. Dicimus itaque, hancce ophthalmiam, quâ Juvenis noster conflictatur, non esse lethalem, sed plus habere doloris, quàm periculi, quoniam ab externo tantum victus errore suam ducit originem, & præterea altiores nondum egit radices: Si enim firmiores egit radices, dolor oculorum diu perseverat & valdè contumax, difficiliorisque est curationis; Sicut etiam, quando negligitur vel malè curatur, graviſſimos inducit affectus. Quod testatur mulier, quæ ex mala ophthalmiæ ab Empirico adhibita curatione in unius oculi ulcus incidit vid. Foreſt. *liq. 11. obſ. 18. p. m. 25.* imò ipsam quoque interdum inducit cœcitatem.

Pergimus, bono cum DEO, ad ipsius ophthalmiæ CURATIONEM. Cum autem omnis *curatio* suis innitatur *Indicationibus*, eas, ut methodicè rem pertractemus, perlustrabimus. Dividuntur autem Indicationes in *Generales* & *ſpeciales*. *Generales sunt*, quæ quid in genere; *ſpeciales* verò, quæ, quid in specie faciendum sit, indicant. *Generalis* itaque hoc in casu est indicatio, causas morbificas esse tollendas & removendas, *ſpeciales* verò indicationes, pro varietate causarum, uti notum, variant, v. g. si humor quantitate peccat, evacuandus,

cuandus, sin verò qualitate, est vel alterandus, vel præcipitandus, vel ejus acrimonia corrigenda, & sic porrò.

Hisce præmissis, ipsa accedimus *præsidia*, quæ ex triplici præsidiorum fonte, *Chirurgico* nimirum, *Pharmaceutico & Diætetico* desumuntur.

Fons Chirurgicus, primo in limine nobilissimum & generosissimum remediorum genus, nimirum *Venæsectionem* nobis suppeditat, sine qua nulla curata fuit ophthalmia, videlicet vera, (non enim negamus spuriam ophthalmiam posse curari solis adhibitis medicaminibus *purgantibus & topicis*) hanc enim omnes ferè Practici uno ore commendant, vid. Forest. *lib.* 11. *obs.* 12. *p. m.* 20. Cauti tamen in ejus administratione simus, nec venam, corpore non purgato, secemus, nisi ægro nostro id accidere velimus, quod isti Sartori apud *Hildan. loc. super. cit.* cui barbitonsor, corpore non purgato venam frontis secuit, quo facto in gravius incidit malum. Quapropter non adeò liberales simus in secandis venis, sed potius sequentes circa venæsectionis usum observemus *cautelas*. I. Venæsectionem non esse adhibendam viribus non permittentibus. i. e. viribus maximoperè debilitatis.

II. Venam non esse secandam, nulla præsente venæsectionis indicatione.

III. Præsente etiamsi indicatione, venæ sectionem non adhibendam esse, si ægri dispositio eam non permittat, i. e. si non dispositus sit ad perferendam venæsectionem, sed potius eam abhorreat.

IV. Venam non esse incidendam, corpore non purgato, ne nobis id, de quo superius nobis sermo fuit, accidat. Cum autem nostro in *Juvene* non solum *vires* eam permittant, sed & insuper adsint. Venæsectionis *indicationes*, nimirum *plethora* sive sanguinis copia, quæ sui indicat imminutionem, omninò esse adhibendam venæsectionem putamus. Instituatur E. venæsectio, majoris revulsionis gratia in lateris oppositi brachio, ita cum sit oculus dexter affectus, in latere sinistro, sin verò sinister in dextro latere venæsectio instituenda, incidendo venam *Cephalicam* vel *mediánam*, & emittendo ℥v. vel ℥vj. sanguinis, in sexu autem sequiori si malum à *mensibus suppressis* oriatur, vena *saphena* in talo secanda est. Huc quoque pertinet cucurbitularum, impr. scarificatarum, in scapulis affixio, quarum usum non improbat Grembs. *in arbor. integr. & ruinos. p. m.* 187. & Rhod. *Cent.* 1. *obs.* 79. has etiam hujus mali fomitem extirpasse testatur. Conveniunt etiam *vesicatoria* propè aures applicata, it. *fonticuli* in brachiis excitati, quatenus sc. serum abundans derivant & revellunt, & consequenter extra corpus eliminant: Convenit quoque *setaceum* in capitis parte posteriori applicatum, test. Eustach. Rhud. *art. Med. lib.* 1. *c.* 20.

Ex fonte *Pharmaceutico* nobis se offerunt *purgantia* cacochymiam, sive cruditatem bilioſam evacuantia,

qualia sunt *fol. sennæ. Rhabarbarum, Jalappa, mechoacanna, agaricus, syr. de cichorio c. rhabarb. rosar. solutiv. Magistral. River.* & quæ sunt id generis alia, ex quibus variæ possunt concinnari *formulæ* e. g.

℞. *Fol. sen. s. st.* ʒijß. *vel* ʒiij.
rhabarb. opt. ʒß.
agaric. trochisc. at. ʒi.
herb. cuscut. fumar.
euphras. ana mß.
flor. betonic. euphras.
violar. ana pß.
passul. minor. ʒij. *vel* ʒß.
sem. fœnic.
coriandr. præp. ana ℈i.
cremor. Tartari ʒß.
Incis. & trit. infund. per noct. in aq. simpl. q. s.

Manè leniter ebulliant Col. ℞. ʒiijß. *cui add. syr. de cichor. c. rhabarb. Vel rosar. solutiv.* ʒi. *vel mann. el.* ʒvj.

M. S. Purgier Tranck Morgens nüchtern auf 1 mal zu nehmen

Si autem Juvenis noster mallet *pulverem*, sequens ipsi præscribi posset:

℞. *Pulv. Jalapp.* ℈j.
Rhabarb.
cremor. Tartar. ana ℈ß.
Magister. jalapp. gr. j.
oc. ♋ *præp. gr. iiij.*
ol. fœnic. gr. j.
M. F. Pulvis.

S. Purgier Pulver auf 1 mal.

Ex quo etiam additis conserv. rosar. vel violar. ʒij. & pauco, saccharo *bolus* concinnari potest.

Præmissis purgantibus & evacuantibus, doloris, tanquam urgentioris symptomatis, habenda est ratio isque mitigandus medicamentis *anodynis*, e. g.

℞. *Mucilag. sem. psyll.*
alth. ana ʒij.
cydon. ʒi.
aq. rosar. alb. plantag.
euphras. ana ʒß.
tut. præp. ℈ß.
M. F. Cataplasm. S.

Vel ℞. medull. pomi dulc. sub cinere rib. coct. q. s. malaxetur cum lacte muliebri, & linteolis inclusum oculo tepidè applicetur.

Guilh. *Rondeletius l. 6. meth. cur. morb. c. 4. camphoram* adhuc addit.

Potest etiam fieri *cataplasma* non inconveniens ex *medulla panis tritici* cum *lacte muliebri*, vel *aq. rosar. euphras.* & *liquor. album. ovi.* it. *cataplasma ex flor. chamomill. melilot. papav. errat.* &c. Hæc autem ex mucilaginibus vel lacte muliebri parata anodyna, sæpius renovanda sunt, diutius enim asservata, facile acorem contrahunt.

Riverius etiam utiliter *adstringentia* fronti & temporibus statim à principio admoveri posse, dicit, utpote quibus venæ, per quas humores defluunt ad oculos, comprimuntur, humor influens repellitur; quem in finem sequentia præscribit cataplasmata.

℞. *Bol. armen. sangu. dracon.*
thur. mastich. ana ʒi.
rosar. rubr. balaustior.
farin. lentium ana ℈ij.

Excipiantur *albumine ovi* & *aceto rosaceo* M. f. cataplasma fronti & temporibus applicandum.

Vel

Vel ℞. album ovi, agitetur c. frusto aluminis satis magno in patina stannea, & tamdiu moveatur, donec *unguenti* consistentiam adeptum sit, post extendatur supra linteum & oculis tepidè applicetur. Post duas aut tres horas auferendum est remedium, ne nimium adstringat.

Pinguedinem viperarum in ophthalmia, palpebris oculorum illitam, vel ipsis oculis instillatam, valde commendat Dn. D. Wedel. *in Ephemerid. Germ. ann. 2. obs. 125. p. m. 207.*

Emulsiones hic in usum quoque possunt vocari, quatenus spicula Salina acrimoniamque seri, à quibus tristis doloris sensatio provenit, obtundunt, & præcipitant, formula id esto.

℞. *Sem. 4. frig. major. ana* ℥i.
papav. alb. ℥iij.
c. s. q. aq. hord. rosar. & euphras. f. l. a. emulsio, cui add.
CC. philosophic. præp.
corallor. rubr. præp. ana ℈i.
sacchar. perlat. ℈iv.
aq. cinamom ℥ß.

M. S. Kühlende Milch Abends vorm Schlaffen gehen ein paar Löffel voll zu nehmen.

Hisce usurpatis, quoniam cruditatis biliosæ vires nondum sufficienter superatæ mihi videntur (impossibile enim est semel & simul uno propinato purgante omnem evacuare humorem peccantem) ut corpus planè à cacochymia biliosa liberetur, sequentes in usum possunt vocari pilulæ.

℞. *MP. aggregativ.*
aurear.
extr. cholagog. Quercet. an. ℈ß
resin. jalapp. gr. iv. vel v.
Cum s. q. elix. proprietat. Parac. l. spirit. emphras. fiant pilul. num. xiij. asperg. pulv. fœnic.

S. Purgier-Pillen mit ein paar Löffel warmer Brühe Morgens nüchtern zu nehmen.

Huc faciunt etiam *pilulæ cholagog. Timæi*, it. potiuncula evacuans ejusdem.

Corpore sufficienter nunc expurgato, specialiorem aggredimur curationem, eaque, quæ vulgo dicuntur *appropriata* sive *specifica*, in usum vocamus. Qualia sunt variæ *aq. ophthalmicæ, spiritus, tinctura, essentiæ*, & ejusmodi alia ex quibus variæ possunt fieri *formulæ* e. g.

℞. *aq. ophthalmic. ex croc. metallor.*
Querc. ℥i.

S. Augenwasser.

Quæ citra dolorem & morsum guttatim oculis potest instillari.

Vel ℞. *aq. Enphras.*
rosar. alb.
fœnic. ana ℥i.
spir. euphras. fragor. ana gr. XV.
Tut. præp. ℈i.

M. S. Besonders Augenwasser.

Quæ linteis excepta oculis applicetur.

Crollius & reliqui *Chimici* miris laudibus efferunt *Sal. Saturni in aq. rosar.* & *euphras.* dissolutum vid. *Croll. Basilic. chimic. p. m. 47.* cui etiam adhuc addunt ☽*ci gr.* aliquot.

Potest etiam *ess. flor. cyan.* quam valdè laudat *Tim. à Guldenklee lib. 1. p. m. 50.* oculis ad guttas aliquot instillari.

ſtillari. Præparationem ejus tradit *l. 1. Epiſtol. 28. p. m.* 514. Bartholin. *in act. Medic. Haffnienſ. Volum. 2. p. m.* 302. ſequens unguentum ophthalmicum mirum in modum laudat, eoq; mau ferè abſtergi malum ægro viſum fuiſſe refert.

℞. *Ungu. nihili*
de tutia ana ʒii.
Margarit. præp.
Corallor. rubr. præp.
oc. cancr. præp.
tut. præp. ana ℈i.
camphor. gr. vi.
fol. ☉ ☽*æ. ana numero iv.*

M. f. ungu. tempore decubitus cantho oculi majoris lentis magnitudine indendum.

Spongias ſambuci per noctem in *aq. conſolid. regal.* vel *roſar.* imbutas & deinde oculorum palpebris decenter applicatas præſentaneum eſſe remedium dicit Simon Pauli *Quadripart. Botanic. claſſ. 2. p. m.* 141.

Fotus ex herbis *euphraſ. fragar. roriſmarin.* &c. hic etiam locum habet. v. g.

℞. *Herb. euphras. fœnic.*
fragar. betonic.
rorismarin ana Mj.
flor. balauſt. betonic.
cyan. euphras.
roſar. alb. ana piß.
coq. in ſ. q. aq. euphras. & fœnic. quo foveatur oculus.

Et hæc ſunt, quæ externè oculis applicata, profutura cenſemus.

Cum autem omnis curationis pagina ſolis remediis *externis* abſolvi non poſſit, *interna* quoqe, quæ acrimoniam ſalinam ſeri obtundant, ut propinentur, neceſſe eſt.

Quem in finem ſequentia adjicere nobis placuit.

℞. *Seri lact. caprill.* ℔. ß.
Aq. cichor. endiv.
fumar. euphras. ana ʒß.
ſyr. fragor. ʒiß.

M. S. Mixtur des Tages etlichmal 3. biß 4. Löffel zu gebrauchen.

Vel ℞. *C. C. phlic. præp.*
Corall. rub. præp.
Oc. cancr. præp. ana ℈i.
Ebor. alcoliſ.
Margarit. præp. ana gr. xii.

M. f. pulv. Pulver auf etlichmal zu gebrauchen.

Huc etiam facit *emulſio* ex feminibus ſupra præſcripta, quæ acrimoniam ſeri potenter obtundere valet.

Denique reſtat tum *partis affectæ*, nimirum *oculorum*, tum ipſius *ventriculi*, qui ob commiſſos in diætâ errores labefactatus, *corroboratio.*

Pro *corroborandis* itaque *oculis* ſequentia proderunt remedia. e. g.

℞. *Conſerv. anthus euphraſ.*
betonic. roſar. ana ʒi.
rotular. dianthos.
pulv. rad. cichor.
ſpec. diamargarit. frig. ana ℈i.
cum ſ. q. ſyr. euphraſ. vel betonic.
F. Electuar. MS.

S. Latwerge jedes mal einer Caſtanien groß zu gebrauchen.

Vel ℞. *Spec. diamargarit. fr.*
diamth. ana ʒi.
diamoſch. dulc. ℈i.
extr. euphraſ.
betonic. ana gr. xii.
ſacchar.

sacchar. in aq. euphras. rosar.
fœnic. solut. ʒiiiß.
aspergant. ol. fœnic. & cortic.
citr. ana gr. ij.
F. l. a. Morsuli.

S. Stärckende Morsellen.

Vel ℞. *aq. cerasor. nigr. ʒij.*
lilior. convall.
euphras.
fœnic. ana ʒi.
syr. euphras. betonic.
papav. errat. ana ʒß.
spir. lilior. convall.
fragor. ana ℈i.

M. S. Besonders Wasser Abends vorm Schlaffen gehen ein paar Löffel voll zu trincken.

Ultimum nunc erit, *ventriculo* prospicere, nimirum cum corroborando, ejus fermentum restaurando, ipsumq; ventriculum pristinum in tonum reducendo, quod sequentibus expedire conamur remediis, ut

℞. *clyss. mineral. ʒß.*
spir. absinth. ℈i.
mastichin. gt. vi.

M. S. Spiritus Morgens nüchtern jedesmal 7. 9. biß 11. Tropffen mit 3. oder 4. Löffel warmer Brühe zu nehmen.

Vel ℞. *elixir. proprietat. Parac. ʒi.*
spir. salis dulc. ʒß.

M. S. Elixir alle Morgen jedesmal 13. biß 15. Tropffen zu nehmen.

Post meridiem circa horam tertiam vel quartam sequens pulvis stomachum corroborans potest assumi.

℞. *tunic. ventricul. gallin. ʒi.*
spec. diatrion. santal.
diarrh. Abb. ana ʒß.
aromatic. rosat.
corallor. rubr. ana ℈i.
Margarit. præp.
Nuc. Moschat. ana ℈ß.
sacchar. rosat. tabulat. ʒvi.
ol. cinamom. gt. ij.
M. F. Pulv. D. ad scatulam.

S. Magen-Tresinet auf etlichmal.

Usurpari potest hic pulvis vel cum pane triticeo prius tosto & dein vino macerato, cui tantum pulveris hujus quantum duo vel tres cultri cuspides capere possunt, aspergatur, & sic comedatur. Aut si placet sequenti cum aqua potest proprinari. e. g.

℞. *aq. cichor. acetosell. ana ʒiß.*
meliss. c. vin.
cortic. aurant. ana. ʒi.

M. S. Wasser zum Pulver.

Huc etiam pertinent *conservæ*, ut *acetos. cichor. rosar. vitriolat.* &c. it: varia *condita*, ut *rad. cichor. condit. cydon, condit. lactuca hyspanica, ribes, berberes, cortic. aurant. cortic. citr. Nux Moschat. in India condita*, & quæ sunt ejusmodi alia, quæ, quoniam & vulgò nota, sicco præteribimus pede.

Vesperi ante decubitum sequens aqua ad ventriculum corroborandum cochleatim assumi potest.

℞. *aq. stomachal. Dorncr. ʒiß.*
cydon. cichor.
zedoar. c. vin. ana ʒi.
syr. acetos. citr.
granator. ana ʒß.

M. S. Wasser Abends beym Schlaffen gehen ein paar Löffel zu trincken.

Et hæc sunt remedia, quæ fons Pharmaceuticus nobis suppeditat.

Quid bona ac legitima *Diæta* ægris auxilii afferat, quidvè contra illegitima & prava Diæta damni producat, ipsa testatur experientia, & unicuique Medicorum notum est. Quapropter missis duobus prioribus curationis fontibus, Chirurgico videlicet & Pharmaceutico, ad ultimum *Diæteticum* nimirum progrediemur, videbimusque, quid is nobis suadeat.

Cum autem optimè *Diæta* secundum sex res nonnaturales instituatur, eam ad normam illarum ægro nostro præscribere placuit.

1. Fugiat igitur *aërem* nimis calidum, vel nimis frigidum, item nimis lucidum aut tenebricosum.

2. A *cibis* calidis, acribus, biliosis flatulentis, viscidis, dulcibus, nimis sale, pipere, cœpis, allio, aceto aut aliis aromatibus calidioribus conditis abstineat, sed è contra cibis tenuioribus, refrigerantibus, probè nutrientibus, facilioris concoctionis &c utatur. Pro *potu* ordinario cerevisiam benè coctam & probè defecatam, non adeò recentem, neque nimis lupulo conditam aut pinguem bibat, Vinum verò præsertim generosius cane pejus fugiat.

3. *Corporis exercitia* non sint diuturna nec vehementiora, sed potiùs moderata, & tempestivè instituantur.

4. *Somnum* debitô tempore ineat, & lucubrationibus, quæ oculis maximè nocent, in concubiam usque noctem non incumbat.

5. *Animi pathemata* sint moderatiora, caveat sibi à nimia iracundia & mœrore.

6. *Alvus* quotidie suo fungatur munere & officio. Et hæc sunt, quæ Juveni nostro profutura censeo.

CASUS VIII.

De

PLEURITIDE.

VIr quidam Nobilissimus ætatis annorum 35. temperamento calido & humido præditus, corpore obesus & plethoricus, postquam sub veris initium iter aliquod per diem unum alterumve equitando faciens aëri tum temporis frigidiori se exposuisset, vento latus dextrum potissimum impetente, variaque in diversoriis vivendi ratione esset usus; domum delatus atque redux factus noctu insignem rigorem, per horam ferè durantem sentit; quem febrilis calor valdè intensus continuo affligens excipit, accedente dolore pungitivo dextrum latus occupante, nec non tussi primò sicca, post humida, sputumque, quod rejicitur, flavum & interdum sanguine tinctum apparet. Respiratio insuper adest diffi-

difficilis; Pulsus durus celer & inæqualis. Urget sitis; Alvus per biduum suppressa est; succedunt Vigiliæ. Petit consilium.

RESOLUTIO

AFFECTUM, quo præsens laborat, PLEURITIDEM esse censeo; cui *nomen* à *parte affectâ*, membrana scil. costas cingente, quæ communiter *pleura* dicitur, impositum est, & *definiri* à plerisq; solet: Quòd sit inflammatio membranæ costas succingentis cum febre acuta, dolore lateris punctorio, respiratione difficili, tussi & pulsu duro &c. prout ex *Galen. 5. loc. affect. 3. & Comment. in aphor. 6. & 33. sect. 6.* aliisque patet. Quo ipsò insuper morbum esse non simplicem, sed compositum, ex Morbo puta intemperiei, conformationis vitiatæ, atq; solutæ unitatis innuitur.

Adesse autem *hunc morbum*, quinque illa SIGNA PATHOGNOMONICA, à *Galeno* allegata, ceu inseparabilia demonstrant: Siquidem singula quoque Ægrum nostrum affligunt, conqueritur enim (1) de *dolore lateris pungitivo*, (2) de *respiratione difficili* (3) adest *febrilis calor* continuus & intensus (4) *Pulsus durus*, celer & inæqualis, cum *tussi* (5) satis *molesta*, initio quidem sicca &c. quæ omnia rigor insignis per horam ferè durans antecessit.

II. Docent id etiam alia supervenientia, sitis nimirum urgens; vigiliæ contumaces; *Alvus suppressa.*

III. Præcesserunt causæ tales, quæ hunc affectum producere aliâs & possunt & solent, de quibus mox dicemus.

Hisce rite perpensis, veram & exquisitam esse *pleuritidem*, qua correptus æger decumbit, sua jam luce radiare arbitror.

PARS AFFECTA est *Pleura* sive membrana dextri hoc quidem in ægro lateris costas succingens: quam tamen ita censemus inflammari, ut tùm musculi intercostales tum ipsi etiam pulmones facile in consensum rapiantur. Cœterum afficitur *Pleura* non solùm secundum suam substantiam & fibras, sed etiam secundum vasa; siquidem hoc plenior humorum affluxus plethoricis familiaris, illud verò ipsius affectus exquisita ratio evincunt. Non est itaque, ut vl. diaphragma inflammatum quis putet, cum absit præcordiorum tensio, circa diaphragmatis regionem, palpitationis vl. saltus sensus nec non delirium, neque insuper ægrum peripneumonia laborare quis dixerit, quandoquidem dolor non tam gravativus in pectore, quàm potius pungitivus in latere urget & excruciat, neque ullus in malis rubor, aut venarum in oculis & circa tempora intumescentia observentur.

CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA est sanguis, qui in membranæ thoracem interiùs vestientis vasis restagnat, is enim mox iisdem vel per *anastomosin* quod frequentius; vel *diæresin*, quod aliquando; vel per *diapedesin*, quod rarius accidit, in in-

terſtitia ſeſe effundens & efferveſcentiam concipiens, *phlegmonem* excitat. ſanguinem verò dum hic accuſamus, illam maſſam intellectam volumus, quæ ſuo ambitu diverſæ naturæ particulas, noxam corpori humano inferre aptas continet: verbo; complexum quoddam heterogeneum à vitioſis humoribus præcipuè ſalſis bilioſisque non omnimodè liberum, atque hinc ſanguis copiâ, inſimulque qualitate, acrimonia puta peccans, ſeroque & bile permixtus *cauſæ mediatæ proximioris* rationem habebit.

Materiam autem hancce peccantem in parte affecta non ſenſim fuiſſe collectam, ſed confeſtim eò affluxiſſe ex eo colligendum exiſtimo, quòd citra aliquem præcedaneæ moleſtiæ aut alterationis perceptionem mox ægrum hoc ipſo affectu correptum eſſe obſervatum fuerit.

Causæ Mediatæ Remotiores præſenti quidem in caſu duplici, ſeſe ordine oſtendunt; quorum primus exhibet *res naturales*, ad quas pertinet ægri *ætas virilis*, febribus acutis ob caloris nativi vim & vigorem valdè obnoxia tumque *plethorica & obeſior* corporis *conſtitutio*, quæ quemadmodum omni inflammationi, ita quoq; maximè, modo cœtera ſint paria, Pleuritidi non rarò anſam præbere ſolet. Accedit bonus Athletarum habitus, qui periculoſus valdè habetur, ſi in extremo conſtiterit, cum ſic facile teſte *Hipp. ſ.* 1. *aph.* 3. in deterius labatur: in altero ordine occurrunt res non naturales: Aërem ergo & quæ hunc variis modis alterant anni tempora quod attinet, jam dum ſupra dictum eſt in proœmio, Pleuritidem licet affectus hyemalis potius, quàm vernalis ab Hippocrate pronuncietur, non rarò tamen veris etiam, ſi frigidius illud fuerit, eſſe ſobolem, præſertim quotiescunq; hyemalis aëris inclementia ſub veris quoq; initium ſuam adhuc vim valdè exerit, ſicque non modò per inſpirationem, ſed & ambiendo ſæpius non adeò veſtibus munitum pectus & latera facile affligere poteſt, tantoq; id efficacius in hoc caſu expectandum fuit pleureſeos productum, quo magis victus ratio varia, hinc; tum in potu, tùm in cibis ratione qualitatis, quantitatis, aliarumq; circumſtantiarum commiſſi errores varii, plethoræ nothæ generandæ occaſionem ſuppeditarunt, atque inſuper ſupervenit exceſſivus ex continuata per aliquot dies equitatione corporis motus, quem in plethorico atq; obeſo habitu potiſſimum, incendium humoribus, æque ac vehementiores animi motus ſpiritibus, conciliare valere, ex inſtitutionibus plus ſatis cognitum eſt.

Præfatis hiſce cauſis in noſtro ægro concurentibus quid mirum ſi exorta pleuræ inflammatio recenſitis in hiſtoria Symptomatibus ſtipata, quorum rationem exponere ulteriusque deducere nunc aggredimur.

1. *Rigor inſignis*, per horam ferè durans, ægrum corripuit, quod bilioſiores aliæque degeneres ſanguineæ maſſæ particulæ ab erroribus in victu

ctu passim in diversoriis commissis genitæ auctæq; & ad fluxionem dispositæ atque per motum corporis hinc indè agitatæ, tandem per ambitum corporis divagari cœperint; delata sic sanguinis massa ad dextrum latus à præcedaneo frigore alterationem passum, quandoquidem frigoris est adstringendo repellere humores in iis contentos ab ambitu corporis id intimiores partes retrocedens, aut propulsa, firmisque pleuræ, ejusque fibrarum interstitiis impacta tandem inflammationem excitavit.

II. Hæc membrana costas succingens, cum sensu exquisito prædita sit, non potuit non insignem pati *Dolorem* & quidem tam ob subjecti, quàm vellicantis causæ rationem, *punctorium*, eumque indesinentem propter continui solutionem constanter affligentem.

III. Excepit verò rigorem supra dictum *Febris continua* & *acuta*, tum quòd Cor parti affectæ valde sit vicinum, tùm quod in eo febrile sanguinis incendium, subministratô novo semper fomite, alatur.

IV. Accessit *difficilis Respiratio* ob fibras musculares, quoad actionem suam læsas, quæ dum contractiones validas & longiores perficere amplius nequeunt, debiles, sed crebriores instituere coguntur.

V. *Molesta* insuper est *Tussis*, ob partium respirationi dicatarum, quæ admodum sensiles sunt, irritationem.

VI. Hanc sequitur *Sputum* modo flavum, modò (sed rariùs) sanguine tinctum, propterea, quòd particulæ biliosæ unà permisceantur & quandoque nonnihil sanguinis ex plenioribus motuque compressis vasis protrudatur.

VII. *Pulsus est* inæqualis, febribus putridis familiaris; *durus*, ob vasorum substantiam, quam calor siccorem reddidit; celet, eò quod intemperies sanguinis calida, motum istius circularem, urgente sic necessitate, concitatiorem efficiat.

VIII. Hinc ab eodem fervore quatenus serum absorbetur & imminuitur, *vigiliæ* oriuntur, quas alii particulis meninges sua acrimonia vellicantibus adscribere solent.

IX. *Sitis* ob eandem intemperiem, fermentum ventriculi acrius unà reddentem, molesta est, cui interioris tunicæ Oesophagi & Ventriculi ariditas à calore p. n. oriunda insigne pondus addit.

X. *Alvus* denique *suppressa* concurrit, quoniam ipsa equitatio alvum supprimere apta nata est & in febribus aliàs ob calorem & hinc inductam siccitatem plerumque feces indurantur, alvusque adstrictior reddi solet.

Expositis symptomatum rationibus & causis, de EVENTU morbi quid superandum sit ægro, proximum est ut disquiramus. Cœterum cum *Hipp.* moneat, morborum acutorum non esse determinatam certamque prædictionem, hancque pleuræ inflammationem his ipsis acutis annumeret, ancipitem quidem exitum, nec omni periculo vacantem plethorica

rica ægri constitutio minatur: Interea tamen cum graviora, quàm ipsa morbi hujus fert natura, symptomata neutiquam observentur, adeoque nulla malignitatis alicujus subesse videatur suspicio, imò virium Robur sic satis adhuc vigeat, fore confido, ut æger pristinam recuperet sanitatem, si maturè principiis obstet & Medici consilio sese exhibeat obsequentem: quorum quidem illud morbi cursus celerior, hoc verò ejus gravitas omninò requirit.

Ut autem CURATIO methodicè perficiatur, danda erit opera, ut 1. sanguis in toto abundans imminuatur, ejusque motus, quô impetuosè ad partem affectam ruit, corrigatur: 2. Materiæ peccantis expectoratio promoveatur: 3. Febrile incendium extinguatur: & 4. Virium conservationi prospiciatur.

Quibus *indicationibus* satisfacturus suaderem Ægro, ut, præmisso quidem clystere emolliente, sine ulteriore mora V. S. admittat, quam quidem in brachio affecti lateris administrandam, sanguinisque ℥vj. educendas esse arbitror: Neque enim est, ut auscultemus illis, qui etiam absque V. S. pleuriticos restitutos esse perhibent; ubi nempè vel ætas senilis eam dissuasisse visa, vel sputum valdè cruentum, vel aliæ circumstantiæ illius usum sufflaminarunt. In plethorico sane nemo rectiùs sentientium V. S. facile negliget, cùm aliàs Pleuritis in Empyema facile degeneret.

Quod ad secundum scopum, ægro profuturum reor, si sequentibus diligenter utatur remediis.

℞. *Pulv. ocul. ♋ ppt.*
dentis apri
Mandib. lucii pisc. ana ℈i
Spec. diamarg. frig. ℈ij.
Sperm. Cet. non rancid. ℈i.
Sacchar. Candid. Violac. parùm.

M. S. Pulver zwey Messerspitz voll alle vier Stund.

Sumi verò poterit hic pulvis cum tali vehiculo;

℞. ▽ *Card. bened.*
mar. lact.
Aq. Scabios.
Cerefol. ana ℥i.
Syrup. papav. errat. ʒvi.
Spirit. Veronic. per ferment. ʒi.

M. S. Wasser zum Pulver/ 3. Löffel voll auf einmal.

Vel tali aut simili utatur mixturâ;

℞. ▽ *Scorzon.*
Cerefol.
Card. Mar. lact.
bened.
Fl. sambuc. ana ℥i.
Syrup. liquirit.
viol. ana ʒvi.
de hispidul. ℥ß.
Ocul. Cancr. ppt. ʒß.
C. C. s. △.
Dentis apri ppt. ana ℈i.
♁ *diaphor.* ℈ß.

M. S. Mixtur 2. Löffel voll auf einmal.

Febrile incendium ut juxta *tertiam indicationem* mitigetur, simulq; tum oriundæ hinc siti, tum vigiliis obviam eatur, proderit decoctum tale;

℞. *Rasur. C. C.*
Priap. C. ana ℥ß.

Rad.

Rad. liquirit.
acetoſ. ana Zij.
Fl. Papav. rhead. mß.
Coq. in ſ. q. ▽ *ſimpl. vl. hord.*
Col. ℞. ℔ *j.* ß. *adde*
Syrup papav errat. Zi.
rubi Idei Zß.
Tinct. fl. papav. errat. Zij.
M. S. Alterier-Tranck.

Circa tempus ſomni autem conveniet Emulſio, quæ
℞. *Sem. Card. bened.*
mar. ana Zij.
Papav. alb. Ziß.
▽*æ papav. rhead.*
ſcorzon. ſcabioſ. ana q. ſ.
F. Emulſio. adde
▽*æ hypnot. Dorner. Zi.*
Magiſt. C. C. ℈*i.*
℥*ii diaphoret.* ℈ß.
M. edulcor. diacod. ſolid.
Auguſt. q. ſ. ad gratiam.
S. Kühlende Milch bißweilen 1. Löffel voll.

Virium conſervationi quamvis potiſſimùm conveniens VICTUS RATIO ſuccurat, ſuus tamen hic etiam Remediis pharmaceuticis locus relinquitur, hinc proficuum cenſeo, ſi æger interdum ſeq. uti voluerit.
℞. *Pulv. analept. ſr. Mind.* Zß.
Mag. antipleurit. Michael. ℈*i.*
Spec. el. d. gem. frig. ℈*ij.*
Confect. Alkerm. incomplet. ℈*i.*
Sacchar. perlat. parum.
S. Stärckendes Pülverlein auf 3 mal Sumatur cum ▽ Cord. frigid. H. S. & Rubi idei, cui aliquid ſyrup. rubi idei & ſucci aurantiorum dulc. recent. admiſceatur, conveniens quoq; vehiculum præbebunt juſcula hordeacea & alia.

Internis dum utitur Æger remediis, non negligenda quoq; ſunt *externa* auxilia, utpote quibus magnam pariter ineſſe virtutem quotidiana docet experientia.

Quod ſi igitur Dolor lateris pungitivus valde ſit moleſtus (uti plerunque fieri obſervatur) hinc q; mirè adaugeri difficilis Reſpiratio ſoleat, conducet ſanè, vel unguent. vl. cataplaſmat. aut ſaccul. hoſce mitigare cruciatus. E. g.
℞. *Rad. alth.*
lilior. alb. ana Zß.
Herb. Malv. c. fl.
Chamomill. c. fl. ana mj.
Fl. Verbaſ.
Sambuc. ana mß.
Sem. lin.
fœnugrac. ana Ziij.
Coq. in ſ. q. lact. ad conſiſtentiam cataplaſm.
S. Aufſchlag auf die ſchmertzhaffte Seiten.
Vel ℞. *Unguent. Dialth.* Zß. *Zij.*
Anodyn. Ziij.
Ol. amygd. dulc.
Chamomill. ana q. ſ.
ſtillat. aneth. ℈ß.
M. F. Linimentum.
S. Sälbchen für das Stechen in der Seiten.

Pro virium refectione proſunt ſaculi ad pulſum corporis manuum imponendi, qui prius ▽ roſar. Carbuncul. & paucò acet. rubi idei vel fl. tunic. &c. imbui atque imprægnari poterunt.

CAS.

CASUS IX.

De

EMPYEMATE EX PLEURITIDE.

VIr annorum quinquaginta temperamenti cholerico-Phlegmatici, habitus corporis athletici, victui pleno, largiori vini potui aliisque diætæ erroribus assuetus, ante aliquot menses scil. hyeme exquisitum pleuriticum affectum in dextro latere passus, medicamenta præcipitantia s. imbibentia cum aflatu opii à medico præscripta primò admisit, unde quidem expectorabat materiam quandam nonnihil cruentam sed valde paucam, nihilominus dolor lateris & febris aliquatenus mitigabantur, ita, ut æger è lecto surgere & in hypocausto interdum ambulare posset; diætam & medicamenta igitur neglexit; donec tandem 30. die ab invasione supervenirent rigor totius corporis, febris lenta, de die remissior, vesperi & noctu intensior, dolor pectoris partim punctorius partim gravativus, fluctuatio quædam in dextro latere, dum se movebat, respiratio difficilior, tussis frequentissima, sicca tamen, & nonnunquam lipothymia è sudore pauco imminebat, pejora metuens de novo petit auxilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUM quo cum æger noster conflictatur ex relatis *Empyema ex pleuritide* esse pronunciamus; dicitur verò Græcis Ἔμπυημα à verbo ἐμπυεῖν purulentum esse & hoc ἀπὸ τῦ πύε à pure; Latinis modò servato nomine græco Empyema, modò nomine latino *Suppuratio* vel *collectio puris*; *Describitur* autem quod sit puris in cavitate thoracis facta collectio: Consideratur igitur ut morbus diminutæ cavitatis, siquidem cavitas ista à natura formata ad pulmonum dilatationem à puris copia minor redditur. Quamvis C. *Hofmannus Instit. med. l. 3. c. 153.* non male referat ad morbo, solutæ unitatis.

Empyemate autem ægrum laborare patet

(1) Ex inhæsis seu pathognomicis antecedentibus, pleuritide non judicata, nec materia peccante debitè evacuata, sed neglecta.

(2) Ex essentialiter inhærentibus consequentibus, rigore totius corporis, febri lenta, dolore pectoris gravativo ac punctorio, fluctuatione quadam in latere dextro, respiratione difficiliori, tussi frequentissimâ sic-

câ, li-

câ, lipothymiâ cum sudore pauco, ex quibus Empyema adesse semper à medicis colligitur.

(3) Ex causis prægressis, temperamento cholerico-phlegmatico, corporis habitu athletico, victu pleno, largiori vini potu, neglectione medicamentorum & erroribus diætæ.

SUBJECTUM hujus affectus speciale est cavitas thoracis, quæ constituitur ex costis, musculis intercostalibus, diaphragmate, mediastino, vertebris dorsalibus, claviculis, sterno & succingente pleurâ, in quâ lobi pulmonum, quorum ordinariè in quolibet latere duo, instar follis elevantur & deprimuntur, ut inde fiat in- & exspiratio. Quia verò cavitas ista per mediastinum in duo latera dextrum scil. & sinistrum dividitur, ideò specialissimum est in hoc ægro latus dextrum in quo fluctuatio percipitur, & antea fuit affectum. Non autem negandum, quod in lobos pulmonum, quorum substantia rara est & porosa, puris illos undique cingentis portio quædam penetret, illosque afficiat. vid. Malp. *Diemerb.* & in specie Th. *Barthol. Anat. Reform. l. 2. c. 9. p. m.* 418.

Nunc tangit ordo CAUSAS, quarum cognitio Medicis valde necessaria, ut absque ea morbi nec præcaveri, nec feliciter curari queant.

CAUSA igitur IMMEDIATA & PROXIMA est materia purulenta in cavitate thoracis collecta.

CAUSA MEDIATA PROPINQUIOR est morbus præcedens, nempe pleuritis, quando enim phlegmone circa pleuram excitata suppuratur, tandem apostemate disrupto pus in thoracis cavitatem decidens, hunc morbum producit.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES naturales sunt (1) *Ætas*, quam quædam contribuere posse ipse *Hippocrates* testatur, quando dicit *sect. 3. aph.* 30. ultra hanc ætatem progressis (ubi intelligit virilem) asthmata, peripneumoniæ, pleuritides &c. quia verò æger noster ad senilem inclinat, in qua spiritus in dies absumuntur, facilè ob virium defectus hic morbus in Empyema degenerare potuit.

(2) *Temperamentum cholerico-phlegmaticum*: Arguit hoc particulas sulfureas, oleosas, balsamicas à lympha acri aliquo modo subjugari, adeoque facilius accidere posse, ut humores Characterem peregrinum induant & corpus ad talem morbum magis disponant.

(3) *Habitus corporis*, qui in ægro nostro observatur athleticus. Licet verò ejusmodi status pro bono communi vulgi consensu æstimetur, divinus tamen *Hippocrates* eundem rectè periculi plenum judicat, quando ait *sect. 1. aph. 3.* in exercitantibus boni habitus ad summum progressi periculosi, si in extremo fuerint &c. ideo quoque bonus ægri nostri habitus in deterius ruere coactus est.

Inter *causas non naturales* multum præstitit (1) *cibus* & *potus*; quem nimia quantitate & qualitate ingestum, item medicamenta usu præposteto, administratione erronea

assumta, vel cum diæta neglecta, multùm ad hunc affectum contribuisse ex historia patet.

(2) *Aër frigidus*, cui æger se exposuit, quod etiam testatur divinus *Cous*, quando scribit *sect. 5. aph. 24.* frigida velut nix & glacies pectori inimica, tusses movent, sanguinis eruptiones & catarrhos inducunt, & *sect. 3. aph. 23.* hyeme verò Pleuritides, peripneumoniæ &c. aër enim frigidus cutis meatus occludendo, & transpirationem impediendo febres excitat, sanguinemq; sæpe extra vasa propellit, unde inflammationes & consequenter hic morbus.

(3) *Motus vehemens*, qui corporis humores tam puros quàm impuros agitans & accendens huic malo ansam quoque præbere potuit.

Causa remotior p. naturalis est morbus sanè præcedens sat gravis pleuritis, quæ aliquandiu ægrum afflixit, viresque ipsi absumsit, ut inde facile talis commutatio fieri potuerit.

His breviter juxta historiam ægri expeditis, restat, ut enumeratorum SIGNORUM CAUSÆ explicentur: *Antecedentia signa* seu pathognomonica Pleuritidis quod attinet, omnino etiam essent consideranda, quia verò instituti nostri ratio non permittit, hîc silentio ea præterire animus est; *Consequentia* igitur sunt ista.

(1) Infestatur æger *totius corporis rigore*, dum partes membranosæ admodum sensiles à materia vitiosa vellicatæ & ad expellendam istam materiam irritatæ, partes vicinas in consensum trahunt.

(2) *Febri lenta* vesperi & noctu intensiori, à vaporibus ex materia dicta progenitis sanguini immistis & cordi communicatis; vesperi verò & noctu intensior est, quoniam nocturno tempore, ut Sennert. probè monet, pus magis elaboratur ob caloris & spirituum ad interiora retrocessum. Ut taceam plerosq; affectus noctu magis affligere ægros, ubi & ipsa Atmosphæra in caussa esse potest, quæ ob solis benefici absentiam gravior fit; ægrosque magis aggravat.

(3) *Dolore pectoris gravativo* ob magnam puris in cavitatem thoracis collecti copiam, quæ in ima pectoris parte circa diaphragma potissimũ ponderis & gravitatis sensum efficit, cui quoque accedit fluctuatio, quædam in dextro latere dum æger convertitur. Interdum & punctorius quidam sentiebatur dolor: antequam scil. omne pus generabatur.

(4) *Respirationi difficiliori* seu dyspnœa ob pulmonem collapsum & motum diaphragmatis ordinarium impeditum, deorsum enim premitur à puris copia, ut ascendere in inspiratione debitè nequeat.

(5) *Tussi frequentissima sicca* partim a materia purulenta, partim ab acribus, pulmones & asperam arteriam irritantibus, destillationibus.

(6) *Lipothymia* à particulis purulentis cor & spiritus infestantibus.

Quoad

Quoad PROGNOSIN affectus iste admodùm periculosus est, & curatu difficilis, quia facilè secundum *Hippocratem* in phthisin degenerare solet, dum inquit *sect. 5. aph. 15.* qui ex pleuritide suppurati fiunt, si intra quadraginta dies, ex quo ruptio fuerit facta, repurgentur supernè, liberantur; si verò minus, ad tabem transeunt, quoniam pus majorem acquirit malignitatem, quæ postmodum pulmonum substantiam aliàs delicatulam corrodit. Verùm cum æger adhuc sit senectutis viridis, & vires nondum planè sunt absumtæ, spes adhuc aliqua restitutionis affulgere videtur, si modò naturæ aptis remediis succurramus. Immò interdum beneficio Naturæ sit morbi solutio per metastasin ad partem ignobiliorem, sicuti notabile exemplum ferè in desperato Empyico Patavii observavit Dominicus de *Marchettis*, ubi unica nocte materia vitiosa ad peripheriam cutis fuit delata; ægerque manè turpissima & purulenta per totum corpus scabie repletus offendebatur; ab omni verò respiratione difficili & dolore gravativo liber, immo sanissimus. Adde *Luc. Schröck.* Jun. *in Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. III. Schol. ad obs.* 146. ubi etiam rationem hujus rei addere allaborat.

Cognito igitur affectu quantum scil. brevitas temporis & ingenii nostri infirmitas permisit, nihil amplius nunc restare videtur, quàm ut ipsam CURATIONEM, in qua totius rei cardo versatur, pro viribus aggrediamur. Scopus autem universæ M. M. præcipuus est unus, ut corpora ægrota q. p. in sanitatem vindicemus.

Curationis verò *tres* inprimis sunt *indicationes* (1) purulentæ materiæ eductio, (2) subjecti cum visceribus in eo contentis corroboratio (3) virium collapsarum restitutio, id quod trium generum remediis pro triplici illorum fonte, unde promuntur, consequi valemus, scil. PHARMACIA, CHIRURGIA, & DIÆTA.

Antea verò inquirere lubet, per quæ loca quoque pus educi poterit? diversis enim sive patentibus sive occultis utitur natura viis, per quas vitiosam materiam extrudat, & quidem modò per sputum, quatenus materia purulenta per spongiosam & raram pulmonum substantiam eorundemque ductus ad bronchiorum tubulos transmissa, per asperam arteriam ipsumque os beneficio tussis rejicitur. Modò per ipsam alvum ceu felix exemplum Brunæ in Moravia vidit Joh. Ferdin. *Hertod. in Ephem. Germ. Cur. Ann. II. obs.* 146. ægerq; adhibito frequentiore usu terebinthinæ feliciter curatus fuit. Aliud exhibet *Luc. Schröck. Jun. in Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. III. Schol. ad obs.* 146 & per urinæ ductus, præclusa nimirum via ad superiora; aut natura illam non tentat, uti observationes docent. Viæ autem ad dicta loca obscuræ sunt, natura enim in statu præternaturali ab interitu se liberatura sæpe mirabiles quærit vias ac meatus, & abutitur viis ordinariis; probabile tamen videtur materiam purulentam in pulmones

prius transſumtam per venas pulmonales, vel per venam ἄζυγον reſorberi, & cum ſanguine in ſiniſtrum cordis ventriculum, & porrò per arteriam magnam ad arterias emulgentes in renes, & ultimò per ureteres in veſicam; vel ad arteriam cœliacam in inteſtina deponi; quibus verò hæ viæ per alvum per ramos meſenterii critico motu ſunt ſuſpectæ vel obſcuræ admodum videntur, totam rem in infinitas illas inteſtinorum glandulas deferunt, quas *Marcellus Malpigh.* in præfatione *exercitationis de ſtructura viſcerum* anotavit & de quibus nuper ex profeſſo Clariſſ. Joh. Conrad. *Peyer* ſcripſit; Modò per cutim, quando materiæ purulentæ μετάϛασις ad extra fit, & nunc anterius, nunc poſterius, nunc ad latera abſceſſum parit, quo aut ſponte diſrupto, aut auxilio chirurgi aperto univerſum pus in thorace collectum evacuari poteſt, uti hîc in noſodochio militari Exemplum habuimus in milite quodam triginta annorum, qui ex pleuritide factus erat empyematicus, cui tandem materia illa purulenta per μετάϛασιν ad cutim translata, ope chirurgi, ſalubriter fuit evacuata, ita ut æger totaliter reſtitutus fuerit. Modò per umbilicum, modò per uterum, evacuari materiam ſanioſam ſcribit *D. Luc. Schröckius Jun. in Ephem. Germ. Cur. Dec. II. Ann. III. Schol. ad obſ.* 146.

Ex pharmacia varia nobis in hoc affectu ſubminiſtrantur medicamenta, quia autem puris evacuatio ordinariè per ſputum ſperanda, quàm per alia loca minus manifeſta, illud promovendum eſt tam internis quàm externis vulgò dictis medicamentis expectorantibus; quorum alia alterant, ſi enim uti plerumque craſſius & lentius ſit, ad meliorem expectorationem per attenuantia & incidentia, ſi acre & erodens, ut prohibeatur ulterior exulceratio, per mitigantia, abſtergentia & ſputum promoventia, quorum varia ſimplicia vel arte parata ad hunc affectum medicamenta poſſunt inveniri apud *Sebizium ſect.* 3. *cap.* 7. ex quibus hanc formulam præſcribimus.

℞. *Rad. glycyrrhizæ* ℥i.
helen. ariſtol. ana ℥ß.
herb. marrub. veron. ſcabios. ana m*j.*
fl. bell. min. viol. ana p*j.*
ſem. anis. fœnic. ana ℥i.
paſſul. corinth. ℥i.
Coq. in ſ. q. aq. font. col. clarific. R. mens. 1. *edulc. ſir. capill.* ℥.
hyſſ. ana ℥ij.
m. f. apozema.

S. Bruſtranck zum Außwerffen Morgends / Nachmittags und Abends ein gut Glaß voll darvon zu nehmen.

Vel ℞. ▽ *veron. ſcabios. Card. bened. ana* ℥ij.
ſir. heder. terreſt. glycyrrhiz. ana ℥i.
loch. ſan. & expert. ℥ß.
▽ *cordial. temperat.* ℥i.
m. d. ad vitr.

S. Hertzſtärckende Bruſt-Mixtur zu Zeiten 2. oder 3. Löffel voll davon zu nehmen.

Vel ℞. *Rad. helen. condit.* ℥i.

conſ.

conf. bell. min. heder. terreſtr. ana ʒß.
ſpec. diair. ſimpl. ʒij.
Confect. alkerm. compl. ʒi.
ſperm. ceti ʒß.
C. ſir. ſcabios. q. ſ.
F. Electuarium.

S. Vermiſchte Lattwerg zum Auswerffen / davon alle drey Stund einer Mußcatnuß groß zu nehmen.

Dum autem hæc aſſumuntur, exterius *topica* erunt applicanda, ut

℞. *Ungt. dialth. pectoral. ana* ʒi.
℥ *chamæm.* ʒiß.
amygd. dulc. jaſmin. ana ʒß.
℈ *aniſ.* ʒi.
M. F. Linimentum.

S. Bruſt-Sälblein mit einer warmen Hand wol einzureiben.

℞. *Empl. diachyl. ſimpl. de melil. ana* ʒij. *malax.* ℥ *jaſmin. & imponatur.*

Sic in lapicidæ filio 9. annorum ex lapſu in pectore pus ineſſe judicatum fuit, tuſſi & phthiſi ferè conſumto; cui pectus univerſum Emplaſtro Norimbergenſi vulgo dicto cinctum fuit: Biduo poſt cibum appetere, & dorſum ejus in tantũ cepit adtolli tumorem, ut monſtroſe gibboſum credidiſſes hominem. Continuatus ejus emplaſtri ſolius uſus vomicam iſtam aperuit, e qua ſex, & quod excurrit, ſaniei menſuræ effluxere, cum exſpectata veteri ejus ſanitate, ceu teſtatur Celeberr. Dn. D. *J. Georg Volckammerus* Noricorum Æſculapius feliciſſimus *in Ephem. Germ. Cur. Ann. IX. & X. obſ.* 19. additque illius Emplaſtri Norimbergenſis inventionem neutiquam deberi *Ehrnſingero*, ſed potius GALENO, ceu ex *Weckeri Antidotario*, ſub titulo *Oxelæi* videre ſit. Aliud Emplaſtrum, quo feliciter abſceſſus Empyematis fuit ruptus, & per 3. & 4. tam Coſtam evacuatus in puella 4. annorum, proponit cum reliqua Cura *Joh.* de *Auralto in Ephem. Germ. Cur. Decur. II. Ann. III. obſ.* 146. quod videatur.

Si ſitis urgeat, propinetur ſequens julepus.

℞. *decoct. hord.* ℔ij.
ſir. papav. rhœad.
acetos. citri ana ʒij.
Tinct. fl. bellid. ʒij.
Spir. ſulfur. q. ſ. pro grato ſapore.

S. Kühlender Julep gegen den Durſt.

Si extraordinariè verò natura cum materia purulenta *ad meatus urinarios* vergit, diuretica ſunt admiſcenda, ut ſpir. ſulf. aniſ. therbinth. &c. vel hæc formula poteſt eſſe in uſu, ut,

℞. *amygd. dulc. excort.* ʒß.
ſem. 4. frigid. maj. excort. ana ʒß.
▽ *fl. acac. cichor. card. b. ana* ʒij.
F. l. a. Emulſ. adde
pulv. lap. ℈ *præparat.* ʒi.
mand. luc. piſc. præp. ʒß.
▽ *cordial. temperat.* ʒi.
Edulc. ſir. dialth. Fernel.
M. D. ad vitr.

S. Stärck- und ausführende Milch wol umgerüttelt auf etlichmal.

Conf. *Scultetus part. 2. obſ. chir. 53. p. m. 72. ſeq.*

Si ad inteſtina materia protruditur, lenientibus eſt promovenda, ut ſir. viol. pulp. caſſ. rec. extract. ſir. roſ. ſolut. mann. in jure carn. diſſolut, & rhabarb. vel clyſtere aliquo abſtergente, ut,

℞. *Rad. ariſt. alth. lilior. albor. ana* ʒß.
herb. malv. pariet. veron. ana mij.
ſem. fœnic. anis. ana ʒi.
C. in ſ. q. aq. font. vel ſeri lactis caprini ad remanentiam ʒx. *in qua diſſolve.*
Caſſ. pro clyſt. ʒi.
Elect. lenit. ʒß.
℥ *chamæm.* ʒi.
M. F. Clyſter.

Si ud cutim transfertur, tumorq; ibi excitatur, ope chirurgi aperiendus, & porrò abſceſſu aperto pus per vices evacuandum, & vulnus ſolito more ttactandum eſt.

Si autem tanta viſciditas & lentor puris ejusq; copia in cavitate thoracis colligatur ut per dicta loca expurgare neq; amus, vel etiam natura eas non tentet vias, certe ob majus malum præcavendum ad chirurgiam properare neceſſe habemus.

Ex *chirurgia* præſidia petentibus primo ſtatim loco *paracenteſis* tanquam præſtantiſſimum remedium ſe offert, quæ quidem antiquis ſatis frequens & uſitata fuit; noſtris verò temporibus rarior & non admodùm in uſu ob periculum imminens: Quando enim vires proſtratæ, pulmones & reſpirationis organa ita corrupta ſunt, ut nulla ſpes reconvaleſcentiæ ſit, diarrhœa cum frequentibus animi deliquiis & ſudore frigido ſupervenit, & materia morbifica non eſt benè conſtituta juxta *Hippocr. ſect. 7. aph. 44.* qui ſuppurati uruntur aut ſecantur, ſiquidem purum effluat pus & album, evadunt, ſi verò ſubcruentum, cœnoſum ac graveolens pereunt, certè fruſtra cruciatur æger, & potius hæc operatio omittenda eſt, ne medicus ægrum, quem ſuus morbus interemit, occidiſſe à vulgo videatur. Attamen hic non videtur rejicienda, quia in ægro noſtro vires adhuc ſunt validæ ad ſuſtinendam illam thoracis aperturam, & commodum aliquod ex ea poteſt ſperari; Uſtionem tamen, (licet *Rondeletius lib. 2. cap. 15.* ſcribat, ſe ea liberaſſe juvenem, qui per annum pus in thore collectum poſt pleuritidem geſtarit, & multos alios, quorum nomina non notavit) hodierni medici non admodum approbant, quoniam cum majori labore, periculo, dolore & ægri conſternatione conjuncta eſt; Quapropter ſectionem pro ea, & quidem maturè, quantum poſſibile, inſtituimus, antequam pulmones à pure valdè corrumpantur, & vires proſternantur.

Quoad *locum apertionis*, dextrum latus, quod in antecedente morbo erat affectum, & in quo fluctuatio percipitur, eligimus; ſed circa quam coſtam ſit inſtituenda Medici non conveniunt, *Hipp.* in libro *de internis affectibus* inter 3. & 4. ab inferiori ſurſum numerando, quem locum ita intelligendum eſſe pleriq; explicant,

Hippo-

Hippocratem nimirum numerare ab undecima, quam pro prima haberet, duodecima enim ob exilitatem, & quia multa carne musculosâ circumvestitur, vix percipitur.

Nos igitur quia securiùs, nisi apostema alium locum indicet, sectionem instituimus inter 5. & 6. ne lædatur admodum nervosa diaphragmatis substantia, quod ipsum etiam præcaveri jussit *Hippocr. lib.* 3. de morbis, sed neq; in anteriori, neq; in posteriori parte, sed ad latus quatuor aut quinq; digitis à sterno, qui parvos habet musculos & paucos superpositos; Ut autem incisio cautè fiat, locum atramento prius notamus ad meliorem certitudinem, &, ne vena ἀζυγὸς, quæ in parte cujusvis costæ inferiori, cujus sinum natura insculpsit, recumbit, lædatur, in parte superiori ipsius costæ instituimus, & æger, dum sectio peragitur, est in ipso exspirationis actu, nec statim respiret, ne pulmones elevati offendantur. Foramen fiat secundum ductum fibrarum obliquum atq; exiguum & instrumentum seu scapellus, cute, dum difficilius perforetur, paululum obliq; divisâ, sensim & paulatim infigitur, donec cavitatem penetret, deinde fistulam argenteam foramini exactè respondentem immittimus, ne aër subitò illabatur, & pus confertim effluat juxta *Hippocr. sect.* 6. *aph.* 27. Quicunque Empyici aut Hydropici uruntur aut secantur, si pus aut aqua confertim effluxerit, omnino moriuntur, ideò cautè hîc agimus & quotidie aliquid puris v.g. ʒij. aut ʒiv. vel tantum, quantum necessitas efflagitat, observatis tamen viribus, evacuamus, si non liberè effluat, æger vulneratæ parti inclinet, sæpiusq; tussiat, & sternutatorio corpus concutiat, si verò nimis viscosa atq; lenta materia sit, mulsum, quod facultate abstergente & consolidante pollet, vel injectiones ex decoctis abstergentibus, ut materia ad Exitum fluidior reddatur, & pars forsan à puris acrimonia erosa & exulcerata, eluatur & consolidetur, per siphonem, cum *Hargero* insigni chirurgo Hispano, qui hoc modo multos curasse testatur, injicimus; suademus etiam secundum nonnullos mixturam olei & vini tepefactam infundi; internè conveniunt essent: & decoct. lignor. essent. vuln. hyper. agrimon. ir. nicot. &c.

Vulnus inflictum chirurgis relinquimus, quod ante decimam quintam sectionis diem non consolidandum esse illos admonemus.

Diætam quod concernit hanc in legitima sex rerum non naturalium administratione consistere omnes affirmant Medici, inprimis verò huic malo in initio resistendum fuisset, ne radices egisset, juxta Ovidium:

Principiis obsta: sero medicina paratur.
Cum mala per longas invaluêre moras.

Ex quibus primo occurrit *Aër*, qui sit æquè nostro conveniens, temperatus, & quodammodo ad siccitatem inclinans, nocet crassus frigidus; *Cibi* sint boni succi, facilis coctionis & quadam

quadam facultate attenuante & abstergente pollentes, ut jusculæ ex carne vitulina, bubula & gallinis parata, caro gallinarum, caponum, pullorum gallinaceorum, lactis usus præcipuè caprilli & asinini potest etiam concedi, cum valdè nutriat, & facultate abstergente polleat. *Potus* sit hydromel & hyssopo conditum, item decoctum hordei. *Somnus & vigilia* sint moderatæ, & ita dividantur, ut justus in utroq; observetur modus; *Motus* corporis sit decens, & quietum æger se gerat, ne præ empyematis gravitate & fluctuatione respirationis organa impediantur, *Animi pathemata*, quantù potest, fugienda & vitanda; *Alvus* semper aperta servanda, inprimis, si materia ad alvù vergat, optima est ptisana cum melle, vel clyster abstergens, si ad renes, jus cicerù cum radic: & sem: petroselini.

CASUS X.

De

HÆMOPTYSI.

JUvenis XXIV. annorum, constitutione corporis sanguineâ præditus, postquam dolore capitis pulsante per aliquot tempus laboraverat, noctu tussi molestâ correptus, libram ferè floridi & spumosi sanguinis sine dolore, brevi interjecto temporis intervallo ἀθρόως per os excernit, tandemque etiam nares stillant sanguine, unde non solùm de virium debilitate, sed etiam dolore pectoris gravativo, tussi & respiratione difficili conqueritur, absente quidem febri, cumque nondum planè cessset sanguinis, concreti licet, rejectio, anxius de salute sua ægrotus noster Medici anhelat consilium.

RESOLUTIO.

QUisquis paulò attentius omnia atq; singula in modò recensita Historia perpenderit *Symptomata*, ei haud difficile erit, AFFECTUM, quo cum noster æger conflictatur, æquè ac ejusdem causas determinare. Quod enim navigantibus est pyxis nautica, & in illa inclusa acus magnetica, aut etiam cœlo sereno tempore nocturno stella Polaris; Quod per terram iter facientibus statuæ Mercuriales; Medicis sunt in sensus vel Medici, vel ægrotantis, vel adstantiù incurrentia Symptomata aliave signa. Hæc enim Medicum aliâs de ipso affectu ejusq; causis dubium existentem certum reddunt, non aliter ac Illa peregrinantibus in bivio constitutis, aut in vasto Pelago errantibus, expeditum atq; securum ostendunt iter. Hinc non tantum ipsa sanguinis per os eruptio, sed & ejusdem sanguinis rejecti spumosa atque florida consistentia, nec non excedens quantitatis, motus præterea excretionis tussi descriptus, gravitatis porrò in pectore sensus, tandemque difficilis respira-

respiratio satis produnt Hæmoptysin præsentem, De cujus Natura ac Essentia generalia quædam præmittere animo constituimus, antequam individualis hujus affectus resolutionem aggrediamur.

Dicitur *Hæmoptysis*, quo rem à primo, quod dicitur, ovo ordiamur, Græcis, quibus sua incunabula debet, ἀπὸ τὸ αἷμα sanguis καὶ πτύσις spuitio. Latinis *sputum sanguinis*, sputum cruentum, rejectio sanguinolenta. Germanis das Blutspeyen. Accipitur vel Generaliter vel Specialiter. *Generaliter* sumitur Hæmoptysi, sive sanguinis sputum, pro quavis sanguinolenta per os rejectione, sive critica illa sit, sive Symptomatica, sive per tussim sive per screatum, sive per simplicem expuitionem, sive per vomitum excernatur, sive ex capite juxta veterum sententiam, gurgulione aliisve etiam partibus accidat. Sic *Galenus* se sanguinem è cerebro & gurgulionis partibus internis ad fauces affatim descendentem rejectum tussiendo conspexisse *4. de loc. aff. c. 1.* Ex ventriculo *Riverius cent. 3. observ. 12.* Ex Hepate *Fontanus in observ. rarior c. 23. p. 68.* testatur. *Specialiter* autem pro ea sanguinis per os rejectione quæ fit cum tussi ex vasis pulmonum, de qua utpote propria acceptione hôc locô sumus acturi.

Definimus *eandem*, quod sit sanguinis per os cum tussi citra inflammationem rejectio, à vasorum pulmonalium apertione ortum habens.

Generis loco ponitur rejectio sanguinis quæ ipsis sensibus patet; quo ipso refertur ad classem symptomatum, nimirum quæ est Excretorum & Retentorum, in quantum illa toto genere peccare dicuntur. Reliqua in definitione verba præter causæ proximæ, & partis affectæ determinationem differentiam constituunt specificam.

Hinc *Rejectio* dicitur *per os* ad *differentiam* illarum sanguinis excretionum, ubi per alia loca, qualia sunt; nares, alvus, uterus, meatus urinarius, viæque minus solitæ, ut oculi, aures, papillæ mamillarum, cutis pori &c. sanguis exit.

Additur ulterius, hanc sanguinis rejectionem fieri *cum tussi ex pulmonibus*, atq; sic discretam eam volumus à vomitu cruento sanguinem undecunque in ventriculum transmissô.

Sequitur porrò *citra inflammationem*, ut excludatur Pleuritis & Peripneumonia, utpote in quibus sanguinis illa expuitio hisce affectibus etiam familiaris, Hæmoptyseos nomine ob inflammationem præsentem neutiquam salutanda.

Ultima verba à *vasorum pulmonalium apertione p. n. ortum habens*, causam hujus symptomatis proximam unà cum parte affecta innuunt.

Etenim cum Affectum præsentem *symptomatibus* annumerandum superius censuerimus, hæc verò in ordine ad causas à Morbis dependeant, ut à corpore umbra, secundùm ea quæ tradidit *Galenus*, atque universa Ejus Interpretum caterva. Sanguis præterea secundum naturæ leges in vasis detentus ejici p. n. nequeat, nisi

eadem vasa præter naturam aperiantur. Hinc consequens est CAUSAM Hæmoptoes PROXIMAM esse vasorum pulmonalium morbum organicum, quem apertionem eorundem præternaturalem dicunt. Et quandoquidem tria sint apertionis vasorum genera, Anastomosis puta, Diæresis atque Diapedesis, priora duo magis erunt inculpanda, infonte relictâ diapedesi, eò quod transudatio non sufficiens videatur sanguini confertim erumpenti. CAUSARUM REMOTIORUM nomine veniunt omnia illa, quæ valis vel ἀναστόμωσιν vel διαίρεσιν inducere apta sunt, quæ quamvis sint innumera, commodè tamen in *Internas* & *Externas* dispescuntur, illæ potissimum sanguinis, in quantum ille vel copiâ vel acrimoniâ peccat, generationi inserviunt, ita tamen ut non planè excludantur quæ sanguini motum præternaturalem concitare possunt, & ferè *tribus* poterunt includi *Classibus*, Rerum nimirum Naturalium, Nonnaturalium & Præternaturalium.

Inter *Res Naturales* occurrit I. *Temperamentum* calidum & humidum, calidum & siccum, quoniam illud sanguinem quantitate, hoc eundem qualitate peccantem producere potest.

II. *Ætas* præcipuè Juvenilis tum ratione sui tum ob commissos in diæta errores in hac ætate frequentiores iisdem vitiis contaminatum sanguinem generans.

III. *Idiosyncrasia* in peculiari partium affectarum debilitate, vel jure hæreditariô vel aliundè contracta consistens.

Rerum Nonnaturalium agmen ducit *Aër* caliditate excedens, sive ipsi adjuncta sit humiditas, unde sanguis copiosior, sive siccitas, unde acrior idem evadens, vasis dilatandis aptus redditur. Spectat hùc quoque Anni tempus Vernum pariter atq; æstivum, quæ si sint constantia, prout loquitur *Hipp. s. 3. Aph. 8.* id est, si statum naturalem retineant, itidem sanguinem vel augebunt, vel acuent, adque motum impetuosiorem propensionem conciliabunt. De Juvene Alcmariano quotannis tempore verno Hæmoptysin passo, exemplum habet *P. Forest. l. 16. obs. 11.* itemq; aliud in alio instante vere periodicè sanguinolentũ sputum ejiciente. *Obs. 22.* ejusdem lib. ubi similem causum ex *Amat. Lusitan. Cent. 2. Curat. 13.* Angeli cujusdam de Prato dicti, viri singularis eruditionis allegat. Succedit *cibus & potus* qui si vel copiosiùs assumantur, aut verò tales, qui acredinem & huic affines qualitates junctas habent. Et cibi quidem acres, multis aromatibus ac sale nec non muriâ conditi, acetô macerati, carnes ac pisces fumô indurati; Nimi generosioris potus usus, aquæ item falsæ, nitrosæ similibusq; impuritatibus scatentis. Spectant hùc ratione assumptorum medicamenta acria, imprimis crebrior aloeticorum usus, nec non vomitoria fortiora adhibita.

Sequitur jam *Motus* corporis *vehementior*, vim vasis aliquando inferens, ut, sunt clamor validus, efflatio immodica illorum, qui tubæ canunt, vel

lituô

lituô aut cornu, saltus, cursus, equitatio, gravioris ponderis elevatio, nimius conatus in excernendis alvi fecibus, fœtuvè excludendô.

Ex *Animi affectibus* illi potissimum hic incusandi, qui vel sanguinem cum spiritibus nimis exagitant, vel verò circa cor eundem detinent, nimirum iracundia præprimis, tristitia item ac mœror.

Supressæ demum consuetæ *evacuationes* sanguinis per nares, hæmorrhoides, uterum; intermisse solennis venæsectio, causam & occasionem huic evacuationi præbere, & Historiæ Medicæ atque quotidiana experientia sufficienter edocent.

Ex *Rebus præternaturalibus* hùc faciunt Intemperies calida vel totius, vel viscerum principaliorum, plethora, sanguinisq; copia, nec non ejusdem offervescentia immoderatior, defluxiones ad pulmones, humorum præcipuè acrium, salinorum, vomitus vehementiores palpitationes cordis &c.

Causis succinctè quidem ad sufficientiam tamen ni fallor in medium adductis; Proximùm nunc est, PARTEM AFFECTAM determinare. Illud verò adeò difficile non erit, quin ex superioribus jam dum innotescere potuit. *Pulmonum* nempe hic laborare *vasa sanguinea* non est ut quis dubitet.

Cum autem duo, ut in aliis membris, ita & hic, sint vasorum sanguinem vehentium genera, *venæ* nimirum & *arteriæ*, haud injuriâ ambigeretquis, num utraq; hæc vasa in Hæmoptysi veniant incusanda? sanè officium venarum, pariter ac ipsum sanguinis motum considerantii non deerunt argumenta, quibus venæ in hoc quidem delicto possent exculpari, si per solius ἀναστομώσεως modum apertio acciderit. Ast verò cum διαίρεσιν hic etiam nonnunquam obvenire superius innuimus, huic verò non immunes sint venæ, consequens est nec has omnî omninò vacare culpâ. Ita quoq; sanguis excretus floridus, fervens ac tenuis, arteriam potius pati non obscurè posset colligi; attamen cum etiam nonnunquam sanguis cum tussi excretus, dictis qualitatibus destituatur, nec venæ ab arteriarũ consortio partiũ affectarum, in sputo sanguinis rationem habentiũ, erunt excludendæ.

SIGNA DIAGNOSTICA PATHOGNOMONICA suppeditant, Essentialiter inhærentia, Ipsum videlicet sanguinis sputum in sensus incurrit, quibus ex consequentibus se associat tussis, discriminans hoc symptoma à vomitu sanguineo, rectione ejusdem sanguinis per os, ex faucibus gingivis Palato &c.

Hisce ceu generalioribus præmissis, specialior Casus propositi Resolutio nunc aggredienda erit, ubi quæ de *Prognosticis* atque *Therapiâ* dicenda restant, simul adjiciemus.

Præsentem ergò ægrum Hæmoptysi laborare propriè & specialiter ita dictâ, non saltem ipsa rejectio, sed & huic adjuncta tussis, sufficienter evincunt.

Ortum autem eam duxisse à plenitudine sanguinis in ὀργασμὸν rapti, atque sic arteriarum pulmonalium non tantùm orificia aperientis, sed & fortassis oscillis arteriarum dictarum diæresin induxisse, non tantùm ætas,

sed & temperamentum & reliqua *signa*, ab antecedentibus essentialiter inhærentibus, nec non consequentibus desumpta, evidenter satis demonstrant.

Hinc in *ætate Juvenili constitutione corporis sanguinea* præcessit *dolor capitis pulsans* in ὀργασμὸν conciatô sanguine, in arteriis urriusque meningis. Rejicitur post per os *libra sanguinis*, ob vasa majuscula aperta.

Sanguinis FLORIDI, qualis est ille maximè, qui per arterias fertur, *Spumosi*, ob per mixtum, propter agitationem ejus à pulmonibus factam, aërem.

Sine dolore, sunt enim pulmones sensus admodum obtusi, quo vasa plenariè destituuntur.

Breve interjicitur *temporis intervallum*, ob læsionem arteriarum lævium non exiguam. Ἀθρόως ob eandem causam.

Nares stillant sanguine, ob turgescentem sanguinem copiosum ad superiora raptum, atque vasorum sanguineorum, in narium interiora, membranasque pituitarias anteriores terminantium, orificia aperientem.

Subsequitur *virium debilitas*, spiritibus vitalibus, in quibus robur, cum rejecto sanguine deperditis.

Dolor pectoris gravativus à distensione, & hunc post factam rejectionem sanguinis subsequente subsidentiâ substantiæ pulmonum.

Tussis, à sanguine extravasato, respirationis organa molestante, adquè hanc expulsionem irritante,

Difficilis respiratio, ob angustiam bronchiorum asperæ arteriæ, quam idem sanguis extravasatus illis incumbens efficit.

Abest febris propter inflammationem pulmonum massævè sanguineæ turgescentis effervescentiam absentem.

Quandoquidem ergò æger de salute sua sollicitus, eventum morbi desiderat. Generale ipsi vel potius adstantibus erit communicandum PROGNOSTICON, quod tradit *Hipp. noster sect. 4. aph. 25.* ubi sanguinem, inquit, supernè, qualiscunque sit, efferre malum. Periculô enim nunquam vacat hæc per os facta sanguinis expuitio, quippè cùm ob vasa pulmonum læsa & difficulter curabilia, ulcus ferè immedicabile, & hoc insequentem tabem, aut verò dissipatis, cum sanguine copiosiùs rejecto, spiritibus, mortem inducere possit. Non tamen omnis planè abjicienda spes erit, tunc enim demum res penè conclamata est, Authore eôdem *Hippocr.* si prout habet *Aphoris. 3. sect. 5.* copioso sanguinis fluxui convulsio aut singultus supervenerit. Adhuc verò majus imminet periculum, ex mente ejusdem Medicinæ Parentis *sect. 7. Aphor. 15.* si sanguinis sputum exceperit puris sputum. Ex puris enim sputo subjicit Aph. sequente Idem, tabes & fluxus, postquam autem sputum retentum fuerit, moriuntur. Quibus funestis symptomatibus cum æger noster hactenus fuerit immunis, neque enim aut singultus aut convulsio hùc usquè fuit observata supervenisse,

nec

nec etiam inter rejecta aliquod purulentæ materiæ veſtigium conſpectum. Hinc aliquid adhuc reſiduum eſt, quô dejectum ex mortis metâ animum aliquô adhuc modô erigere valemus. Quodſi his ſuperaddere quis velit *ſect. 7. Aph. 37.* per nos utique licebit, quanquam hic Aphoriſmus ſecundum literam ſolamen potius afferat iis, qui ſanguinem evomentes à febre ſint liberi.

Ad Curationem nunc ut accedamus animi fert ſententia. Illa verò maturanda eſt, authore *Tralliano*, qui, σπουδάζειν, inquit, δεῖ τὸν θεράπειαν, ne ægro ex nimia profuſione ſanguinis alia graviora ſymptomata ſuperveniant. Sed ne, remedia præſcribentes, imitemur Empiricos, qui unô collyriô, ut habet proverbium, omnes oculorum ægritudines curare ſatagunt, juſtâ Medicorum Dogmaticorum cynoſurâ, medendi inquam methodô, utemur, & juxta Indicationes curam inſtituemus.

Cæterùm cum Hæmoptyſin ſuperius inter ſymptomata referendam dixerimus, hæc verò accuratè loquendo neutiquam indicent, ſed omnis remotio eorum in morborum, quorum Symptomata ſunt, & quos ceu umbra corpus ſequuntur, remotione conſiſtat. Morbum autem, præſentem hunc noſtrum affectum producentem, apertionem p. n. vaſorum pulmonalium ſupra quoque innuerimus, hinc *Curatio* eò dirigenda erit, & juxta *triplicem Indicationem*, *curatoriam* ſcilicet, *præſervatoriam* & *vitalem*. Quarũ iſta morbum, illa cauſam, hæc vires reſpicit, procedendum, niſi fortaſſis ſymptoma nimis urgens, à ſueta aliâ via recedendum eſſe ſuadeat.

Curatoria ergò *Indicatio*, id quod p. n. apertum, claudendum & obturandum eſſe jubet.

Præſervatoria, cauſarum remotionem poſtulat, atque adeò ſanguinem copiâ & motu peccantem corrigendum, hinc non tantùm ſanguis minuendus, atq; ad pulmones ruens aliò invitandus, ſed & omnia, quæ nimis fluxilem reddere, aut ad ὀργασμὸν disponere poterant illum, removenda, nec negligenda, quæ parti recipienti, roboris conciliando, affluentes humores excludunt.

Vitalis Indicatio vires, quæ in hoc affectu non levem ſentiunt jacturam, ſpectat, quarum reſturatio, ne æger dubii eventûs exponatur periculô, maturè procuranda.

Hæ autem convenientes cum ſibi poſcant auxiliorum materias, è conſuetis tribus *Fontibus*, *Chirurgico* videlicet, *Pharmaceutico* ac *Diætetico* erunt illæ depromendæ.

Ex *Chirurgico Fonte* præſtò eſt generoſum illud ac omni Hæmoptyſi conveniens remedium, Venæſectio, ſtatim in principio adminiſtranda. Permittunt eandem Ægri conſtitutio, vires non planè dejectæ, ætas, idq; generis alia. Secetur ergò Mediana vel Baſilica dextri lateris, & quidem partitis vicibus, ne vires præter ſpem nimium diſſolvantur, & revulſio ſit efficacior. Sanguis autem ad ℥ij. vel iij. ſingulis vicibus emittatur. Venarum in talo quoq; ſectionem multùm leva-

minis afferre posse testantur Practici, ast magis præservationis quam curationis gratiâ illa instituatur.

Nec negligenda insimul, ubi opus fuerit cucurbitularum, vel cum vel sine scarificatione, in cervice, scapulis ac pedibus, affixio, extremorumque tum Frictiones, tum Ligaturæ. Expediet tamen venesectionis priùs successum circumspectè expectare, quàm ut naturam officiosè turbemus.

Ex *Fonte Pharmaceutico* sese nobis sistunt (1.) alvum leniter subducentia; Qualia sunt, Manna cassia recenter extracta, Syrup. rosar. violar. solut. pruna laxativa, aliaque id generis mitiora. Ex quibus & aliis varia formularum genera concinarii possunt. Præ aliis insignem meretur laudem Syrupus Magistralis Riverii, quippe ex moderatè refrigerantibus, qualia hic requiruntur, paratur, aliquoties exhibitus.

℞. *Syrup. magistral. Riverii cap. de sputo sanguinis descripti* ℥ij.

S. Laxier-Safft auf einmal.

Nec in utilè fuerit Enemate tali aut simili evacuationem simul & alterationem humorum intendere aut moliri:

℞. *Rad. Nymph.* ℥ß.
Fol. polygon. branc. ursin. violar. ana M*j.*
Sem. papav. alb. portulac. ana ℥j.
anis. fœnicul. ana ℥ß.
Fol. sen. Alexandr. s. s. ℥vj.
Coq. in s. q. Aq. fontan. colat. ℞. ℥x. *add.*
Cass. extract. pro clyster. ℥ß.
ol. violac. ℥j.
Sal. nitr. ℥ß.
M. F. Clyster.

S. Clystier/laulich zu appliciren.

Hinc ad fervidioris acciorisquè sanguinis alterationem, Tinctura flor. papav. thead. de consil. *Timæi à Guldenklee l. 2. Obs. medicinal. cas. 15. p. 104.* miva cydonior. & syrup. myrtino dulcorata, cum fructu exhiberi poterit, aut præscribi sequens aut simile Julapium.

℞. *Aq. portul. papav. rhœad. ana* ℥vj.
Sanguin. Dracon. tenuiss. lævigat. ℥ß.
Syrup. papav. rhœad. ℥ij.
de ros. siccis ℥iß.
M. f. l. a. Julepus.

S. Julep offt darvon zu trincken.

Tempore somni non inconveniens fuerit ægroto nostro Emulsionem ejusmodi propinare.

℞. *Sem. 4. frigid. major. aa.* ℥ß.
Amyd. dulc. excordicat. ℥ß.
Aq. Alkekeng. papav. alb. plantag. portul. aa. ℥j.
F. Emulsio. cui add. Magist. ocul. ℈ j.
corall. rubr. Margarit. ppt. aa. ℈ß.
Julep. rosar. & violar. aa. ℥iij.
M. S. kühlende Krafft-Milch auf zweymal.

His ita præmissis, totis viribus eò allaboremus, quò vasa, antequàm inflammatio, difficilem & periculosam relinquens medelam, accedat, statim occludantur. Testis est. *Galenus, qui, 5. Method. Med. c. 13, & 14.* scribit, se

omnes

omnes curasse, qui è pulmone sanguinem expuentes, mox primô die ipsius operâ usi fuerant, qui verò post biduum aut triduum Eô usi essent, horum aliquos sanatos esse, quos autem phlegmone sic occupaverat, ut febricitarent, eorum sanè nullum perfectè restitutum fuisse. Medicamenta verò illud præstantia, sunt & recensentur varia apud varios, selectiora sunt: Rad. Symphyt. major. tormentill. pimpinell. plantag. Herb. sanicul. symphyt. plantag. portulac. heder. terrest. & omnia præparata ex plantag. portulac. heder. terrest. quæ palmam reliquis præripiunt. Flores hyperic. rosar. bellid. violar. bugloss. Gummosa, ut Gummi arabic. tragacanth. hederæ arboreæ, thus pro consolidatione valdè conveniens. Semina quoque quædam, quæ simul anodynam vim habent, ut semen papav. alb. & hyoscyam, sed cum insigni polleant vi stupefaciendi, non nimis frequenter, nec majori etiam in copia sunt usurpanda. Ex Mineralibus, lapis hæmatites, illiusquè Tinctura, nec non medicamenta legitimè ex sulphure parata, terra item sigillata, bolus armen. & ex his parata vel Officinalia vel Magistralia, possunt enim ex hisce & similibus sequentes aut aliæ fieri formulæ.

℞. *Conserv. rosar. antiq.*
pimpinell.
symphyt. aa. ℥j.
Rad. consol. major. condit.
Cichor. condit. aa. ʒß.
Croc. ♂t. adstringent. ʒß.
Tinct. mumiæ. ʒj.
Syrup. de hispidul. q. s.
M. f. Electuarium.

S. Latwerge / einer Castanien groß zu essen.

Non inutiles quoque erunt hæ Rotulæ, quæ præparentur,

℞. *Lapid. hæmatit. ppt. ʒiß.*
Croc. ♂t. adstringent.
Bol. armen. aa. ʒj.
Ocul. Cancr. ppt. ℈j.
f. c. s. q. sacch. aq. portul. & papav. alb. solut.
Rotulæ.

S. Küchlein/gegen das Blut-Auswerffen öffters zu gebrauchen.

Vel ℞. *Pulv. Heurn. ad sput. sanguin. anonym. ana ʒiß.*
ocul. Cancr. ʒj.
Sem. cerefol. ʒß.
cum rotulis diacodii f. pulv.

S. Pulver alle 6. Stund 2 oder 3. gute Messerspitz voll mit Körfel-Wasser zu gebrauchen.

Sequens etiam succus cum fructu adhiberi poterit.

℞. △. *Plantag. equiset. burs. pastor. aa. ℥j*
Syrup. portul. symphyt. Fern. aa. ʒj.
Tinctur. Sulph. vitriol. ʒiß.

M. S. Safft/gegen das Blut-Auswerffen 2. Löffel voll auf einmal.

Nec non Emulsio partem affectam corroborans viresq; instaurans, hunc in modum fieri convenier.

℞. *Amygd. dulc. excort. ʒiß.*
sem. 4. frigid. ana ʒj.
papav. alb. ʒiij.
cum Aq. decoct. hord. q. s.
f. Emulsio ad ℔. 1.

sacch.

sacch. perlat. q. s. edulc.

S. Stärckende Mandel-Milch nach und nach zu trincken.

Cancri vivi unà cum putaminibus, sed novellis mollìusculis, in mortario cum jusculo carnis contusi, & percolati, succum præbent, & viribus, restaurandis & affectui Hæmoptyco idoneum, si nimirum sæpiùs ad ℥ij. ægro propinetur. Sic Gelatina C. C. quà confortandi quà glutinandi virtute prædita, in hoc affectu sumæ est efficaciæ.

Quod si autem hæc, quæ hactenùs sunt proposita, aliaq;, quæ addi adhuc possent, præter spem omnem paginam non sint absolutura, in casu necessitatis, Authore *Rolfinciò l. 3. cons. consultat. 2. p. 341.* ad Narcotica, utpote sputum sanguinis miraculosè sistentia, transire licebit, sed illa cum ratione tanquam æquissimâ lance sunt perpendenda, ne intempestivè & viribus penè sepultis in usum trahantur.

Quò autem vasa eò promptiùs obturentur, insimulq; impediatur, ne alia denuò ingruant graviora symptomata, de sanguine grumoso dissolvendo solicitus sit Medicus. Quapropter in præsenti Ægro cum sanguinis impetus aliquâ ex parte cessat, ejusque tamen portiones concretæ adhuc rejiciuntur, omnis nostra cogitatio eò dirigenda est, ut reliquiæ illæ circa vasa pulmonis relictæ primũ resolvantur, cum sanguine misceantur, vel per expectorationem educantur. Necessum itaq; talia in usum vocare, quæ sanguinem coagulatum & concretum dissolvere valent. Qualia imprimis sunt: Aq. chærefol. Alkekeng. flor. hyperic. bellid. utriusq;, burs. pastor. succus urticæ, qui summè proficuus censetur, ita, ut etiam pro deploratis habiti, hujus usu curati fuerint, vel in ipso paroxysmo, vel post, cessante fluxu, exhibitus, test. *Amat. Lusitan. Cent. 6.* sperma ceti, rhabarb. sanguis hirci, Mumia, diaphoret. Ex quibus ut & aliis, huic scopo inservientibus, pro desiderio ægrotantis varia possunt parari formularum genera. Unam vel alteram patientis nostri constitutioni convenientem apponere placet. Ad dissolvendum itaque sanguinem grumosum.

℞. *Syrup. papav. errat.*
flor. bell. rubr. aa. ℥iij.
Aq. Alkekengi.
plantag.
Chærefol. ana ℥ß.
Essent. ocul. Cancr. ʒiß.
Misc. pro duabus dosibus.
Vel

℞. *Ocul. Cancr.*
Corall. rubr. ana ppt. ʒß.
Sperm. cet. non rancid.
Mumiæ, rhabarb.
ana ʒj. M. f. p.
pro tribus dosibus in seq.
Aq. sumendus.

℞. *Aq. Chærefol. scabios.*
card. bened. ana ℥j.
Syrup. flor. bell.
papav. ana ℥ß.

Dum hæc fiunt, poterit æger ad materiæ uberiorem expectorationem sequentia usurpare.

℞. *Oxymel. pectoral. Horst. ℥iß.*
Essent. hypericon. ℥iß.

Aq.

Aq. chamædr. hyperic.
plantag. Cherefol. ana ℥ß.
M. S. Brust-Mixtur / offt ein Löffel voll.

Vel

℞. *Syrup. de Jujub. portulac. ana* ℥j.
è succ. scab. violar. ana ℥vj.
Spermat. cet. non rancid. ℥ß.
Aq. Hæmopt. Dorncreil. ℥ij.
M. S. Safft zum Ausswerffen alle Stund ein Löffel voll.

Diæta tandem his omnibus succedit, & agmen claudens, salutarem vitæ, ciborumque præscribit normam, quam meritò æger noster observare debet, ni sæpissime hôcce malô affligi velit. Ratione *Vitalis* Aërem suademus ægroto nostro temperatum, aut moderatè ad siccum & frigidum inclinantem.

Ratione *Naturalis* cibos initio tenues, frigidiores & vi emplasticâ seu glutinandi pollentes, utpote cremor Hordei, oryzam lacti incoctam, pulmenta ex milio, avena, amylo &c. lentes, fabas, pruna Ungarica acida, juscula & pultes amygdalinas admixtis pineis nucibus. Pyra, Cydonia mala, mespila. Lactucam, portulacam, endiviam, cichorium. Carnes agninas, vitulinas, vervecinas, imprimis exta, pedes, aures & capita horum animalium. Potus ordinarius sit cerevisia tenuis ritè excocta. Extraordinarius vinum aquosum, rubellum, hydromel, aqua hordei, lac amygdalatum, ebutyratum, caprillum, quô so lôse curasse, refert Trallianus, sanguinis sputum.

In *Animali*, somnus & vigiliæ non excedant mediocritatis limites. Motus nimius, præcipuè pectoris per clamores & cantus, fugiatur. Ab affectibus animi vehementioribus abstineat,

CASUS XI.

De PHTHISI INCIPIENTE.

Juvenis XXII. annos natus, staturâ eleganti, mediocriter oblongâ, venustâque facie & temperamento sanguineo-cholerico præditus, postquàm per aliquot menses, cibis sanguinem minùs laudabilem generantibus, carne præsertim fumô indurata, aliisque salitis esset usus, atque delectatus non modò, verùm etiam sæpè sæpius cerevisiam triticeam copiosè, Tabacophilus ingurgitasset; nec rarò vini generosioris potui ad ebrietatem usq; indulsisset; præterea quoq; balneis calidioribus, atq; exercitiis corporis vehementioribus, intempestivè non minus ac frequenter incaluisset, cœpit ab aliquot jam septimanis cum ventriculi manifesta debilitate, læsam quoq; persentiscere chylificationem, cui frequens tussis accessit primò sicca, jam verò humida, cum excretione materiæ flavedine quadam

dam tiuctæ; respiratio quoq; paulo difficilior adest, capitisque dolor præsertim à pastu, vel ubi alvus, suâ naturâ siccior, officio minùs respondet, affligere solet; quæ quidem incommoda minori Æger perferret sollicitudine, nisi sensibilis interim corporis ἀτροφία supervenisset: undè licet hæc non adeò insignem virium jacturam hactenus induxerit, tamen metuens, ne prædicta symptomata tristem deniqúe catastrophen adferant, medicum expetit consilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUM, quo Juvenis noster laborat, ΦΘΙΣΙΝ, non *perfectam* quidem, sed INCIPIENTEM, esse arbitror, remq; ita se habere colligo

1. Ex *Essentialiter inhærentibus.* Cum enim *vera* & *perfecta* phthisis sit *totius corporis extenuatio, cum tussi molestâ respiratione difficili, sputo modo cruento, modo & plerumque purulento, ab ulcere pulmonis ortum ducens;* & non pauca præsenti in casu occurrant φαινόμενα, quæ licet tali in gradu nondum adsint, nec dum veram pulmonis exulcerationem agnoscant causam, ea tamen impressêrunt vestigia, undè dispositio saltem ad veram φθίσιν, hujusq; adeò *incipientis* sive *imminentis* indicia multum eluceseunt: præsertim cum hoc ipsum confirment.

2. *Essentiam consequentia,* uti sunt illa ipsa destructæ digestionis vitia, & quæ hinc incommoda (de quibus posteà) induci solent; symbolum conferentibus.

3. *Causis prægressis,* quæ ita profectò sunt comparatæ, ut ejusmodi affectum haut difficulter excitare potuerint; de quarum ratione inferiùs plura dicemus.

SUBIECTUM seu PARTEM AFFECTAM quod attinet, quanquam occurrant signa non obscura, quæ, *Pulmonem* extrà periculi aleam minimè versari demonstrent, hocve viscus jam quampiam debilitatis labem contraxisse innuant, *Ventriculum* tamen hisce malis non solum prælusisse, sed etiam nunc in sic *affecti,* ceu diximus, *pulmonis* societatem venire, ea, quæ in historiâ recensentur, manifestè declarant. Hinc & *Pulmonem* non tàm ex se & ἰδιοπαθῶς laborare, quàm *ventriculi* ἀτονίαν luere, suâ, ceu reor, luce radiat.

CAUSSAM proindè IMMEDIATAM hujus *Extenuationis,* quâ corpus ægri consumi ab aliquod *Pulmonum Ulcus,* quàm *vitiatam* potius *acremq;* & *salsam lympham,* conjiciendam puto; quæ sicuti laudabilem sanguinis constitutionem magnoperè deformat, ita quoque partes nutriendas suo defraudat genio, multaque alia producere incommoda, labemque Pulmoni non contemnendam tacitâ quadam erosione affricare apta nata est.

Neque

Neque res eſt magni negotii, oſtendere, ita ſe, quæ diximus, habere, cùm ſi intueamur in CAUSAS MEDIATAS, & quidem PROXIMIORES, prout has nobis Casûs Enarratio ſuggerit, ſingulæ hujus ſint naturæ, ut ſymbolum ſatis ponderoſum adferre valuerint. Ipſa enim ſanguinis conſtitutio ad caliditatem & ſiccitatem cum intenſa quadam acrimoniâ vergens, præſtò eſt, & lymphæ ſuam imprimit ἀκρασίαν: quamquidam cum *Paracelſo* per prædominium particularum ſulphureo-ſalinarum; Alii cum *Tackenio* per Acidi & Alkali exceſſus; nonnulli cum *Sylvio* per illum ſucci Pancreatici, Bilis & Pituitæ inteſtinalis triumviratum illuſtrare amant; quórum explicandi modos, cum quoad rem à Veterum doctrina non planè abludant, facilè admittere poſſumus. Quotiescunque enim ob vitia Fermenti in ventriculo hoſpitantis Chylificatio corrumpitur, fieri aliter nequit, quàm ut Chylus minùs elaboratus per vaſa lactea, ductumque thoracicum ad cor delatus, αἱματῶσιν quoque perturbet, & ſanguineam maſſam particulis peregrinis acribus, & ſalſis imprægnet, quæ poſtmodum, mediante ſanguinis circuitu, ad teneram pulmonum ſubſtantiam deductæ, vel ſub ſeri bilioſi aut lymphæ acrioris ſchemate membranoſis viſceris iſtius bronchiis illatæ, tandem erodendo ulcus, cauſa dixi veramq; hinc producere φθίσιν poſſunt.

Quæ quidem prava ſanguinis diſpoſitio, eò faciliùs, majorisque cum efficaciâ foveri pariter atque excitari potuit, quò minùs defuerunt CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES, quæ aliàs edendis ejusve modi affectibus aptiſſimæ deprehenduntur. Nam Res *Naturales* quod ſpectat, ipſum Ægri *Temperamentum* ita comparatum eſt, ut vel ſuâ naturâ prædominium particularum ſulphureô-ſalinarum foveat, undè fit, ut dum particulæ ſulphureæ intenſæ blandas ſeroſas exhauriunt, erodens ſanguini acrimonia concilietur, præſertim in *juvenili ætate*, quam Hippocrates *L. IV. aph. IX.* dudum ſanguinis ſputo & tabi obnoxiam pronunciavit; Prætereà *Res non-naturales*, quarum in hiſtoria fit mentio, non parvi ſunt momenti: ecquis enim dubitare poterit, *carnem fumo induratam*, aliosque *cibos ſalitos* multum contuliſſe, cum qualis eſt chylus, talis & ſanguis eſſe conſueverit. Id quod eo magis evenire potuit, quòd Æger, id genus victu & alimentis delectatus, intempeſtiva inſuper *Cereviſiæ triticeæ viniq; generoſioris* ingurgitatione ventriculi coctionem turbaverit, ſicque novum ſemper fomitem ſanguini jam dum minus laudabili ſuminiſtraverit. Vinum equidem cor hominis lætificat non modò, ſed & ſtomachi digeſtionem promovet, ſi verò hilaritatis poculis ad ebrietatem usque indulgeamus, quid non deſignat ebrietas? quam non corpori pariter ac animæ imprimit fœditatem? Omne enim nimium naturæ inimicum eſſe, & rectè pronunciat *Hippoc. ſ. 2. aph. 51.* & ipſe docet eventus.

Id quod etiam de *Tabacô* tam verum est, quàm quod verissimum. Laudent amentque Tabacophili hanc herbam, quantum velint, abusum sanè nemo approbare poterit; Tabacum enim præterquam quòd calidum, siccum, unctuosum, & penetrans sit, ideoque flammam facilè concipiat, insigni quoque narcoticâ vi, præ aliis multis simplicibus, gaudet; hinc ratione sulphuris sui narcotici temperiem cerebri stupefacit & corrumpit, laudabilemque ejusdem τόνον, nimis ubi usurpatur, exerit. Hancque insuper qualitatem narcoticam inprimis in causa esse, ut Capnophili Tabacatii ad urnam usque sint sputatores, censet *Simon Pauli Tr. de abus. Tabac. p. 10.* Quod si jam vellemus adducere fraudes, quibus Tabaco quædam, si diis placet, bonitas conciliari non rarò consuevit, venia prius nobis foret præfanda, siquidem suspensione in cloacis (quò scil. salis valdè volatilis urinæ, & stercoris beneficiô majorem tùm acrimoniam, tùm pondus nanciscatur) id effici à deceptoribus solet. Ecquid verô hinc sperari possit, nisi acrioris & salini sanguinis proventus, quem postea Balneorum calidorum usus, & exercitia corporis intempestiva tantò facilius ad majorem dispo-nunt siccitatem, & Hecticam corpori consumptionem accelerare queunt. Accedit quod *res (3.) p. n.* symbolum quoq; conferant, dum Æger, jam nunc debilioris tùm cerebri, tùm ventriculi incommoda frequenter est expertus, adeoque utriusque partis intempe-ries atque debilitas dictarum modò causarum impetui faciliorem aditum atque ἐνέργειαν concedunt.

Quibus omnibus ita se habentibus, mirum esse non debet, quòd Æger re-censitis cum SYMPTOMATIBUS conflictetur; ut enim horum rationes ali-quantisper exponamus:

Adest (1.) *manifesta ventriculi debilitas*, eò quòd partim hujus *Fermentum*, seu *menstruum* inordinata victus ratione destructum, partim verò *calor* stomachi nativus plurimum impeditus langueat.

Hinc (2) *Chylificatio* tantum abest, ut rectè procedat, ut potius crudus quidâ aut parum elaboratus & salinus ąſ. succus ad vias lacteas detrudatur.

Quâ præsente ventriculi ἀτονίᾳ, aliter fieri nequit, quin (3.) *dolor capitis* oboriatur; præsertim à *pastu*; dum vitiosa fermentatio particulis suis acrioribus nervosas stomachi partes affligendo, etiam meninges capitis in consensum rapit; id quod alvo obstructa tantò vehementius effici potest, cùm caloris & exhalationum indè augmentum accelerari sueverit.

Cumque primæ digestionis labes sè per omnem coctionis secundæ ambitum vindicet; factum est quoque, ut (4.) acidior hinc reddita lympha, ex corruptô sanguinis fonte oriunda, Tracheales pulmonum sinus irritaverit, *Tussimque* excitaverit; primo quidem *siccam*; mox verò *humidam*, eo quod sub initium minor excrementitiæ materiæ copia adsit, quæ progressu temporis biblosum sui proventum, hinc; *flavedine tinctum*, liberalius in partem affectam deponit.

Quâ

Quâ quoniam simul præpediuntur Bronchia pulmonum, *respiratio* (5.) non potest non fieri *difficilior*, quam ipsius quoque ventriculi imbecillitas, & flatuosa distensio, Diaphragma comprimens, adjuvare quandoq; suevit.

Corporis denique (6.) concurrit *notabilis ἀτροφία*, cum enim partes nutriendæ dulci & *εὐκράτῳ* sanguine, ceu suavi nectare delectentur, & hujus in locum non nisi salsus & acris nostro in Ægrotante sanguis progeneretur, patet, parum, unde partes incrementum capere possint, hinc submini strari, quin potius laudabilem quoq; partium substantiam à corrodête ejusmodi succô indies depasci.

PROGNOSIS: Non est itaq; absq; causa, quod æger graviora hinc sibi metuat imminere, siquidem progressu temporis, ubi hæc acrimonia sanguinis & lymphæ molli pulmonum parenchymati intimiores struere insidias perrexerit, næ! sensum illud erodi, ulcusq; in iis excitare posset: Nunc verò cum res eò usque nondum devenerit, neque malum tàm altas egerit radices, aut hæreditarium dici queat, sed potius sit incipiens. Ægriq; vires integræ satis adhuc existant, spem salutis ei non esse adimendam puto, quandò etiam à plerisq; Practicis Phthisis incipiens haud adeò difficilis curatu censetur, idq; in plurimis ita se habere eventus docuerit, licet circumstantiarum hic habenda maximè votio veniat.

Quo autem spes concepta non recedat confusa, iterumque evanescat, præter rationalem medendi methodum, quâ incedere Medicum oportet, ipsemet quoq; æger *τὰ δέοντα* diligenter observet, necesse est. Ecquid enim auxilii promitti possit homini, qui vel Medicum subindè mutet, vel primum ubi exspectationi non exasse satisfecerit medicamen, aliis ex arte præscriptis uti detrectet, vel absente medicô usurpanda projiciat, sicque non tàm Medicum, quàm semetipsum decipiat? Attamen cum obsequentem præsumam Ægrotantem, sepositâ hâc sollicitudine, CURATIONEM aggressurus ad seqq. respiciendum *Indicationes*, adeoque.

Dandam esse operam puto, ut (1) materia peccans è corpore expellatur. (2) Sanguinis & lymphæ vitia corigantur. (3) Ventriculo & pulmonibus prospiciatur; ac denique (4) Laudabili victus ratione vires conserventur.

Primæ itaque *Indicationi* ut satisfiat, plura quidem se offerunt, quæ materiam evacuare peccantem solent; Vomitorium tamen præsenti in casu illis, quæ *κάτω* educunt, præferendum censeo; tum quod in ventriculo saburra ista primum colligatur, tum quod nihil, quò minùs hoc fieri queat, obstet: neque enim aliquô pectoris affectu periculosiore Æger noster antea laboravit, neque difficilis adeò ipsi aliàs vomitus esse suevit. Quare seq. *pulv. Emet.* præscriberem:

℞. *Tart. emet. Myns. gr. iiß.*
Pulv. ocul. Cancr. ʒß.
M. S. Brechpulverlein auf einmal.

Sumatur cum *cereviſ. ſecundariâ. l. cum juſculo carnis* manè jejunô ventriculô; ſed hæc dum conſulo, vellicari mihi aurem, objicique ſentio, ipſum *Mynſichtum* in ſuo *Armamentario* ſuadere, ut ne hic *Tart. Emet. Phthiſicis* propinetur: at verò cùm de *Phthiſi verâ & ab ulcere Pulmonum* oriundâ loquatur potiùs, quàm de *incipiente*, parum nos hic aries feriet; accedit, quòd in *incipiente* hoc affectu *vomitoria* etiam ab aliis recentioribus Practicis mirè commendentur, vid. *Hartmann. in prax. Chymiatric. c. 99.* ut ne jam dicam, eſſe, qui vel in *Pulmonis exulceratione* vomitoria, & quidem ſatis valida, bono cum ſucceſſu ſe propinaſſe ægris, affirment, quorum tamen ſivè experientiæ, ſivè felicitati, hæc relinquere, quàm eos imitari malumus.

Quòd ſi interim ab uſu *emetici* præſens æger fortè abhorreret, per *inferius purgantia* materiam educere peccantem conarer, ad exemplum River. *Cent. 1. obſ. 35. & cent. 2. obſ. 61.* e.g.

℞. *Fol. Sen. ſ. ſt.* ℥ijß.
Rhab. El. ℥iß.
Sem. fœnicul. ℈j.
Paſſul. minor. ℥j.
Crem. Tart. ℥j.
Flor. violar. tuſſilag. perſicor. ana p. j.
Rad. liquirit. cichor. aa. ℥j.
Infund per noct. in ſ. q. △. *ſcolopendr. & Veronic. Manè leviter ebull.*
℞. *Colatur.* ℥iij. *add.*
Mann. Calabr. ℥j.
Aq. Phyſag. ℥j.
M.S. Purgiertränclein auf einmal.

Eductis hac ratione humoribus peccantibus, haut cunctanter, juxta 2. *Indicationem*, *ſanguinis lymphæq; vitia* ulterius erunt *corrigenda*; ubi quidem cum *ſalinam acrimoniam* excedere ſupra notatum fuerit propinatô ſeq. vel ſimili *Deſtillatô*, illam eſſe diluendam arbitror: ubi quidem prius V. S. quam Ægri tùm ætas, tùm temperamentum non obſcurè indicant, moderatè adminiſtrata fuerit.

℞ *Rad. cichor.* ℥j.
Liquirit.
Helen.
Pimpinell. ana ℥ß.
Herb. Veronic.
Acetoſ.
Acetoſell.
Capillor. ♀*ris.*
*Heder. terreſtr. aa. m*j.
Flor. violar. bellid. rubr.
*Tuſſilag. Papav. rheados aa. m*ß.
Sem. 4. frigid. major aa. ℥ß.
Pulp. aurant. dulc. ℥iij.
Aq. Beccabung. ℔iß.
Lactis Caprill. menſ. ij.
Infund. per duos dies & dein l. a. deſtilla.
S. Blutreinigendes *Deſtillatum.*

Sumat Æger manè jejuno ventriculô ℥iij. & hor. 4. pomerid. totidem.

Ut autem *tertiæ* quoque ſatis fiat *Indicationi*, adeoque tum *Ventriculo*, *tum Pulmonibus* proſpiciatur, (quamvis utrique hujus Deſtillati uſus inſervire ſcopo poſſe quadantenus videatur) conducet Ægro noſtro, ſi horâ unâ ante prandium uti voluerit ſeq. *Elix.*

℞. *Elix.*

℞. *Elix. propriet. incomplet.*
Spirit. Veronic. per
ferment. fact. aa. ʒi.

M. S. Magenstärckendes *Elixir* 10. oder 12. Tropffen mit ein wenig Wein einzunehmen.

Tragea stomachalis usum à pastu hic non infrequentem quoque esse novi, nollem tamen cum saccharo misceri, cùm crebrior hujus usus sicuti non convenit *Ventriculo*, ita perquàm noxius esse *Pulmoni* solet. Vid *Helmont. Dispensat. Med §. 30. & 37.* Quin pleraq; dulcia *saccharata* & *mellita*, cum facile in corpore nostro fermentescãt, omittenda reor, vel admodum parcè usurpanda; Commodius procul dubio fuerit, à meridie cum dicto *Destillato*, interdum seq. *pulv.* acidum absorbentis, quantum largior cultri cuspis capit, sumere.

℞. *Ocul. Cancr. ppt. ʒi.*
Coral!. rubr. ppt.
Corn. C. ſ. △. calcin. aa. ʒß.
Antihect. Poterii ʒi.
Nuc. Moschat. ℈ij.
M. S. Pulver auf etlich mal.

Topica quod attinet, non parum adjuvabit coctionem ventriculi, ejusque succurret debilitati, si stomachi regioni seq. imponatur *Emplastrum*

℞. *Emplastr. stomach. Crat.*
Gummi Tacamahac, aa. qſ.
Malax. q. ſ. ol. stomach. Crat.
Induc. super alut. F. scutum stomach. in form. usit. absque syndon. irroretur ol. destill. menth.

S. Stärckendes Magen-Pflaster.

DIÆTAM tandem Prudens Medicus sponte imperare novit.

CASUS XII.

De
SYNCOPE.

ADolescens 24. annorum, in Inferiori Saxonia pistoriæ arti addictus, victu tenuiori adsvetus laboribusque nocturnis & diurnis, cum socio rus petens in sylva versatus, ingenti tempestate territus ac imbribus totus madidus, in pago divertitur, ubi nullo cibo præter caseum & panem, ferculo illa sanorum ἐυπόρητα, assumeo, cerevisiæ circiter mensuram haurit, tandem reversi sunt domum; alter ille brevi pòst tumore ingvinis glanduloso cum doloribus immanibus corripitur, quo apertò & cancrosum virus æmulante, post sex menses circiter moritur; Hic verò noster aliàs nil tale expertus, dum ad solitos redit labores, concidit sine sensu & motu, imò & respiratione, pallore faciei, pulsu ad sensum nullo, ἰφιδρώσει faciei: excitatus debilitatem membrorum & levem

levem calorem sentit; Rediit hinc malum singulis mensibus bis, ter, quater, & bienniô jam elapsô frustrà omnibus adeò adhibitis ad nauseam usque in consvetudinem quasi Naturæ abiit; Cum verò adhuc etiam frequentiùs invadat, metusque ob minorem indies interpolationem solicitet miserioris status, vitæ pertæsus & medicaminum hactenus exhibitorum, atque non solùm à Medicis nonnullis, sed etiam plebe persvasus, ab incantamento malum esse inductum, nostrum tandem implorat & desiderat auxilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, ægrum in historia propositâ infestans, est SYNCOPE, nominis originem à Græcis ducens, dicitur enim ἀπὸ τῦ συγκόπλειν, à *concidendo*, quia machina corporea omni quasi vitalitate exuta concidit, mortuique ad instar æger humi prosternitur: In *Coi* monumentis nusquam legimus συγκοπὴν, qui cum aliis Veteribus hunc affectum λειποθυμίαν, λειποψυχίαν & ἀποψυξίαν indigitavit. Latini propriô nomine carent. Celsus tamen *lib. 7. cap. 32. Animæ Defectionem* appellavit: Germani vocant die Ohnmacht / quasi ohne Macht / quoniam ægroti hîc omnibus privantur viribus.

In Symptomatum classe locum sibi vendicat, estque symptoma actionis vitalis læsæ vel abolitæ, non quidem in totum, sic enim mors prestô sequeretur pede, sed in tantum, ut leve momentum inter illam & vitam intersit. Differunt inter se Ἔκλυσις, de qua vid. Galenum *ad Glauc. & Aetium l. 5.* Λειποθυμία & Συγκοπὴ solô gradu & secundum majus & minus, vel, ut alii malunt, solùm vehementiâ differentem causam obtinenti: λειποθυμία enim, ut & ἔκλυσις causam habent leviorem, quæ in Syncope multò gravior observatur & cum sudore est, illa verò absque sudore, & paucioribus est stipata symptomatibus, faciliúsq; transit.

Vera quòd adsit Syncope seu Lipothymia fortior, sufficienter in historia prolata demonstrant signa: 1. ESSENTIALITER INHÆRENTIA; Subitaneus scilicet virium lapsus, sensus & motus, imò respirationis & pulsus notabilis abolitio, quæ signa sunt pathognomonica & certa Syncopes κριτήρια: 2. ESSENTIALITER CONSEQVENTIA idem confirmant: Naturales actiones esse læsas ostendit ἱδρῶσις seu sudatio præsertim circa frontem & pectus, plerumque frigida. Humidum enim partium solidarum Rectore suò, calore scilicet, destitutum ad interiora sese confert atque diffluit. In vitalibus læsis, animi deliquium per intervalla redit, vitalis facultatis robur manifestè collabascit, vacillat, arteriarum motus & pulsus, vitalis flammulæ ventilabrum, hebetatur; In animalibus

malibus sufflaminatis, sensus & motus, imò respirationis ad sensum abolitio: In qualitatibus mutatis, pallor faciei, quæ nonnunquam Hippocratica est, apparet. 3. CAUSÆ PRÆGRESSÆ assertum nostrum stabiliunt, inter quas præcipuè considerandi d urni nocturnique labores, iter tam ingenti subortâ tempestate & largè decidentibus imbribus susceptum: errores in victu Naturæ non adeò conveniente commissi, & similia paulò post latiùs examinanda. 4. MUTATIO ÆGRI maxima illud evincit; in statu enim sanitatis anteà sentiebat, movebatur, respirabat, actionibus suis fungebatur liberè, nec pulsus ipsius hebetabatur: nunc autem animi exsolutio, subitanea virium prostratio, & vix adsunt respirationis vestigia. Cùm itaque omnium ferè Practicorum saniorum suffragiis tali modo affecti pro Syncopticis habeantur, non immeritò noster etiam Æger talis nuncupandus erit.

SUBJECTUM PRINCIPALIUS statuimus τὴν καρδίαν, τὴν πηγὴν καὶ ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ, cor, fontem & focum calidi innati, non exclusô ipso mobili sanguine; sunt enim cor & sanguis causæ sociæ: Vita namque cum sanguine arterioso pari passu ambulat: sic si torpidus sanguis sit & viscosus, parca vestigia vitalitatis adsunt, & flammula vitalis non perdurat in corde, nisi per mediationem sanguinis. Hinc intuitu communionis cordis cum partibus, veterum figmentum est, quòd spiritus sit in corde tantùm, semper promanans in omnes partes, cujus tamen rei vix datur ratio, nec experientia, quod scilicet certæ & uni tantùm parti spiritus sit affixus: Nec perpetuus motus cordis probat & confirmat hunc cordi infixum ignem seu flammulam vitalem, quia etiam aliæ partes moventur. Afficitur ergò cor potissimùm secundùm cavitates suas, quando nimirum ob sanguinem ad cor confluentem, imprimis impurum & concretione aptum, spiritus vitales alioquin mobiles quasi subsistunt, ut per arterias ad partes vix distribui queant; quod & aliàs in terrore magno fit, vel quando dissipantur & consumuntur à nimio calore, labore, vigiliis, evacuationibus, hæmorrhagiis & similibus.

SUBJECTUM ADÆQVATUM est totum corpus & nobiliora viscera, quarum actiones læduntur; nulla enim fermè est in tota machina humana pars, quæ non simul afficiatur, hebetetur, labascat: Cor enim ceu Bol Microcosmi fibris copiosis & musculosa substantiâ compactâ præ aliis partibus instructum est, ut eò meliùs spiritus in eo retineri & rursus expelli queant, instar radiorum pro totius corporis instauratione & quasi irradiatione; hôc enim vigente & florente, vigent & reliqua viscera.

Dupliciter autem cor in Syncope afficitur: (1.) per ἰδιοπαθείαν, genitâ scil. in se ipso mali causâ: (2) per συμπαθείαν, communicatâ & transmissâ materiâ aliundè, ex. gr. à ventriculo, hepate, aliisque partibus. In nostro ægro posterius sub initium mali locum

cum habuisse, evincunt circumstantiæ recensitæ, præcipuè cùm interpolatus sit affectus, & à sanguine à visceribus non satis depurato vel grumescente circulatio ejusdem impedita sit, ut latiùs in Causis patebit: Nihilominùs diuturnâ morâ in habitum & essentiale quasi vitium magis magisque degenerare potuit.

CAUSA IMMEDIATA est circulatio sanguinis inhibita, adeoque defectus influxus sanguinis ex sinistro cordis ventriculo in partes: Subsistit hic nimirum in dextro ventriculo vel auriculis, nec per septum cordis & pulmones liberum habet commeatum; defectus verò non est totalis, aliàs mortem induceret repentinam, tantus tamen, qui facultatem pulsificam turbare, vires resolvere, totumque possit corpus enormiter suô defraudare vigore: Spiritus autem vitales ad partes non influunt, non tam quod omninò non generentur, sed quia generati præcipuè ob debilitatem eorundem & deficiens robur facilè dissipantur & resolvuntur.

CAUSÆ MEDIATÆ PROXIMIORES sunt, tum quæ impediunt spirituum vitalium sufficientem generationem, tum præcipuè, quæ spiritus generatos absumunt, sufflaminant & coagulant, id quod imprimis grumescentiæ sanguinis acceptũ refertur, unde in motu suo subsistunt, ut ad sensum corporea machina omni vitalitate quasi privari videatur.

Quoad ESSENDI MODUM peccare videtur sanguis: (1.) QUANTITATE; in nostro ægro 24. annorum, quatenus fortè propter obstructas vias à copioso sanguine ventriculi cordis nimis opplentur, & longiori inhæsione spiritus vitales opprimuntur: Potissimùm autem (2.) QUALITATE peccat, dum non solùm ob visciditatem & crassitiem spiritus non ritè evolvuntur & rarefiunt, ut vitalitatis munus obire queant: sed & ratione aciditatis, volatili ipsorum naturæ penitùs adversæ. (3.) MOTU, tum generationis, tum locali: Generati enim fuerunt procul dubio in hoc subjecto peccantes humores per συναθροισμὸν, congestionem aut coacervationem in primis viis, præcipuè ventriculo, mesenterio, pancreate & reliquis: hinc sensim atque sensim characterem talem sanguini impressêre, quando scil. particulæ chyli impuræ, austeræ, ponticæ & acerbæ sanguini admixtæ & cum hoc ad cor delatæ fuére, ibidemque ob crassitiem pro magnitudine causæ aliquandiu persistentes vasa obstruxére, & spiritui vitali nuptæ eidem quasi eclipsin quandam induxére, sic in momento vitale figentes horologium.

Chymici de causa Syncopes differentes diversas abeunt in sententias: Alii ϰrium coagulatum seu fixatum locô causæ accusant, intercipientem sensum & motum, & dum cor ferit spiritum intra obstruentem, cui sententiæ Paracelsus quoque pollicem premit; Alii tartarum non segretatũ hujus mali causam ponunt.

ME-

MEDIATÆ CAUSÆ REMOTIORES jam perpendendæ veniunt, ſuntq́ue triplices: NATURALES, NON-NATURALES & PRÆTERNATURALES. Inter *Naturales* imprimis conſiderationem meretur *Ætas juvenilis*; hæc enim hujus mali ferax eſſe poteſt, ubi ſpirituoſæ & ſubtiliores ſanguinis partes ob nimios labores, vigilias & terrores, uti in noſtro ægro factum eſſe hiſtoria refert, diſſipantur & reſolvuntur, chylusq́ue in vaſa præcipitatur, unde impurus ſanguis generetur neceſſe eſt.

Ex *Non-Naturalibus* accuſandus venit *Aër* juſtô frigidior & pluvioſus, cui noſter cum ſocio iter pedes faciens ſeſe commiſerat: Quantum verò hæc aëris intemperies, & inſpirando & corpus ambiendo, noxæ afferre poſſit, in propatulo eſt; Frigidus enim ſanguinem intus cohibet, poros claudit, & humores incraſſat; pluvius corpus magis humectat, humores cumulat & calorem nativum obtundit & depravat.

Victus errores ſymbolum ſuum quoque addidiſſe credibile eſt, imprimis caſeus frequentiùs ſumtus, quippe qui difficilis coctionis eſt, craſſumq́ue præbet alimentum, ideò obſtructiones parit, cùm aliàs victui ſalubriori fortè adſvetus fuerit æger: Cereviſia, quâ uſus fuit, non minùs huic affectui fores aperuit, quia fuit triticea, qualis in plerisque Saxoniæ Inferioris locis in uſu eſt, Germanicè Breyhahn/ab inventore ita nuncupata (Cereviſia ſpuria commodiùs dici poſſet, videlicet lupulô carens, vel paucùm admittens, qui tamen unum eſt ex eſſentialibus Cereviſiæ requiſitis,) ſuccum viſcidiorem, præſertim ſi recens, & minùs defæcata ſit, generans & obſtructionibus viam ſternens.

Motus moderatùs quantum ad conſervandam ſanitatem valeat, totô die experiri licet; in exceſſu verò quantum noceat, nemo neſcit. Hic æger aliàs nocturnis diurnisq́ue laboribus adſvetus, nihilominùs iter magnâ ingruente tempeſtate ſuſcepit, unde ſpiritus nimiùm agitati, variéq; modò extrorſum, modò introrſum maximo cum impetu propulſi, ex hac commotione quoad ſubſtantiam ſubtiliſſimâ abſumti & disſipati ſunt.

Vigiliæ item, ut fieri ſolet nocturnis in laboribus, ſanguinis aëreas partes exhauſerunt, corporis vires labefactârunt, coctionem impediverunt, cruditates pepererunt, & ad animi deliquia ægrum diſponentes ſuum ἐπιβάλλον μέρος hûc contulerunt.

Animi pathemata adversâ fronte occurrentia non minimam heîc merentur culpam: *Terrore*, quô propter ingentem tempeſtatem affectus eſt Æger, quomodo cor in Syncope lædatur, dictu adeò facilè non eſt. Communis ſententia eſt, ſpiritus in eodem ad cor remeare, adeòque quaſi facultatis vitalis robur ſuffocare, dum ſuppetias conantur ferre cordi, ab exterioribus & circumferentia ad centrum tendentes, & ſic nullô vel confuſô ordine irruentes illi vim inferunt. In ſubito enim terrore ſpiritus unà cum ſanguine bono & pravo

ad cor & præcordia subitò revocantur, membraque omnia destituunt, adeòque sanguinis motus sistitur, ipseque coagulatur quasi circa cor, in auriculis & ventriculis hujus stat immotus, & circulatio ad tempus quasi cessat.

In *Excretis* imprimis memoranda venit prohibita per poros transpiratio, siquidem pluviâ vestes totæ madidæ, cohibuerunt facilè halitus acidulos & fuligines, quæ factô recursu ad cor, unà cum spiritibus eò revocatis illud facilè afficere, & concipere porrò miasma putridum & noxium potuerunt.

Non mirum proindè ex tam fœcunda causarum morbificarum segete largam symptomatum prodiisse messem, quam, ordinem in historia proposita observaturi, demonstrabimus. 1. Subitus in terram lapsus rectoribus musculorum & totius machinæ spiritibus stationem suam relinquentibus debetur, siquidem à sanguine ad cor regurgitante spiritusque opprimente ortus est, hinc illis interceptis omnes actiones pereunt, & vivus mortuo simillimus est. 2. Sensus & motus in toto corpore aboletur; neque tamen propterea Syncope cerebri est affectio, sed cordis, cerebrum enim tantùm est subjectum causæ subadjuvantis; non inficias verò ire possumus, quòd vitales actus nostri non spiritui vitali, nec animali solùm, sed utriusq; simul adscribendi: Steno enim fecit experimentum, & arterias magnas filô ligavit, factâ ligaturâ & denegatô influxu sanguinis arterioſi, simul periit motus & sensus istius partis, ad quam arteria sanguinem suum devehit; idem ergò effectus fit ab intercepto spiritu sanguineo, quàm ab intercepto spiritu animali, sed huic motus & sensus magis primario, illi verò secundariò competit: Sed in nostro ægro sensus & motus cessat, quod spiritus vitales cerebro à corde non communicantur, atque ita vitali robore in cerebro deficiente, etiam hujus actio & spiritus animales deficiunt, cùm vitali virtute collabente, omnes alias actiones labi necesse sit. A corde enim omnibus membris calor vitalis affluit, cujus beneficio actiones suas perficiunt, & eô deficiente, etiam in agendo deficiunt, nam si spiritus deficit, qui præses est sensuum, sensus etiam ut deficiat, necesse est, ubi nempe planè sensus abest, ibi ipsa vita abest.

3. Respiratio ad sensum nulla, tum quia diaphragma comprimitur à corde multô sanguine impleto, tum quia cessante pulsu, cessat & respiratio. 4. Pallor faciei abeuntem & recedentem sanguinis purpuram subsequitur, nam calor nativus & sanguis partes externas & peripheriam corporis planè relinquunt, & cor tanquam regiam arcem unicè petunt, ibique concluſi manent. 5. Pulsus ad sensum nullus: feriante quasi in actione sua corde, ob sanguinis aëreſcentiam & rarefactionem prohibitam, cessante nimirùm usu cessat & actio: & hîc pulsus deficiens vires summè dejectas sequitur, nullâ vel prorsus

debili

debili ventriculorum cordis diastole præsente. 6. Ἐφίδρωσις facici, à resolutione spirituum & gubernantis machinam naturæ deliquio, non sine admiratione, cùm refrigeratum sit corpus, & sudores alias fiant viribus integris & à calore poros aperiente cutemque rarefaciente: Oriuntur autem hi sudores frigidi à facultatis retentricis imbecillitate, ob quam emittitur alimentum roris instar per poros diffluens, frigidi autem sunt, eò quod membra sint refrigerata; vel ut meliùs explicem, sudor hic provenit, quia cessante motu cordis sanguineq; coagulatò lympha copiosiùs in glandulis secernitur & fibræ glandularum ac cutaneæ spiritibus animalibus destitutæ, tantoperè laxantur, ut serum suâ sponte per ductus suos elabi possit. 7. Redit paroxysmus singulis mensibus bis, ter & quater, siquidem impressus cordi & massæ sanguineæ character vitiosus, facilè à miasmate peregrino & scorbutico viscerum inferiorum & chyli coinquinatus, per intervalla iterùm erumpit, ob relictam in primis viis materiam vitiatam, ad quam si alia adhuc accedit, ad cor devehitur, novusque insequitur accessus: temporibus incertis contingit, propter peculiarem peccantis humoris dispositionem.

Perlustratâ jam insigni hâc Symptomatum catervâ, quale Prognosticum statuendum sit, circumspicere lubet. 1. SALUTIS ET MORTIS respectu, quid præsagiendum sit, dubium maximum exoritur: Morbus est giganteus, rebellis, non tàm in genere, quàm in nostro hoc ægro, apud quem ex hospite ferè civitatis jus adeptus est, & incola factus: Magnus est (1.) ratione *essentiæ*, quia magnus est à statu naturali recessus, summaque virium debilitas, nullus terribilior accidere potest, nullus morti affinior. (2) ratione *dignitatis*, quia pars princeps laborat, imò pars, quæ saluti totius corporis humani consulit, ut alia silentiô prætereamus: Tanta morâ hic affectus tàm altas egit radices, ut remedia generosa atque heroica à tot excellentibus Medicis hactenus adhibita, nil quicquam ferè juverint, quin potiùs malum posthac atrocioribus insultibus ægrũ invaserit, instar Polypi vel Hydræ cujusdam Lernææ, cui vix Hercules ipse suffecerit domandæ, ut Hippocraticum fulmen videatur jamjam metuendum, à natura robustiore toties declinatum hactenus, quod ex *lib. 2. Aphor. 41.* apparet: Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς αἰτίας, ἐξαπίνης τελευτῶσι: *Qui sæpè ac vehementer absque causa manifesta animô linquuntur, derepentè moriuntur.* Nihilominùs, ut miracula quandoque fieri in ipso luxuriantium variè symptomatum exortu certum est in Medicina, ita & in remediis sæpè Divinô Auxilio ea contingere non minùs Experientiâ constat; Non desperabimus ergò de Subjecto, quod toties circumcinctam hostibus non dedidit arcem; de Juvene, qui toties revixisse in historia fertur; de Natura, quæ toties resistendo nondum victas porrexit manus.

Affectus est sympathicus: jam verò firmô talo stabilitum est in Scholis Medicis assertum, quæ per συμπάθειαν oriuntur Symptomata, iis, quæ per ἰδιοπάθειαν fiunt, minùs esse periculosa: Sit ergò periculosissimus affectus, radici vitæ insidietur crebrioribus insultibus, & sudore frigidô maximè portentosus; attamen quia Natura per tot reversas invasiones velut adsveta, tamdiu hoc jugum ferre potuit, & cùm non adeò frequenter affligat, deturque quædam interpolatio menstrua vel amplior, quô intermediô tempore se vires recolligere possunt, quæ non omninò heic prostratæ sunt, & Æger sit in florente ætate constitutus, illum benè sperare jubemus, immunemque præstabimus divinâ ope, modò ipse spe hâc erectus novis suffulciat animum solatiis, & dicto Medici ex asse sit audiens.

LONGITUDINIS ET BREVITATIS ratione. Licet affectus noster quoad paroxysmos meritò acutis annumerandus, attamen biennio jam elapsô, ut chronicus & diuturnus considerandus venit: nihilominùs spes affulget, eundem brevi debellari posse, præsertim vernis hisce mensibus, ubi visi sunt aurigante Naturâ graviores etiam sæpè morbi abacti; Tempore enim vernali omnia sunt quasi in fermento, totus etiam aër: Aër nempe torpidus accedentibus radiis solaribus reviviscit quasi, qui incidit massam nostram sanguineam incrassatam, & potos iterum aperit, unde si hoc tempore medicamenta morbo appropriata propinantur, felicior sequi solet sæpè numerò successus.

3. MODUM EVENTUS fore designamus per λύσιν seu solutionem obstructionum & coagulati quasi sanguinis, regenerationemque spirituum, ut sanguis in suam κρᾶσιν redigatur optimam; sic Archeô in ordinem reducto, & mali fomite ablato, & ipse morbus, auxiliante summô Archiatro, auferetur.

Breviter igitur expositis, quæ ad θεωρίαν hujus Symptomatis ex fundamentis artis Medicæ spectant, reliquum est, ut his superstruamus quoque θεραπείαν, & quomodo à Syncope æger noster liberari possit, dispiciamus. CURATIO autem petenda ex methodo medendi cognitis indicationibus & materiâ præsidiorum. 1. *Præservatoria*, causarum remotionem & symptomatum mitigationem; 2. *Curatoria*, morbi ablationem; 3. *Vitalis*, vires respicit.

Primò verò Curationem Præservatoriam ad manus sumemus, quæque ex Fonte Chirurgico & Pharmaceutico extra paroxysmum conveniant, fomitemq; mali exturbent, docebimus; deindè Curatoriam & Vitalem, quia hîc conspirant & pari passu ambulant, tractabimus, non neglectô tandem fonte diæteticô.

E CHIRURGICO FONTE primò se sistit nobile ac generosum præsidium, videlicet *Venæsectio*, quæ an in nostro casu tutò adhiberi queat, non immeritò in dubium vocari potest, cùm sanguinem evacuando calorem

lorem nativum magis imminuat vireśque dejiciat, quas tamen ſartas tectas conſervare omni ope tenetur Medicus, præſertim ſi neque plethoræ ſeu abundantis ſanguinis ſigna apparent: Utut verò tempore paroxiſmi ſanguinem educere eſſet animam ſimul ejicere, nihilominùs tamen extra hunc ſtatum non dubito eandem ſuadere, ſed cum debito moderamine celebrandam, ad motum ſanguinis vigorandum, ut parte eductâ, reliquus ſanguis vegetior impellatur, nec ſubſiſtat; V. S. enim in grumeſcentia ſanguinis commodum eſt præſidium: Conſentiunt ætas firma & florida, vires adhuc ſibi conſtantes; neque contra indicans ullum magni momenti in contrarium obſtat. Memorandus hîc in eandem ſententiam abiens, ubi de curatione Syncopes ab interceptione venarum agit Petrus Salius Diverſus *cap. 4. de affect. partic.* Ex Hippocratis & Galeni commendatione vena aperiatur, inquientium, antequam fixa ſint omnia, quæ contriſtant, interna brachii dextri, & pòſt uſurpentur medicamenta grumos ſolventia. Alia quoque prodeſſe poterunt revulſoria præſidia, quæ materiam cor petentem ad partes externas trahunt, ut cucurbitulæ ſcarificatæ & ſiccæ, frictiones & alia; his enim ſpiritus excitantur & ad exteriora revocantur: Nec fonticulum diſſvadeo, ſiquidem contumacius malum eſt, altasq́; egit radices.

PHARMACEVTICO ex FONTE in actu præſervationis depromo, tum cauſam morbificam evacuantia, tum alterantia univerſalia, & ſpecifica. LENIENTIA ſeu LAXANTIA faburram vitioſorum humorum groſſiorem blandè exſtimulando viam ſternent ſubſecuturis aliis. Imprimis autem commendo mitiora ſeu benedicta illa, ſic dicta, quæ minores edunt fermentando turbas; e. gr.

℞. *Infuſ. laxat. Mannag. unc. j.*
extr. diacarth. M. S.
Tinct. tart. ana ſcrup. i.
ſyr. fumar. unc. ß.
M. D. in fictili.

S. Laxier-Tränklein auf 1. mal.

Pro delicatioribus:

℞ ▽. *laxat. Regberg. unc. ß.*
diagryd. ſulphurat. gr. ij.
aq. cinam. drachm. j.
M. D. in vitro.

S. Laxier-Wäſſerlein auf 1. mal.

℞. *MP. tartarear. Schröder. ſcrup. j.*
extr. polypod. ſcrup. ß.
reſin. gialap. vitriol. ♂tis ana gr.
v. c. ſ. q. elix. propr.
F. l. a. Pil. minores.

S. Lind-Pillen auf 2. mal.

℞. *Crem. tart. ſcrup. j.*
lap. bezoard. occid. gr. xv.
diagryd ſulphurat. gr. iij.
ſal. tartari gr. v.
M. F. P. D in Ch.

S. Laxier-Pülverlein auf zwey mal zu nehmen.

Referimus huc meritò quoq; Clyſteres, elutritioni teſtinorum & revulſioni humorum longè aptiſſimos. Sic:

℞. *Rad.*

℞. Rad. alth. drachm. vj.
angelic. drachm. ij.
herb. 5. emollient. meliss. ana M.ß.
flor. chamom. Rom. sambuc.
ana p. ij.
sem fœnugr. drachm. iij.
sem 4. carminat. ana drachm. j.
coque in s. q. aq. simpl.
Colat ℞. unc. viij.
adde mellis rosac.
ol. rutæ ana unc. j.
nitr. & sal. drachm. j.
vitell. ovor. num. j.
F. l. a. Clyster.

Electuaria purgantia hîc non apposui, quia non benè clysteres ingrediuntur, (1.) quia pretium frustrà augent: (2.) quia effectus promissis non respondet, & drachm. j. sal. nitr. vel alius additi plus operatur, quàm unc. j. electuarii, nisi purgantia per se in petia addantur.

Lenitis viis præparandi sunt humores, incidendo viscidos, diluendo & corrigendo acidos, ut sic ad evacuationem aptiores fiant, ex horum censu sunt sequentia:

℞. Infus. laxat. Mannag. aq. ninam. borrag. meliss. c. vin. ana unc. j.
M. S. essent. fumar. Tinct. ♂, tart. rhabarb. ana drach. j.
syr. cerasor. c. fl. tunic. compos. Dn. D. Colbii. rosat. solut. ana drach. vj.
M. D. in fiictili.

S. Köstlicher Alterer-Tranck / davon 2. Löffel zu nehmen.

℞. Pulv. hepat. rubr. Dresd. drachm. j.
rhab. elect. vitrioli ♂. ocul. ♋.
præp. pulv. rad. ari, cinamom. ana drach. ß.
elæosacch. citri drach. j.
M. F. P. D. in Ch.

S. Digestiv-Pulver / 2. Messerspitzen auf 1. mal davon zu nehmen.

Humores sic præparati educi possunt, per purgantia propriè dicta, licet contrarium suadere possit major inde contingens humorum fermentatio: si tamen, ut hîc, affectus urget, non metuenda, modò non in excessu peccetur, tutò blandè evacuantia adhiberi possunt: Sint autem talem in modum concinnata: ex gr.

℞. Pulv. gialapp. ʒii. diaph. crem. Tart. ana scr. ß.
diagryd. sulp. gr. ij.
ol. citri gt. j.
M. D. in Ch.

S. Purgier-Pulver auf 1. mal.

Pro ditioribus:

℞. Rhabarb. scr. j.
lap. bezoard. occid. scrup. ß.
resin gialap. gr. ij.
ol. caryoph. gt. j.
M. D. in Ch.
S. ut suprà.

(Lapis bezoardicus occidentalis insigniter laxat, imprimis melancholicos, quod sæpiùs observavi in praxi summo cum successu.)

℞. Rad. 5. aperient. ana dr. j.
rhabarb. opt. dr. ij.
fol. meliss. m. j.
fol. senn. s. st. unc. ß.
flor. 4. cordial. centaur. min. ana p. j.

cert.

cort. citr. recent. cinam. ana dr. j.
M. concisa & contusa. D. in Ch.

S. Laxier-Species zum Wein.

Emetica etiam locum habere possunt, cum ventriculus & primæ viæ cruditatibus & pravis humoribus scateant, præcipuè in usum vocanda, quando reliquis incassum adhibitis morbus quasi vectibus est expellendus: ex horum numero seligo sequens:

℞. ▽ *meliss. flor. acac. ana unc. j.*
cinam. dr. j.
Tart. emetic. Myns. gr. iij.
oxymell. squillit. dr. iij.
M. F. Potio.

S. Brächtranck auf 1mal.

Diaphoretica quoque locum inveniunt commodum, illa quippè inter omnia reliqua deficientem sanguinis motum restituere apta nata sunt, dissipando peregrina miasmata, explodendo & præcipitando confusas atomos; Nec obstat exsolvi in sudores corpus in paroxysmo, ibi enim coactè agit Natura, ostendens, quàm invita dimittat roridum & substantificum partium succum; sint autem talia:

℞. ♃ *diaph. C.C. phil. ocul. & præp. ana gr. xv.*
sal. succin. vol. gr. v.
M. F. Pulvis. D. in Ch.

S. Schwitzpulver auf 2mal.

℞. ▽ *card. bened. unc. ij.*
pulv. bezoard. Sennert. mixt. simpl. spir. flor. sambuc. per ferment. parat. ana drach. ß.
succ. granor. Kermes dr. j.
syr. acetosit. citri dr. vi.
M. F. Potio.

S. Schwitztränklein auf 2mal.

℞. *Tinct. meæ bezoard. dr. j.*
liquor. C. C. succin. spir. flor. sambuc. ana dr. ß.
M. D. in vitro.

S. Köstliche Schwitz-Tinctur auf 1mal 30. Tropfen in liquore appropriato zu nehmen.

Diuretica obstructioni vasorum mesaraicorum, depurationi seri, vel in coagulum abeuntis, vel aliter deturpati, ejusq; depletioni & præcipitationi unicè debita, non poterunt non & ipsa eximiè prodesse, imprimis ex illorum genere deprompta, quæ rarefactioni sanguinis promovendæ inserviunt: e. gr.

℞. *Malvat. sambuc. unc. ß.*
spir. fragor. dr. ij.
Tinctur. tartar. scrup. ij.
M. D. in vitro.

S. Urintreibende Mixtur auf 2mal.

℞. *Spir. fragor. diuret. Dn. D. Colbii compos. salis dulcis, terebinth. ana dr. j.*
Tinctur. Tartar. scrup. ij.
succ. Kermes drachm. ß.
M. D. in vitro.

S. Köstliche treibende Mixtur auf einmal 30. oder mehr Tropfen im Wein zu nehmen.

Hæc mistura mirè confert præservativè in Syncopè hypochondriaca, imprimis spiritus terebinthinæ, quem Parens meus dilectissimus magni æstimat, sanguinem enim egregiè purificat, & quasi Balsamum Eurpæum universale est, ubi febris vel inflammatio abest.

Nunc ad curationem curatoriam & vitalem veniamus, necesse est, ubi in paroxysmo imminente & declinante vel leviori alterantia & roborantia infimum obtinent locum. Curatio verò in ipso paroxysmo in his duobus consistit: (1) in excitatione ægroti vel sensus sopiti. (2) in refectione spirituum. Primum quod concernit, variis modis æger excitari potest: Æger ante omnia aëri libero exponatur; (maximè enim hîc attendi meretur aëris defectus, cujus inter causas Syncopes præter alias mentionem facit *Sennertus in Institutionibus p.* 377. Quanta enim hujus attrahendi ad vitam conservandam est necessitas, tàm funesta est omnimoda ejus carentia, quâ cum ordinariè ne ad pauca quidem momenta vita animalis superesse potest, certô argumentô, respirationem dare vitalitatis principia: Summæ verò hujus necessitatis causam facilè indagare licebit, si ex physiologicis supponam, vitam nostram, ut etiam omnium animalium, maximè in vitali sanguinis fermentatione seu rarefactione consistere: hanc verò unà cum fluxilitate & calore ejus à particularum aëris cum sanguine in pulmonibus mistura potissimum pendere, cum nulla fermentatio aut rarefactio citra ejus consortium contingere possit: Illô igitur sanguinis motu salvô, vita quoq; salva, & cum illius privatione, hæc quoq; extinguitur; Denegatis enim particulis aëreis (in quibus secundum Sendivogium occultus vitæ cibus) sanguinis motus intestinus seu fermentatio perit, ipse coit, & hinc quoq; calor ac spirituum evolutio & generatio impeditur. Facies frigidis adspergatur, ex gr. aq. simpl. vel rosacea; Naribus odoramenta, tum balsamica, reficientia, qualia mox describam, tum acida, resolutionem impedientia, ut acetum rosac. rutæ; quem in sensum quoq; Avicenna in omnibus Syncopes speciebus corpus inspissare frigidis jubet, eam ob rationem, ne spiritus resolvantur, licet alii accuratiùs statuant, cum facies maximè sensilis pars & nervosa sit, ideò subitò illô occursu maximè commoveri spiritus, & ad eam verti, siquidem non omninò his cor destitutum sit.

Odor panis tosti vinô generosô imbuti & aromatibus conspersi, valde analepticus est & refocillat, quô Democritus per aliquot dies spiritum retinuisse, legitur apud Diogenem Laertium. Labia in accessione sale aut ▽ salsâ, aut quoq; urinâ ipsâ, si aliud non suppetat, laventur & fricentur; Spiritum quando paululùm æger resumsit, lingua ▽ cinamom. juniper. aq. vitæ, carbunc. vel Theriacâ confricanda est. Sunt qui singulariter commendant margaritarum in succo limonum cum aqv. cinamom. solutarum liquorem ori instillatum: Possunt etiam alia sensus externos excitantia usurpari, qualia sunt frictiones partium externarum, pòst manus & pedes spiritu theriacali illinantur, & pannis lineis calidis involvantur; Vociferationes ad aures, nam ex sono feriente vis sensitiva aurium

rium excitatur, revocaturque spirituum & caloris mensura : Narium item vellicationes, applicatio rerum acrium & penetrantium ad nares: Ubi omnibus palmam præripit spiritus salis armoniaci, nullus enim datur penetrantior, qui spiritus nostros magis excitet : siquidem aëreum spiritum maximè imitatur : it. aq. cinamom. vitæ Matthiol. apoplect. suffitus plumarum perdicis & similium plebi satis notorum.

Quod secundò refocillationem spectat, tenuiores sanguinis partes variis modis restitui queunt. (Hîc enim cordialia valent, quæ sanguinis & spirituum torpidum motum & temperiem restituunt,) qualia sunt alimenta, medicamenta, imprimis spirituosa, fragrantia & odorata; hæc enim, teste HELMONTIO, immediatum cum spiritibus imprimis animalibus contactum habent, tum ob partes subtilissimas, quæ cum aëre immediatè ad cerebrum feruntur, ibidemq; tunc spiritus dictos restaurant, tum irritando motum eorum promovent.

Inter alimenta GALENUS rubra vina commendat, quia citissimè replent corpora evacuata, item jusculà pullorũ priùs concisorum & contusorum. Imprimis verò HIPPOCRATES cum GALENO *lib. 2. aph.* 11. humida cõmendat, quæ cito nutrire apta nata sut: Ῥᾷον, inquiens, πλησθῆναι ποτῷ, ἢ σιτίῳ: *Facilius est potu refici, quàm cibo:* Jusculà ex vino cum vitellis ovi, succis carnium & aromatibus prosunt, talia in chylum facili pronitate mutantur, cordi & toti corpori cicam communicare queunt refectionem, non nutriunt quidem ut solida, superant tamen ea nutriendi celeritate.

Medicamentis internis, solutô vel spontè vel arte paroxysmo, recreandæ sunt vires tum animales, tum vitales utplurimùm prostratæ, tam spirituosis, quàm aromaticis: Animales confestim restituuntur vinô generoso ejusdemque spiritu parcè usurpatô; Aromatica verò reparare solent spiritus vitales, si proinde vino jungantur quædam aromatica, vel usurpetur spiritus vini aromaticus, unâ eâdemque operâ debilitati utrique succurretur. ex. gr.

℞. ▽ *betonic. unc. ij.*
vitæ Matthiol. unc. j.
Tinct. corall. drach. ij.
conf. alkerm. compl. de hyacinth. ana drachm. j.
syr. corallor. unc. j.
M. F. Potio.

S. Köstlicher Stärcktranck auf einmal 1. oder 2. Löffel davon zu nehmen.

℞. *Perlar. præpar. drachm. i. ß.*
succi citri unc. j.
aq. meliss. cum vin. cinamom. cordial. H. S. frig. ana unc. j.
succi Kermes drachm. ij.
M. F. Potio. D. in vitro.

S. Köstlicher Perlentranck auf einmal 1. Löffel zu nehmen.

℞. *Matr. perlar. præp. ocul. ♋ præpar. ana drachm. ij.*
succi citri unc. i. ß.
▽ *meliss. cum vin. cinam. ana unc. i. ß.*
syr. corallor. unc. j.
M. F. Potio. D. in fictili. S. ut suprà.

℞. *Tinct. corallor. cum spir. cord. C. D. Mich. Dnæ mistur. anti-scorbut. D. Welleri, essent. lign. aloës ana drachm. j.*
M. D. in vitro.

S. Köstliche Hertz-Tinctur auf 1 mal 30. Tropffen zu nehmen.

℞. *Essent. ambr. Tachen. solut. ☉ri. Tinct. corallor, essent. lign. aloës: spir. lilior. convall. ana drachm. ß.*
M. D. in vitro.

S. Vortreffliche Stärck-Essentz auf einmal 25. Tropffen zu nehmen.

Quia in nostro ægro sæpè abest motus intestinus sanguinis ob coagulationem & grumescentiam ipsi ab acido inductam, quô præprimis hic Scorbuticus abundat, unicè conveniunt etiam alcalina & absorbentia, ut mater perlarum, oculi cancrorum, lapis bezoardicus, antimonium diaphoreticum, cinnabarina &c.

℞. *Pulv. absorb. Wedel. margarit. præpar. ana drachm. j.*
M. F. Pulvis. D. in Ch.

S. Hertzpulver auf 3 mal.

℞. *Spir. vitriol. ♂, salis armoniac. sing. Tinct. tartar. ana drach. ß.*
M. D. in vitro.

S. Spiritus auf einmal 20. Tropffen zu nehmen.

Vel locô pulveris polychresti corroborantis talis sit:

℞. *Ocul. ♋ cærul. perlar. corall. rub. smaragd. præpar. ceruss. ℥ii. C. C. philos. ana drach. j. cinnab. nat. præp. extract. lign. aloës ana drachm. ß. ambr. cocchinilior, ana scrup. j. succ. Kermes drach. iß. ol. caryoph. gt. iv.*
M. F. Pulvis subtilissimus. D. in scatula. *Dos. drachm. ß. ad scrup. ij. in vino.*

Salia volatilia maximo quoque in usu sunt, hæc enim juxta HARVÆUM faciunt, ut omnia in corpore nostro fixata subitò moveantur caleant, floreant: Hæc sunt, quæ ut odores immediatum quasi cum spiritibus vitalibus contactum habent, ut sal. viperar. liquor C. C. succin. &c.

Pro externo usu subsequentia imprimis commendo:

℞. *▽ flor. citri, Zedoar. ana unc. j. vitæ Matthiol. unc. ß. spirit. theriac. camphor. drach. ij.*
M. D. in fictili.

S. Wasser zum Pulssäcklein.

℞. *▽ carsunc. acet. rosac. ana unc. j.*
M. S. ut suprà.

℞. *Fol. meliss. dr. vi. flor. rorismar. drach. iij. cinamom. drach. iß. mac. benzoes ana dr. j. croci, caryoph. ana scrup. j. camphor. scr. ß. moschi gr. v.*

Ex concis. & cont. F. cum subtilibus linteis sacculi ad cor & pulsus interpassati, adspergantur præcedentibus aquis. Hæc enim fragrantia ingredientia particulas suas spirituosas odoratas per poros cutis cum sanguine cordi, & sic spiritibus communicant.

Odoramenta ex his concinnari queunt; ex. gr.

℞. *Ol.*

℞. *Ol. nuciſt. expr. unc. ß.*
bals. peruv. dr. j.
ol. lign. rhodii dr. ß.
moſchi ſcr. ß.
ambr. gr. v.
pulv. cocchinilior. ſcr. ß.
ol. citr. caryoph cinamom. ana gt. iij.

M. F. Balſamum, temporibus, naribus & ſcrobiculo cordis applicandũ. Villius ſic concinnatur:

℞. *ol. nuciſt. expr. dr. iij.*
benzoin. dr. j.
bals. peruv. dr. ß.
moſchi gr. vj.
pulv. cocchinilior. ſcr. j.
M. F. Bals.

Poſſunt etiam aliàs noduli fieri ex fragantibus, & aquis apoplecticis vel aliis ſpirituoſis irrorari: Plura de his, qui deſiderat, Practicorum volumina evolvat.

DIÆTA tandem his omnibus ſuccedit, & agmen claudens ſalutarem vitæ ciborumq; præſcribit normam, quam meritò æger noſter obſervet, nî ſæpiùs & gravius, ut antea, hôc malô affligi velit. Proinde in NATURALI cibus ſit εὔχυμος καὶ εὔχυλος, temperatus, boni ſucci pro meliore ſpirituum generatione, ut carnes vitulinæ, caponum, cremor ptiſanæ; juſcula condiantur crocô, mac. cinamom: Vitentur cibi frigidi, craſſi, difficiles concoctu; extra paroxyſmum moderatè cibus capiendus, in ipſo verò penitùs ſubtrahendus, juxta Coum *Sect. 1. aphor.* 11. Potus ægro concedatur è cereviſia clara & probè defæcata, quæ herbis & aromatibus convenientibus condiri poteſt. Vinum ſit tenue ad dulcedinem vergens, odoratum & ſpirituum defectum reſtituens.

In VITALI: Aër ob omni impuritate exulet & inquinamento, ſit ſerenus, lucidus, temperatus: ſi talis deſit, arte parandus odoratis foliis & floribus per cubiculum ſparſis. Animi παθήματα graviora in exilium proſcribenda, iram imprimis & terrorem cane pejus & angue fugiat, moderatô verò gaudiô animus exhilaretur.

In ANIMALI demum modus in ſomno & vigiliis ſervandus: Quies præferenda exercitiis, hâc enim ſpiritus recolliguntur, imò laboribus nocturnis hactenus inſtitutis planè ferias imperet æger; alvus commoneatur officii ſui: Veneri, ſpirituum humidiq; radicalis enervatrici, valedicat. Hiſce ſingulis ritè obſervatis, brevi Syncopen, Summô Archiatrô adjuvante, remiſſuram non dubito.

CASUS XIII.

De
VOMITU CRUENTO.

A Doleſcens XX. annorum corporis rarioris, temperamenti ſeroſioris, phlegmatico-cholerici, oriundus ex locis mari balthici vicinis, à teneris ſalitorum ciborum, pernarum, piſcium,

cium, panis craſſioris, lacticiniorium uſu aſſuetus, exercitiis conſuetis, ſaltatoriis, gladiatoriis deditus, cum potu aliquando largius repletus, noctu frigidiori, nebuloſo tempore domum conceſſiſſet, per aliquot dies ſentit appetitum imminutum, pallere faciem, reſpirationem difficiliorem, imminentem ἔκλυσιν, dolorem gravativum ac æſtum quendam in ſiniſtro hypochondrio, adhuc tamen ὀρθοπαδεῖν & exercitia ſolita, templum menſamque frequentans, conſidens in coronâ ſodalium, exire ob δυσαρέστησιν cogitur, & de ſubito per os ſanguinem purum, grumoſum tamen ſimul, excernit ad aliquot uncias; curatur tunc temporis. Excurrit verò interim jam biennium, nuper eosdem experitur manes, ſanguinem ἀθρόως ad libram unam circiter rejecit, cum pulſu debili & frequenti, frigore extremorum, lipothymiâ, idque poſt duos dies elapſos cubantem in dextrum latus denuò fatigat, urgentibus lipothymiis ad aliquot ſucceſſivè horas, appetitus dejectus, alvus non facit officium. Petitur conſilium.

RESOLUTIO.

AFfectus, quo juvenis hujus vita periculo exponitur, ut hiſtoria refert, ſi ipſam materiam rejectam modumque ejiciendi ſpectamus dicitur VOMITUS CRUENTUS; malum maximè calamitoſum, juxta *Hipp. 4. aphor. 25.* quo nullum præſentius vitæ flammam extinguere & adventantem quaſi mortem magis oculis ſubjicere valet, dum manifeſtò purpura ſanguinis, quâ ſalvâ vita producitur & contra, è corpore eliminatur & cum impetu ejicitur.

Hic autem cum ὅλῳ τῷ γένει, *toto genere* præternaturalis ſit, ſolutæque unitatis morbum & ſuo modo intemperiem velut umbra corpus ſequatur, meritò ſymptomatum claſſibus annumerandus, & in ſpecie ad actiones ventriculi depravatas quoad motum p. n., quoad materiam verò ad excretorum vitia toto genere, ut diximus, præternaturalia, ſeu ſubſtantiâ peccantia referendus eſt. Ejicitur quippè materia ad nutritionem ſpirituumque generationem dicata per inſuetas vias impetuosè ſurſum verſus, quarum officium aliàs eſt, contenta deorſum ablegare.

Et licet nonnunquam viſi ſint ægri liberati per vomitum ſanguinis, tanquam per excretionem criticam ab aliis gravioribus ſymptomatibus, qualia exempla allegat *Zacut. Luſit. l. 2. M. P. Hiſtor. 10. Langius l. 1. epiſt. 40. p. 193.* illa tamen huc non quadrant, neque affectum hunc noſtrum ex ſymptomatum numero excludunt.

Quoad *motum* affectus noſter chronicus quidem videri poſſet, non tam ratione ſui, quàm cauſarum, cum

cum immediatæ, tum mediatæ proximioris, quarum illa ob tonum laxum, calorem debilem, motumque perpetuum tam facilè amoveri nequit, hæc verò sensim in corpore congesta, viscerum tonum variè destruxit, unde non potest non ille ipse in longum produci tempus, quemadmodum etiam exempla testantur durasse talismodi vomitus ad aliquot annos; magis tamen æmulatur, quoad paroxysmum, acutorum naturam, cum sanguinis excretio omnis excessiva citum vitæ periculum minetur.

Quoad *morem* magnus omnino dici meretur, ob adjuncta inprimis facultatis naturalis & vitalis symptomata; dein etiam ob consensum, quem habet ventriculus beneficio sexti paris nervorum cum toto corpore, quâ de causâ metuendum, ne gravius inde oriatur malum.

Ut autem eò certiores simus de affectu hoc, operæ pretium erit, ut signa ejus paulò accuratius animo perpendamus.

Manifestant verò eundem inprimis ESSENTIALITER INHÆRENTIA, dum nemo non videt, adesse præter δυσαρέστησιν & nauseam, tanquam vomitus individuos prodromos, manifestam & subitam sanguinis per os rejectionem. Neque obstat, quod per viam illam regiam, inverso naturæ ordine, non rarò aliæ quoque partes, ut pulmo, aspera arteria, caput ipsum similie quid excernere soleant; differunt enim maximè excretiones illæ à nostrâ ejiciendi modo, qui non est cum simplici exspuitione, quæ ex oris partibus, non cum screatu, qui ex asperâ arteriâ, non cum tussi, quæ ex pulmonibus materiam excretam notat; sed cum vomitu, seu motu ventriculi versus superiora facto, de quo regula generalis est: Quæcunque per vomitum ejiciuntur, ex ventriculo redduntur immediatè.

In ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS simili ratione vomitum hunc sanguinis arguentia deprehenduntur, ut in *actionibus naturalibus*, appetitus dejectus; in *vitalibus* pulsus debilis, frequens, lipothymia maximè urgens, & respiratio difficilis; in *qualitatibus mutatis* extremorum frigus & pallor faciei; in *excretis & retentis* alvi durities.

CAUSÆ PRÆGRESSÆ, error in rebus sex non naturalibus commissus, in cibo præcipuè, potu & motu, qui rarioris texturæ corporibus facilè maculam affricare aptus natus est, nec non aëris injuria, cui se æger noster benè potatus noctu frigidiori temporeque nebuloso exposuit, ad affectum hunc producendum multum contulère, de quo in sequentibus.

Neque dissentit SIMILITUDO, sive *ad alios* fiat relatio; agnoscit enim quilibet, vel ex vulgo quoq; ejusmodi subitaneam cum motus violentiâ materiæ alicujus per os rejectionem pro vomitu, & quidem ratione materiæ in specie sanguineum; sive *ad se ipsum*, ante biennium enim eodem morbo laborans, pro tali habitus & curatus est.

SUB-

Subjectum Principale, seu symptomatis, est Ventriculus, universalis corporis nostri coquus & promus condus, tam sensili præditus archéo, ut non solùm, quæ toti corpori pro futura sint vel nocitura, accuratè discernat; verùm etiam quæ sibi peregrina sunt & heterogenea, muneri ejusdem non convenientia, quam vicem nostro hoc casu sanguis sustinet, omni nisu eliminare satagat.

Afficitur in vomitu hoc cruento ventriculus ut similaris, intemperatus redditus ab extravasato sanguine; ut dissimilaris repletus eodem; præcipuè verò quoad utrisque communem unitatem, unde eò præsentius ad depravatum hunc motum à fundo versus orificium superius cietur.

Subjectum Minus Principale, seu causæ, nominamus Lienem, hujus mali focum. Concurrit per accidens quasi œsophagus quoque, per quem, tanquam per canalem, expultrix ventriculi irritata motu vitioso materiam peregrinam eò translatam cum impetu expellit; redundante hinc in reliquas corporis partes mali gravitate, totum enim corpus hîc suos simul patitur manes.

Afficitur ergò ventriculus non ἰδιοπαθικῶς, *essentialiter*, non enim rejicitur materia ibi genita, sed δευτεροπαθικῶς, seu *per consensum*, & quidem positivum, transmisso à liene sanguine acri mordicante, ejusque tunicas sensu exquisitissimo præditas vellicante.

Causa Immediata Proxima est διαίρεσις, seu apertio vasis unius vel alterius sanguiferi, quam consequitur statim effusio sanguinis in εὐρυχωρίαν, ventriculi, & irritatio facultatis expultricis, agitatis in motus spasmodicos fibris nerveis maximè sensibilibus, quoad fundum inprimis & orificium inferius ventriculi, unde motu peristaltico naturali inverso quæcunque obvia cum impetu exturbantur.

Causa Mediata Proximior, quoad *essentiam*, est sanguis, particulis salinis, acribus, alcalinis & sulphureis fœtus, qui ὀργασμῷ concepto, non contentus spatio sibi à naturâ concesso, vasa capillaria in ventriculi parietibus dilatavit, eorum oscula reseravit, exedit, atque hunc affectum produxit.

Peccat hic sanguis quoad *modum essendi*, 1. *quantitate*, non quidem per se, quod inde patet, quia post evacuationem hanc natura vix viribus sustentandis potest sufficere; sed respectivè & per accidens, quatenus partim ob circulationem impeditam in vasis splenicis & mesaraicis cumulatus est, partim vitiosè rarefactus exundationem affectavit.

2. *Qualitatibus* peccat tum primis, caliditate, tum secundis, tenuitate, raritate, tum tertiis potissimum, acrimoniâ salino-sulphureâ, undè ad rodendum, naturamq; stimulandam aptissimus est.

Præcipuè verò 3. *motu*, tum *generationis*, tum *locali*. Generatus quippè fuit sanguis hic vitiosus non solùm ratione materiæ, assumtorum minus bonæ notæ; verùm etiam ratione

tione efficientis, fermenti ipsorum viscerum in depuratione ejusdem occupatorum.

Postquam enim qui reliquis omnibus prospicit ventriculus ex assumtis alimentis paulò grossioribus salia sylvestria in chylum redundantia secrevit, accedente errore externo accumulata eadem in massam sanguineam per vasa lactea didita & collecta fuerunt. Hoc etiam inquinamento salino & tartareo obruta sanguinis & seri cohobia, tantum abest, ut sufficerint eidem corrigendo & eliminando; ut potius proventum hunc abundè adjuverint.

Vitium enim primæ coctionis non facilè corrigitur in secundâ, neque in tertiâ. Hinc partes serosæ, blandæ, quæ adhuc supersunt, una acorem contraxêre, saliaque corrosiva & scoriæ biliosæ feculentiores, ad segregandum in locis debitis indispositæ, eidem manserunt permistæ, quæ postmodum, per viscerum parenchymata filtratione factâ, sensim adhærent, vasa minora obstruxerunt, ut ita intumescere, turgescere, & exitu ordinario denegato, aliam sibi viam quærere ipsum oporteat.

Motus localis seorsim attendi meretur. Irruit sanguis in ventriculum per φυσαλισμὸν καὶ ἐπίσχεσιν, subitaneâ impulsione. Uti ergo hic est *recipiens*, debilitate partim nativâ, partim acquisitâ conjunctâ; ita *pars mandans* est lien, ὦσει seu pulsione pollens, ob factam ibi στάσιν, ob factam item rarefactionem & ebullitionem vitiosam.

Vasa quæ sint, quæsiti, dissentientes autores offendimus, aliis arterias, aliis venas nominantibus. Cum *Highmoro* si faciamus, dicendum fuerit, pur arterias splenicas ad ventriculum penetrare ac vomitu ejici sanguinem. Lien enim cum abundet arteriis præ omnibus visceribus, hinc iis obstructis verosimile est, sanguinem regurgitare & majori cum impetu per vas collaterale ferri ad ventriculum, ubi ob conceptum fervorem & majorem activitatem, quâ præ sanguine venoso pollet, hunc effectum facilè edere potest.

Nil obstat tamen, quin & venas id præstare asseramus, utraque enim vasa hæc sanguinem vehunt, utraque eundem datâ portâ effundunt. Ita *Riverius l.* 9. *c.* 8. putat, fieri communicationem hanc per venas, quod ramus venæ portæ in lienem divaricatus, multas propagines ad ventriculum mittat, & præterea vas breve adsit patentissimum, quod in statu naturali continuò excrementum melancholicum in ventriculum eructet.

Utrumque hoc ut concedendum etiam est, ita de priori experimentum legi meretur apud *Valverdum l.* 6. *c.* 5. *p.* 267. qui in Cardinalis cujusdam, sanguinis per vomitum rejectatione è vivis sublati, cadavere dissecto, ventriculo expresso lienem evidenter intumescere & contra expresso liene ventriculū insigniter sanguine repleri per hujusmodi venam conspexit. In nostro ægro effusio sanguinis per vas breve sine dubio in ventriculum peragitur.

Licet enim falsa sit hypothesis de succo melancholico, licet etiam con-

cesserimus, nihil per vas breve ferri ex liene ad ventriculum, de quo legi potest *Dimerbrock. l. 1. anat. c. 6. p. 32.* in statu tamen præternaturali id omninò negari non potest. Observatum quippè fuit per anatomen, tum ab aliis, tum *Magnifici D. D. Præsidis* nostri memoriâ in fœminâ vomitu cruento extinctâ, vas breve calamum scriptorium majorem æquans à liene unico trunco in ventriculum aliquot ramis disseminatum, quorum unus stylum in ventriculum admisit; non procul ab hoc, versus inferiora aliud adhuc vas, sed minus, ex liene solito longè majore ad ventriculum latum est, etiam pervium.

Reserata scilicet in his, præter dicta, vasa à rodentibus salibus, tunicas exedentibus, dilatata ab impetu, ab ὀργασμῷ, ab obstructione ipsâ reliquorum vasorum sanguinis, undè repagulis laxatis promtè excidit & colligitur in capaci satis vase, ventriculo.

Hinc & successione quadam exinaniuntur reliqui sanguinis loculi, unde in prædicto casu vasa mesaraica reperta fuér vacua, quin omnes arteriæ & venæ sanguinis vix vestigium præ sè tulerunt, præter arteriam magnam & venam cavam, parum sanguinis concreti continentes.

MEDIATÆ CAUSÆ REMOTIORES sequuntur, quæ cum in affectu nostro plurimum conferant, maximè sunt perpendendæ, quas inter primò se offert

EX NATURALIBUS, TEMPERAMENTUM phlegmatico-cholericum, quod ad humores in corpore serosos, salibus alcalibus, biliosis impræg-natos, pro variâ corporis dispositione & diætæ erroribus, producendos maximè facit.

Nec minus consentit HABITUS CORPORIS rarior, qui consimilem teneriorem sanguinis texturam importat, unde facilè fluxilior, acrior & serosior redditur.

EX NON NATURALIBUS considerandus venit

AER, cui se æger noster benè potatus exposuit, isque frigidus, nocturnus, nebulosus. Hic uti aliàs morborum ferax, ita etiam hujus mali faces accendisse videtur, quatenus & inspirando & corpus ambiendo humores, largiori potu in motum citatos, subitò congelascere fecit, ansamque non solum præcedentibus symptomatibus, verùm etiam sequenti malo dedit. Accedit locus mari balthico vicinus, qui per se incommodis quamplurimis corpora humana mactare satis potens est, dum continuò ob marinam uliginem & squalorem aër crassior & densior, aquæ etiam duriores & crudiores ferè fixitati humorum & dispositioni scorbuticæ apprimè favent.

VICTUS errores quantum ad producendum malum contulerint, non pluribus opus est adducere. Malus corvus, malum ovum; quia enim à teneris statim assuetus est cibis salitis & difficilioris coctionis, non mirum, quod sanguis ejusmodi pravus, charactere salino scorbutico fœtus, productus fuerit. Singuli ejus commatis

sunt,

sunt, qui lutosum & salinum sanguinem generare solent, corporiq; alendo minus utilem. Neque POTUS largior indictus abire debet, quippe qui & salium vehiculum constituit, & sanguinem fluxiliorem dedit, ut eò faciliùs & citiùs vasa ad ventriculum tendentia aperire & erodere potuerit.

MOTUS, quo æger non semel in excessu peccavit, (utpote deditus omnino exercitiis violentis gladiatoriis & saltatoriis) non ultimum meretur locum, siquidem per motum nimium, inprimis post cibum sumtum, chylus crudior & impurior in vasa præcipitatus, & hinc cum sanguine vitiosè confermentatus, in cohobiis ejusdem majus exhibuit negotium, congestis sensim scoriis omnis generis, fermentum viscerum inquinantibus & deturpantibus, unde denuò perpetuo suo motu illuc latus reportavit quisquilias.

EX PRÆTERNATURALIBUS tandem causæ loco poni potest ipse affectus, quo ante aliquot annos æger noster vexatus fuit, qui, licet tùm temporis curatus fuerit, potuit tamen vel levi quodam errore, semel stratâ viâ, facilè iterum propullulare, imprimis cum ejusmodi vitiosa dispositio partium tum solidarum, tum fluidarum à variis erroribus rerum nonnaturalium, ut ex historiâ patet, introducta fuerit.

Plurimùm quoque contulit, si non omne, SCORBUTICA διάθεσις, quæ uti fertilissima mater aut noverca potius est omnis generis symptomatum; ita quoque, si cum calidiori temperaturâ, cum lixivo sanguinis statu conjuncta sit, præprimis hunc nostrum fœtum excludere observata est.

Hinc non mirandum, tam varia machinæ humanæ facultatum symptomata affectum nostrum comitari, quorum jam ratio reddenda venit.

1. *Appetitus adest imminutus*, ob caloris ventriculi destructionem, fermenti diluitionem, & parietum laxationem, quæ omnia unicam ferè causam agnoscunt ingurgitationem nimiam potulentæ materiæ, hâc enim ratione calor, quia tantæ quantitati par esse non potuit, obtusus est, fermentum humiditate ibi moram nectente dilutum & feculentum redditum, parietesque moderatoribus hisce lætis, facilè laxati fuerunt, longè verò magis id factum hinc, ubi in cavitatem hanc peregrinus hospes sanguis inundavit.

2. *Pallet facies*, ob depauperatum sanguinem, omnis enim facici ζωτικὸν ἀνθος & vigor ab hoc unicè mutuandus est.

3. *Respiratio difficilis est*, quoniam sanguis, circa lienis & ventriculi regionem restagnans, gravat atque tendit diaphragma, unde in motu suo impeditur, &, cum respirationi maximè inserviat, eandem reddit difficilem.

4. Ἔκλυσιν *imminentem* non tam defectui succi nutricii ex inappetentiâ resultanti adscribimus, unde vires non debita incrementa accipiunt; quàm sanguini extra oleas vaganti,

& coagulato in ventriculo, reliquo vitiosè in corde rarefacto.

5. *Dolor gravativus ac æstus sinistri hypochondrii adest*, ob sanguinis copiâ, lienem & vasa inprimis eò tendentia in extremitatibus suis obstructa occupantem, qui distendendo ac gravando molestus, non potest non dolorem excitare & quidem gravativum, ob visceris illius structuram, quæ non adeò fibris nerveis, saltim sibi relictis, ac reliquæ partes sensibiliores, intertexta est. Adest quoq; æstus, ob eandem causam, ubi enim affluxus sanguinis, ibi quoque calor sentitur.

6. Δυσπέψιαι partim cacochymiam gravantem nunciat, partim præco ipsius vomitus est, ob communem tunicam in ore se exerente, & in toto corpore labore ventriculi.

Hæc omnia, quamvis unà cum subsequente vomitu, adhibitis remediis, deseruerint ægrum nostrum per integrum biennium; nihilominùs tamen, materiâ denuo collectâ recurrunt, idemque malum excludunt. Et quoniam exindè non exigua vis machinæ corporeæ infertur, hinc porrò sese offerunt.

7. *Pulsus debilis*, qui ab exhausto ultra εὐφορίαν sanguine, spirituumque vitalium defectu ortum ducit.

8. *Frequens*, ob usum urgentissimum, dum illud, quod propter imbecillitatem virium magnitudine præstare non potest, frequentiâ resarcire conatur natura.

9. *Frigus extremorum* consequitur sanguinem versus fontem suum vocatum; uti enim moderatoris vitæ nostræ archei officium est, in statu naturali distribuere sanguinem & calorem in omnes corporis partes; sic in statu præternaturali sæpè visitur, ut contrario motu sanguinem à peripheriâ ad centrum revocet.

10. *Lipothymiæ* eadem ferè est ratio, inductæ à resolutione spirituum & grumescentiâ sanguinis reliqui.

11. *Repetit malum* post duos dies, & quidem *decumbente in dextrum latus ægro*, novo per circulationem sanguine ad hiantes vias nec dum occlusas appellente, & positu hoc ἕξιν καὶ εὐθυωρίαν seu decubitum ad inferiora magis inveniente.

12. *Alvus* deniq́ue *non facit officium*, vitio archei, qui ut nullis actionibus in toto corpore in eujusmodi turbis ritè invigilare potest; ita quoque in secretione inutilium quasi obdormit.

Consideratis itaque his omnibus, quæ ceu causæ affectum antecessêre, & quæ ut symptomata illum secuta sunt, videndum nunc est, quale sit statuendum PROGNOSTICON.

SALUTIS & MORTIS respectu si ægrum consideramus, facilè patet, non carere illum periculo, siquidem metuendum, ne vel cum illâ ipsâ frequenti sanguinis per vomitum rejectione ipsam purpuream simul ejiciat animam, vel pretiosissimo illo vitæ thesauro & irreparabili, sanguine scilicet, privatus, cachexiam & hydropem sibi contrahat, quorum posterius paucos admodùm, ut practici annotarunt, reconvalescere si-

vit,

vit, quinimò neminem ex vomitu cruento hydropem passum conservatum se vidisse scribit *Dodonæus*. Neque symptomata hîc maximè urgentia, ut pulsus debilis & frequens, lipothymia, frigus extremorum, per aliquot dies perseverantia boni quid important, quippè quæ de affectus hujus magnitudine abundè testantur. Nihil omnius tamen, cum æger sit juvenis, cum ab eodem morbo jam semel feliciter liberatus, cum certo potissimum corporis positu magis vomitus reciprocet, & inducias det, spem amplam concipimus futuræ liberationis, & recuperandæ sanitatis, modò ipse se non destituat, dictisque audiens solicitè omnia observet præstanda.

Nec de BREVITATE paroxysmantis morbi dubitamus, diu enim œconomia vitalis hunc statum sustinere non poterit, sed longius tamen temporis spatium pro recuperandis viribus, viscerum tono, & ipsius sanguinis κράσει corrigendâ requiretur, in quibus singulis tamen jam memorata non parum nos confirmant.

EVENTUS MODUM dicimus futurum lentâ conversione *ad salutem*, occlusis nempè vasorum osculis sanguinem dimittentibus, obstructis verò circa lienem reseratis, ut liberè iterum circulari possit sanguis, quo facto facilè erit occurrere reliquis symptomatibus, per alterantia sanguinem & confortantia.

Hinc posito prognostico, proximum erit, ut ad CURATIONEM nos accingamus, secuti, juxta METHODUM MEDENDI, INDICATIONUM triadem. CURATORIA ipsum morbum, ex intemperie & unitatis solutione, conflatum tollendum esse monet. PRÆSERVATORIA, quæ circa causas amovendas occupata est, sanguinem acrem temperandum vasorumque obstructionem tollendum innuit. VITALIS symptomata urgentissima, ne filum vitæ abrumpant, sollicitè attendit & virium reliquias conservat.

Satisfiet his ex TRIPLICI remediorum FONTE & quidem primò omnium sese nobis exhibet ex CHIRURGICO VENÆ SECTIO, quæ an in ægro nostro locum habeat vel indicetur, disquirendum est.

Vires sanè maximè sunt debiles, prostratæ, minimeque ad illam sustinendam sufficientes apparent. Deinde tantum sanguinis jam dum per vomitus crebriores rejectum est, quantum nec in robustissimis venæ sectione detrahere prudens auserit medicus, quinimò lipothymiæ urgentes hanc ipsam respuere videntur. Nihilominùs verò cum ex duobus malis eligendum sit minus: cum deflectens ab orbitâ suâ sanguis in circulum suũ revocandus, cum lipothymiæ sint recuperabiles & transitoriæ, proficuam & necessariam illam asserimus.

Hinc, simulac paulisper recollectæ erunt vires, ut sufficientes videantur huic negotio, vena aperiatur saphena vel pollicaris in dextro pede, & emittatur sanguis ad unam vel alteram unicam. Si enim natura ferre

potest tam enormem profusionem, quid ni faciliùs longè minorem effusionem, prudenti manu pro lubitu regulandam, sustinuerit?

Utque eò magis fiat revulsio à ventriculo, ex usu quoque erunt CUCURBITULÆ SICCÆ hypochondrio sinistro applicandæ, item FRICTIONES extremorum, quò sanguis sensim in vasa ordinaria remeet, neque diuturniori morâ circa præcordia subsistens grumescat, malumque malo exitu finiat.

Primariò verò præsidia eaque validiora nobis suppeditat PHARMACIA, in quâ consuetâ methodo primò se offerunt LENIENTIA, indicata tum à cacochymiâ serosâ & biliosâ, tum ab alvi adstrictione, imò imperata quasi sola, quia purgantia propriè dicta minùs in paroxysmo tuta sunt, metuendumque in eo, ne vires magis labefiant, vasa verò majorem apertionem & irritationem patiantur.

Cumque affectus requirat adstringentia vasa & vias, vel hoc solo nomine quoque de lenientibus cogitandum est, ut interpolata statui naturali conformem processum servent.

℞. *Elect. lenitiv.* ℥ij.
rhab. Alex. ℥ß.
cryst. ♀ ʒß.
syr. ros. solut. q. s. sacch. parum.
M. F. l. a. Bolus.

S. Lindzucker auf einmal.

℞. ▽ *laxat. Minder.* ℥ij.
extract. rhab. ℈i.
mann. calabr. ℥ß.
M. F. Haustus.

S. Laxiertränckleín auf 1 mal.

℞. *Rad. alth. glycyrrh. ana* ʒiß.
rhab. Alex. ʒi.
fl. anth. fumar. 4. cord. ana pij.
pulp. tamarind. ℥ß.
*passul. min. m*ß.
cass. lign. ʒß.
Concis. contus. gr. m. coq. ins. q. seri lact. capr.
℞. *Col.* ℥iij.
adde *mann. puriss.* ℥ß.
M. F. Haustus. S. Ut supra.

PRÆPARANTIUM locum tuebuntur, quæ sanguinem biliosis scoriis refertum contemperant, illum à vasis ventriculi repellunt, & ulteriorem influxum prohibent, in quem scopum sequentibus uti possumus.

℞. *Aq. papav. rhæad. acetos plantag. ana* ℥iß.
sang. symph. ℥ß.
syr. corall. rubr. de ros. sicc. ana ʒiij.
M. F. Julepus.

S. Alterir- und Stärcktränckleín.

℞. *Aq. torment. bistort. plantag. burs. past. ana* ℥i.
centinodii, traumat. compos. ana ʒvi.
℞ *æ papav. rhæad. viol. ana* ʒij.
syr. myrtin. ℥ß.
M. F. Potio.

Quod si confirmatis viribus ad expurgandam cacochymiam & præservandum morbum imposterum fortioribus uti integrum sit, sequentia exempli loco esse queunt.

℞. *Pulv. laxat. veget.* ℈i.
resin. galap. gr. iij.
⊕ ♁*iat. g. v.*

ꝏ *fæ-*

♌ *fœnic. gutt. j.*

M. S. Purgier Pulver auf 1 mal.

℞. *Extr. panchymag. Croll. gr. xv.*
resin. scammon. gialap. ana gr. iv.
♌ *anis. gutt. ij.*
elix. ppt. q. s.
M. F. Pilulæ

S. Purgier-Pillen auf 1 mal.

℞. *Rhab. Alexandr. elect. fol. senn. Alexandr. s. s. ana ʒij.*
fibr. helleb. nigr. ʒi.
fl. 4. cord. ana pj.
Infund. in s. q. seri lact. capr. per ☽, manè ebulliant.
Colat. ℞. *ʒiij.*
adde *crem.* ♀*ri gr. viij.*
mann. puriss. ʒi.
M. F. Potio.

M. S. Purgiertränckleim auf einmal.

VOMITORIA consultiùs omittuntur; quamvis enim adhuc in ipso ventriculo aliquid materiæ vitiosæ latitare possit; hic tamen vomitus vomitu non curabitur, sed potius promovebitur, siquidem ob vehementiam & stimulum eadem quæ in purgantibus, imò multò magis sunt metuenda. Illa ergò, quæ ventriculum malè habent, potius resolvenda & discutienda.

Plurimum verò spei ponendum meritò in CLYSTERIBUS, quod citra omnem molestiam alvum expediant, nec per locum affectum, quod purgantia videntur facere, magis evacuent.

℞. *rad. lil. alb. malv. alth. aspar. ana ʒß.*
herb. ſ. emoll. chamomill. fol. senn. ana mß.
fl. persic. malv. arbor. acac. ana p. iij.
sem. fœn. græc. lini, ana ʒiij.
fic. ping. n. vi.
Coq. in s. q. ▽ *simpl.*
Col. ℞. ℔*j.*
adde *elect. diacathol.* ʒß.
⊖ ♀*ri* ☉*i.*

M. F. Clyster. Applicetur, ut decet.

℞. *rad. ebuli, fœniculi, althææ, ana ʒß.*
fol. heder. arbor. fumar. violar. parietar. ana mj.
fl. chamom. hyperic. ana mß.
rhab. Alex. ʒi.
fol. senn. s. st. ʒij.
prun. Damasc. n. vj.
Coq. in s. q. ▽ *simpl.*
℞. *Col.* ℔*j.*
elect. lenit. diaphœnic. ana ʒß.
ol. thapsi. barbat. ʒi.
☉ ♂*iat. ʒi.*
vitell. ovi n. j.
M. F. Clyster.

DIURETICA non minus ex usu erunt, ut horum ope vasa mesenterica & splenica referemus, sanguinis motui libertatem fœneremur, & unà amurcam biliosam & pituitosam corrigamus.

℞. *Arcani* ♀*i Sennert.* ♎ ⊖ ♂*lis ana ʒi.*
M. D. In vitro.

S. Eröffnende Mixtur.

℞. *Lap.* ♋ *ppt. ʒß.*
hepat. rubr. Dresd. ♓ *ʒi.*
croc. ♂ *aperit. gr. x.*
M. F. Pulvis.

S. Eröffnendes Pulver auf 2 mal.

℞. ▽ *aperitiv. Schröd. ʒij.*
clyss. ♃*ii* ♄*rati* ☉*iß.*

Syr.

syr. dialth. Fernelii q.s.
M. F. Potiuncula.

S. Eröffnendes Tränklein auf 1 mal.

DIAPHORETICA vix præterquam temperatiora conyenient, eum in finem potissimùm seligenda, ut grumescentiam sanguinis dissipent, & sanguinis motus ad peripheriam suam derivetur magis.

℞. *Bezoar. ♂lis, extr. torment. ana* ʒß.
laud. opiat. gr. ß.
M. F. Pilulæ.

S. Zertheil-Pillen auf 1 mal.

℞. *Elect. diascord. Fracast.* ʒß.
CC. ustippt. ʒij.
sacch. q.s.
M. F. Bolus.

S. Schweißtreibender Zucker auf 1 mal.

℞. *Pulv. bez. Sennert. bez. ♂lis cachect. ana* ʒj.
lap. bez. occ. gr. vi.
magist. anod. gr. iij.
M. F. Pulv.

S. Schweiß-Pulver auf 2 mal.

ALTERANTIA & CONFORTANTIA deniqúe exoptatum ferent auxilium, unicè hinc & præcipuè exosculanda, quæ nimirum qualitates vitiosas sanguinis intimiùs corrigunt, parietes ventriculi conglutinant, ipsiusque tonum restituunt, & vires labantes in pristinum robur asserunt.

℞. *Essent. traumat. D. D. Præs.* ʒ ij.
anod. ʒß.

M. S. Sonderbare Tinctur.

℞. *Ræ antiph.* ʒiß.
D. In vitro. S. Ut prius.

℞. *Ræ ♂adstr. corall. ana* ʒi.
hæmatit. ʒß.

S. Anhaltende Tinctur.

℞. *Conserv. menth. acetos. cichor. ana* ʒß.
species. de gemm. frig. diatr. sandal. ana ʒi.
gum. tragac. corall ppt. lap. ♋ ppt. ana ʒß.
croc. ♂ adstring. ʒi.
Ræ corall. ʒß.
M. c. s. q. syr. papav. rhœad.
F. l. a. Electuar.

S. Kühlende Lattwerg.

℞. *Croc. ♂ adstr. ebor. s. ▽ ppt. corall. ppt. ana* ʒi.
sang. Dracon. ▽ sigill. ana ʒß.
laud. opiat. gr. j.
M. F. Pulvis.

S. Anhaltend Magen-Pulver auf fünfmal.

℞. *Aq. acetos. endiv. plantag. bugl. borrag. ana* ʒi.
cordial. Herc. Saxon. frig. centinod. ana ʒß.
mag. corall. lap. ♋ ppt. ana ʒß.
Ræ corall. ʒij.
✕ ʒß.
syr. myrtin. parum.
M. F. Potio.

S. Stärck-Tränklein auf etlichmal.

℞. *▽ torment. plantag. centinod. ana* ʒiß.
cinam. s. v. ʒi.
lap. ♋ ppt. ʒi.
sangu. dracon. mum. ppt. ana ʒi.
Ræ anod. ʒß.
syr. de rs. sicc. q.s.
M. F. Potio. S. Ut supra.

℞. *Se-*

℞. *semin. hyosc. alb. gr. xv.*
sangu. Drac. corall. ppt. aa. ʒj.
lap. hæmat. ppt. ʒß.
nuciſt. ʒß.
M. F. pulvis.

S. Anhaltend Pülverlein auf 5. mal.

℞. *pulv. ſtypt. Croll. vel Dn. D. Præſ.*
lap. ℈. ppt. aa ʒj.
laud. opiat. gr. j.
M. F. Pulvis.

S. Sonderbahr Pulver auf 2. mal.

Poteſt vehiculi loco ſumi *aqua plantaginis* vel *oxycratum*, quod *Riverius* in vomitu ſanguinis ſiſtendo maximo encomio extollit.

℞. *ſpec. diamargar. frig. diatr. ſandal. ana ʒj.*
ſangu. dracon. orient. finiſſ. lap. hæmat. ana ʒij.
extract. torment. ʒß.
ſacch. alb. puriſſ. q. ſ.
M. F. l. a. Rotulæ.

S. Stärck-Küchlein.

℞. ▽ *piloſell. plantag. ſanic. agrimon. ana ʒiß.*
ſirup. corall. papav. rhœad. aa. ʒß.
℞æ *corall. ʒij.*
eſſeæ hyperic. ʒiß.
ocul. ℔. ʒj
M. S. Blutſtillender Safft.

Nec EXTERNA ſtomacho apponenda erunt de nihilo, revellendo, roborando proficua.

℞. *empl. diaphœn. fr. de cruſt. pan. ana ʒvj.*
℔ nuciſt. expreſſ. ʒj.
M. F. l. a. Empl.

S. Pflaſter gegen das Erbrechen.

℞. *empl. de cruſt. panis ʒß.*
cerati ſtomach. Cratonis ʒiij.
ſuccolat. maſtich. ana ʒij.
malax. c. ℔ maſtich. q. ſ.
F. l. a. Empl.

S. Magenpflaſter.

℞. *pulv. marrub. menth. abſinth. pont. ſtomach. Mynſ. ana ʒj.*
N. M. cinamom. Zedoar. ana ʒiß.
ferment. ʒij.
✝ *roſar. q. ſ.*
M. F. l. a. Catapl.

Neque balſama ſeu linimenta hîc ſuâ carent laude, unde ſequens præſcribimus:

℞. ℔ *N. M. expreſſ. ʒij.*
menth. maſtich. abſinth. ana gr. v.
macis. ſuccin. lign. rhod. a. gtt. iv.
balſam. Peruv. ʒß.
M. D. in pyxide.

S. Magen-Balſam.

Sacculus etiam applicari poteſt ſequens:

℞. *rad. zedoar. galang. maſtich. ana ʒij.*
herb. menth. mj.
marrub. abſinth. ſcordii. aa. mß.
fl. roſar. rubr. balauſt. hyperic. ana piij.
ſem. carv. aniſ. ana ʒlij.
xyloal. ʒj.

conciſ. contuſ. gr. m. inſuantur ſaculo irrorentur ▽ *menth.* imponantur calidè ventriculo.

DIÆTAM quod attinet, illa ipſa complementum addit curationi noſtræ, modò juxta præſcriptum probè obſervetur, ſiquidem errore hujus facilè omnia correcta & reſtituta peſſum ibunt.

In NATURALI ergò eligat CIBUM melio-

melioris notæ; panis sit ex farinâ triticeâ vel secalinâ primariâ, benè coctus & fermentatus, vitentur contra ea grossiora, aliique cibi antea consueti, & illorum loco in usum trahantur εὐπεπῆ, & benè nutrientes, non nimis aromatisati & dulces, utpote in bilem facilè abeuntes. Ex carnibus animalium possunt eligi caro vitulina, vervecina, si sint juniores, non nimis pingues, caro caponum, perdicum, aliarumq; avium, juniorum inprimis, exceptis aquaticis.

Gelatinæ maximo quoq; usui erunt, quia temperant sanguinem ab æstu nimio, blandeque demulcent. Lac si desiderat æger, adsumatur caprinum, in quo interdum chalybs candens sit extinctus. Ova frixa exulare debent, & loco horum uti potest sorbilibus. Pisces, si avidè desiderentur, sint saxatiles, & in aquis puris degentes. Potus quoque sit moderatus, temperatus, non nimis calidus, ut cerevisia hordeacea benè defecata; vinum verò imprimis generosius vitetur, aut succo citri prius temperetur.

In Vitali Aer, quantum possibile, eligatur purus & temperatus, ne vitiosam illam qualitatem sanguis iterum contrahat. Nebulosus enim, crassus & frigidus, ut superiùs dictum, maximè dispositionem illam vitiosam in actum deducere possunt.

In naturali quies in paroxysmo cordi habeatur, vitetur decubitus in dextrum latus, & oppositum potiùs premat. Exulet motus omnis, unde in posterum ille ipse vehementior, inprimis post cibum sumtum, cane pejus ac angue fugiatur, propter rationem superiùs datam.

Somnus paulò largior, tum quia humectat corpus & partes salinas acres diluit, tum quoque, quia externis sensibus quiescentibus vires magis recolliguntur & natura roboratur, utilis erit.

Animi pathemata vehementiora, ut ira, mœror, tristitia, absint, utpote quæ sanguinem mirum in modum exagitant.

Excreta & retenta naturæ regulis respondeant, vel limitentur ad easdem, alvo pro re natâ ad officium suum monitâ, devitatis tamen aloeticis.

CASUS XIV.

De DOLORE COLICO.

Vir triginta circiter annorum, temperamento calido & sicco præditus, macilentus, & staturæ oblongioris, leges Diætæ non adeò observare solitus, sed potius appetitui indulgens, cibis delectabatur partim calidis, bilemque adaugentibus, partim quoque flatulentis, sæpiusque cerevisiam minus defæcatam,

catam, vinumque paulò liberalius ingurgitabat. Hinc quandoque adſtringi alvus ita cœperat, ut per aliquot dies obſerata nihil quicquam excerneret. Æger verò naturæ robori & bonitati, quâ aliâs gaudebat, hæc committens, de remediis parum cogitarat, hinc permanente adhuc alvi adſtrictione ventris dolores, maximè circa hypochondrium dextrum, & verſus umbilicum, oborti, inſignem perforationis cujusdam ſenſum & moleſtiam excitarunt, quibus quandoque murmura & borborygmi, cum ventris inflatione, Siti, Nauſea, & Vomitu humoris ſubamari & viſcidi per intervalla ſuperveniunt. Doloris itaque acerbitate, metuque mali gravioris inductus Æger Medicum expetit conſilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, quô Æger præſens laborat, COLICA eſt PASSIO, vel DOLOR COLICUS, adeoque ex illorum numero, qui *nomen* à *ſymptomate* & *parte affectâ* habent, monente *Galen. l. 2, m. m. c. 2.* Dolet enim Colon, inteſtinum craſſum, quod ἀπὸ τῆ κολάζειν, à *contorquendo*, & *caſtigando*, eò quòd doloribus ſit maximè obnoxium derivari ſolet, recenſente *Bartholin. Anatom. Reformat. p. 68.* quamquàm aliis magis arrideat derivatio ἀπὸ τῆ κωλύειν, quod *retardare, removere, prohibere* ſignificat, ſiquidem in hujus inteſtini cellulis fœces alvinæ retardantur aliquamdiu atq; detinentur. Sed mittemus hæc, ad *Etymologiam* pertinentia, *remque* ipſam potius intuebimur.

DESCRIBI poteſt hæc paſſio: Quod ſit triſtis ſenſatio, ſive Aucta p. n. tactûs in inteſtinis, præſertim *Colô*, variaque perceptio, à membranarum & partium nervoſarum, in dicto præſertim inteſtino, contiaui ſolutione proveniens. Patet hinc, *Colicum dolorem* ad *ſymptomata* primæ claſſis h. e. *actionis læſæ* pertinere. Nolumus autem eam litem nunc noſtram facere, quâ aliâs, num per actionem *depravatam* an *auctam* potius, hæc læſio explicari debeat? controvertitur: cùm quicquid ſtatuatur, defendi, ſi rectè explicetur, poſſit, & cæteroquin parum momenti afferre ad curationem videatur.

Eſſe autem hunc & non alium Affectum, quò noſter excruciatur Æger, ea, quæ in Hiſtoriâ recenſentur, haut obſcurè indicant. Nam 1. ipſa adſunt *eſſentialiter Inhærentia*, *ſenſatio* ſcil. *triſtis*, ſive aucta p. n. variaque *in inteſtinis* & præſertim *Colo* tactus perceptio; quæ duo hujus ſymptomatis naturam & eſſentiam potiſſimum abſolvunt. Adſunt 2. *Eſſentialiter conſequentia*, ſiquidem Hiſtoria refert, præter *Alvi adſtrictionem*, etiam *Ventris murmura* & *inflationem* percipi, *nauſeamque* & *ſitim* cum *vomitu humoris ſubamari* & *viſcidi* acceſſiſſe. Quod ſi 3. *prægreſſas* exami-

nemus *causas*, tales sanè extiterunt, ut ejusmodi passionem haut difficulter producere potuerint, prout posteà circa Caussarum investigationem pluribus ostendetur.

SUBIECTUM nunc s. PARTEM AFFECTAM quod attinet, partim *Ventris* in genere fit mentio, partim verò & præsertim *Hypochondrii dextri*, & *umbilici regio*, in Casu nostro denominatur, ut proindè non obscurè pateat, si de parte principaliter affecta sermo instituatur, *Colon* esse, ceu superius quoque innuimus; hinc quamvis *Colica passio latè* sumta omnem intestinorum Dolorem significet, nostrum tamen Ægrum Colico dolore *strictè* acceptô affligi, ipsa regio, quam cruciatus hic maximoperè occupat, & quæ Coli dicitur, ostendere potest. Est enim *Colon* crassorum intestinorum secundum, cœteris multò amplius & latius, unde κοῖλον quasi, seu *cavum* aliis dici videtur. Incipit, ut verbis *Diemerbrockii* dicam, circa os Ilium dextrum, proximo ibidem Reni se jungens, hinc sursum assurgit, & facto sub jecore flexu transversim sub fundo ventriculi (cui mediante omento annectitur) pergit, & à sinistris Lieni Renique sinistro tenuibus membranis adhæret, atque circa os ilium sinistrum, factô flexu, Recti intestini principium orditur. Quæ situs & conformationis variis distinctæ cellulis ratio in hunc abit usum, ut dicto in Intestino fæces alvinæ coacerventur, & usque ad excretionis tempus detineantur. Reliqua, quæ modo recensitis addi possent, apud Anatomicos videantur.

Undenam verò Æger hoc mali genus patiatur inquirere jam inprimis convenit, cùm effectus nonnisi remotâ caussâ cessare soleat. Ordine ut progrediamur & primò de CAUSSA PROXIMA dicamus, solutionem continui in membranis, partibusque Intestini potissimum Coli nervosis, non tam factam, quàm fientem, superius allata Affectus hujus definitio accusat. Hinc enim augetur p. n. vel depravatur in partibus maximè sensibilibus, illa tactûs perceptio, spiritusq; in partibus istis hospitantes in varias ἀταξίας vel inordinationes adiguntur.

Hanc continui solutionem sub improportionati objecti schemate produxerunt CAUSSÆ MEDIATÆ, quarum PROXIMIORES in *Humores* & *Flatus* rejiciendæ hoc quidem in Casu videntur; siquidem non solum Bilis, sed etiam Pituita glutinosa seu viscida illi permista, symbolum satis evidens conferunt; quam humorum miscelam Flatuum quoque haut infrequentem caussam esse statuit *Sylv. l. 2. c. 21. §. 9.* ipsaque id ratio & experientia confirmant. Hinc quamvis chylificationis in ventriculo vitium primas quasi turbas moveat, Bilis tamè aliiq; humores excrementicii ad intestina transmissi potissimum accusandi, quippe qui p. n. in Intestinis subsistentes, & coacervati particulis suis salino-acidis atque glutinosis, nervosas Intestinorum partes insigni cum cruciatu

ciatu vellicant; exituque denegato in flatus resoluti adeò quandoque Colon distendunt, ut etiam brachii amplitudinem cavitate suâ adæquasse observatum fuerit, prout exempla apud *Schenck. l. 3. obs. de Intest. p. 174.* Plater. *l. 3. Obs. p. 656.* occurentia testantur.

Quod si jam porrò CAUSSARUM REMOTIORUM instituimus examen, & eos juxta duplicem *rerum naturalium, non naturalium*, & *p. n.* classem consid[illegible]mus, non parum in lata sententia confirmamur. Nam inter *res naturales* ipsa nobis Historie *Temperamentum* Ægri calidum & siccum s. cholericum ostendit, quod ad evidentem particularum sulphureo-salinarum productionem maximè aptum atque dispositum esse indies experimur. Ut ne jam dicamus, *habitum corporis* macilentiorem tali temperamento multum debere, præterquam quòd *sexus Virilis*, præ muliebri, plerumque hoc malo magis & frequentius infestari solet. *Res non naturales* quod attinet, patet ex historia affectus, Ægrum de ligitima *victus ratione* parum fuisse sollicitum, quin potius genio suo indulsisse, & cibis bilem ac pituitam adaugentibus, flatusque generantibus delectatum, *Libere* quoque & *Cereri* strenuè litasse. Jam vero constat, quas Vinum, præsertim recens, & Cerevisia minus defœcata excitare turbas & possint & soleant; Flatuosum omne est mustum, ait *Galen. l. 2. de Aliment. facultat. c. 9.* neq; insolita res est, Cerevisiam nimis recentem ventrem inflare, turbare alvum, atque intestinorum creare dolores, vid. *Sebiz. l. 4. de aliment. facultat. c. 4. p. 1154.* Possemus hæc prolixius deducere, si in Historia morbi observata hactenus diætæ ratio paulò specialius descripta fuisset. Sed plerumque Ægri, quid rei gesserint, Medicum celant; semetipsos potius, quàm illum decipientes, dumque sanis omnia sana putant, eò facilius mediocritatis, naturæ suæ convenientis leges transgrediuntur. Ad tertiam classem, quæ *res p. n.* comprehendit, accedentes, equidem quibus Æger obnoxius morbis fuerit, aut etiam laboraverit, Historia non recensèt, nisi quis forsan illam *alvi adstrictionem*, quam interdum passus est, eò referre velit, quippe quæ aliàs sanis non æq; accidere solet. Hanc si excipiamus, robur naturæ, quo hactenus usum fuisse Ægrum, perhibetur, innuere videtur, satis eum bellè, adeoque à morbis, præsertim iis, quæ intestinis insidias struunt, plerumque immunem hactenus vixisse. Silente verò Historiâ, non est, ut extra oleas vagemur.

Non destituimur autem propterea rationibus, quibus, deducto nunc caussarum examine, SYMPTOMATA, quæ dictus dolor secum traxit, & quorum in Casu nostro facta mentio est, illustremus. 1. enim illa ipsa *alvi adstrictio* & *constipatio* vix aliunde, quàm à viscerum siccitate, & materiâ glutinosa parietibus intestini Coli adhærente, commodius deducetur, quandoquidem ipsa ratio dictitat, Cibos calidos ficciores, imò & crassiores, sicuti

ficuti coctionem primam valde turbant, ita in secundâ non fieri meliorem; sed bilis & pituitæ viscidæ proventum ubique deponere, hincque ad fœcum alvinarum duritiem plurimum conferre, præsertim si quis sui curam negligentius gesserit, quod Ægrum fecisse ex Historia patet. Hinc 2. *Dolores Ventris* præsertim *circa Coli regionem* sunt oborti, eò quòd hoc intestinum, ceu supra ostendimus, subjecti rationem subeat, hujusque tunicas, & membranam interiorem Humores biliosi & acres lancinent, ac bituitosi & viscidi in flatus resoluti distendant, sicque solvendo continuitatem cruciatus insignes causentur. *Murmura* interim 3. una percipiuntur, certa flatuum indicia; siquidem in amplo satis Coli spatio modò dicta materia pituitosa glutinosa cum bile juncta, tantò facilius in flatus resolvi, & vagos Ventris dolores, quin certâ etiam ratione alicubi fixos & terebrantes excitare potest. Subsecuta tamen 4. *Ventris inflatio*, ab excrementorum, quæ excerni debebant, durante per aliquot dies retentione; hinc enim flatus ab exitu prohibiti, amplius spatium cum tempore quærentes, Coli cavum non sine molestia distenderunt, & propter hujus intestini ambitum, magnam abdominis regionem inflarunt. Neque ibi turbæ hæ solum excitatæ, sed 5. etiam *Situs* cum *Nausea*, & subsequente materiæ subamatæ & viscidæ *Vomitus* supervenerunt, eò quòd talis saburra, in Ventriculo æque ac intestino Colo contenta, stomachum quoque irritarit, & præter inductam siccitatem, Sitis causam, per consensum ex communione Nervorum à sexto pari prodeuntium, ventriculumque & intestina amplectentium, affectô Colô, in motûs ἀτάξιαν unà rapuerit.

Quibus ita perpensis juxtâ ac expositis, quid spei Ægro, sanitatem quasi anhelanti supersit, & quale PROGNOSTICUM, ratione *eventus*, hinc colligere liceat, proximum est ut edisseramus. Patet autem ex *proœmio* nostro, quàm periculi non minus, ac dolorum plenissimus Affectus sit Dolor Colicus, quippe cujus tanta quandoque ingruit violentia, ut rectè dixerit *Trallianus. l. 10. c. 1.* ira laborantes mori sæpius, quàm diutius hoc cum Affectu conflictari, malle: imò nonnulli hos dolores perferre non valentes, sibi necem intulerint, uti testatur *Gal. l. 2. de Compos. med. sec. loc. c. 1.* Interea tamen cùm præsenti in Casu mali causa non adeò sit vehemens, neque tam altas egerit radices, & symptomata, quæ supervenerunt, paulò remissius agere videantur, tantum abest, ut quandam malignitatem præ se ferant, ipseque Æger validâ, alioquin corporis constitutione gaudeat, spes bona illucescit, fore, ut modò fœces induratæ dissolvantur & excernantur, sicque humoribus, hincque oriundis flatibus exitus concedatur, sopito dolore, pristinam ille sanitatem brevi recuperet.

Quam ut obtineat Æger, maturanda est CURATIO, neque enim hic Affectus patitur moram, quin potius illius *symptomata* festinationem urgent.

gent. Ne verò sine *methodo* progrediamur, ea, quibus *indicationes* opus esse ostendent, ita peragere conabimur, ut præsertim *urgentiori* occurramus. *Urget* autem *doloris vehementia*, à solutione continui proveniens, objectum itaque solvens, quò commodius removeatur, præter *anodynorum* usum tempestive & cautè adhibendum, ante omnia fœces duriores emolliendæ pariter atque educendæ erunt. Hisce peractis, & jam sopitâ fractâque doloris vi, primæ viæ ulterius ab humoribus peccantibus eluendæ atque liberandæ, Flatusque discutiendi ventriculoque prospiciendum habitâ ubique *Virium* ratione.

Præsidiorum materiam nobis *Fontes* usitati submini-strabunt. Ubi quidem, ad *Chirurgicum* quod attinet, venæ sectionis nullus hic esse locus videtur, cum neque plethora in Ægro observetur, neque febris adsit; Cucurbitulam magnam cum flammâ copiosâ circa umbilicum abdomini applicandam nonnulli laudant; (V. *River. in obss. communicat. p. 665.*) nostro tamen Ægro, ob causæ diversitatem, hoc auxilii genus nec necessarium, neque utile arbitramur.

Major interim levaminis spes in iis sita est remediis, quæ Fons *Pharmaceuticus* pollicetur; utpote quorum beneficio excrementa evacuare, flatus discutere, sicque doloris obtinere mitigationem propiùs licebit. Nulla autem auxiliorum genera, id æque citò tutoque, quàm *Clysteres*, & quidem emollientes efficient, quos ipsa etiam fœcum diuturnior retentio, & durities accelerare jubent. Tale igitur *Enema*, quàm primum fuerit paratum, injiciatur:

℞. *rad. alth. malv. lil. alb. aa.* ℥ß.
Herb. 4. emoll. aa. mj.
Flor. Verbasc.
Chamomill.
Sambuc. aa. mß.
Prunor. dulc. exossat. No. 9.
Coque in s. q. ▽. *comm. ad.* 3.
Colat. ℞. ℥. x. *add.*
Unguent. pro Clysmat. ℥j.
Elect. lenitiv. Florenzol. ℥ß.
ol. chamomill. aneth. aa. ℥j.
Vitell. ov. No. 1. 0. *parum.*
M. F. Clyster.

Interea quoque venter ol. *amygd. dulc. & chamomill.* vel *Unguent. Clysmat.* & *Anodyn.* inungi poterit. Quod si nihilominus Dolor continuet, *Enema* magis *anodynum* & *abstergens* injiciatur. e. g.

℞. *rad alth.* ℥ß.
liquirit. ℥ij.
helen. ℥j.
Herb. chamomill. c. flor. verbasc. c. flor. aa. mjß.
Flor. sambuc. p. j.
viol. papav. errat. aa. p. ij.
Summitat. aneth. aa. p. ij.
Coq. in s. q. lact. dulc. ad. 3.
Colat. ℞. ℥x. *dissolv. sacchar.*
Thom. ℥iß. *vitell. ov. No.* 1.
P. Enema.

Commendant nonnulli quoque *purgantia*, eò quòd experientia docuerit, unico sæpè purgante dolores contumaciissimos & vel triginta enemata eludentes, fuisse devictos, vid. *River. in prax. lib.* 10, *c.* 1. Nostro interim

Ægro

Ægro potius ab usu clysteris exhibendum ducerem *ol. amygd. dulc. rec. express.* ℥ij ß. cum *juscul. carn. gallin.* & si non responderit effectus expectationi, ad alia *interna* pariter atque *externa Anodyna* accedendum erit. Internè seq. *mixturam* propinarem:

℞. *V. carminativ. Dorncr.* ℥iiß.
physogon.
Cordial. frigid. B. Tim. à Guldenkl. aa. ℥ß.
Pulv. intestin. præp. lup. ℥ß.
Syrup. de Cortic. aurant. ℥ij.

M. S. Mixtur gegen das Grimmen/bisweilen ein paar Löffel voll.

Vel

sumat. cum juscul. pull. gtt. xx. l. xxv. seq. Essent.

℞. *Essent. aurant.* ℥iß.
anodyn. zvvölff. ℥ß.
Spirit. anticolic. D. Mich. ʒi.

M. S. Schmertzen-stillendes Essentz.

Non ignoro, circa Narcoticorum usum Practicos dissentire, & certum est, haut promiscuè illis esse utendum, præsertim si Colica à caussâ frigida ortum duxerit; quandoquidem verò dolor, quem Noster patitur, non minus à bile, quàm à pituitâ provenit, ipseque Æger cholericus est, patere puto, haut ἀκαίρως narcotica, ipsumq; adeò *laudan. Opiat.* si cruciatus nimis urgeant, in usum vocari; quæ tamen ut ne nimis citò neque nimis tardè adhibeantur, cavendum esse reor. vid. Sennert. *l. 3. prax. P. 2. l. 2. cap. 6. p. 259.* Quare modò laudata præmittenda duxi, quibus etiam *externa* in subsidium adjungere seqq. conveniet.

℞. *ol. chamomill. aneth. aa.* ℥ß.
stillatit. aneth. ʒß.
carv. fœnicul. aa. gtt. v.

M. S. Lindrendes Oel / den Leib offt damit zu schmieren.

Vel umbilico inungatur parum *Balsam. fœnicul. Horst.* cui *ol. stillat.* modò laudata permisceri poterunt.

Vel

℞. *Emplastr. de crust. pan. bacc. laur.* aa. ℥ß.
Malax. ol. menth. & aneth. q. s.
add. ol. stillatit. chamomill. ʒß.

M. S. Pflaster/auf den Leib zu legen.

Vel *sacculi* ex *avena* vel *sale calefactis*, aut *Herb. absynth. menth. meliss. abrotan. fol. laur. fl. chamomill. sem. cumin. in aq.* vel *vino* coctis abdomini calidè imponantur. Quæ domestica licet, & in vulgus nota auxilia, si dextrè & methodicè adhibeantur, singulare sæpius levamen afferre solent. Remittentibus (ceu superiùs jam innui,) doloribus, danda erit opera, ut cumulati circa vias primas humores peccantes ulterius & plenè evacuentur. Ubi quidem optimè conferet *vinum passulatum laxativum*, ex rad. *cichor. helen. liquirit. herb. meliss. scord. veronic. card. benedict. absynth. fl. centaur. cichor. passul. minor. fol. senn. rhabarbar. agaric. Tart. crud. cortic. aurant.* &c. ad imitationem *D. Horst. Tom. 2. p. 170.* aliorumque *Practicor.* paratum, à cujus usu postmodùm *stomachica* e. gr. *Elixir. polychrest. c. spir. menth. l. ß. dulc.* &c. aliquamdiu usurpanda ducerem.

Quibus tamen omnibus Diætæ ratio colophonem addere debet; cum alio-

alioquin, monente *Galeno*, medicamenta parùm efficere queant, eaque præscribere supervacaneum sit. Eligatur itaque *aër* temperatus, vitentur *cibi* acres, calidiores, difficilis coctionis, & flatus generantes, *castaneæ*, *mespila* &c. abstineat Æger à *musto*, & *cerevisia recente*, bibat potius moderatè Vinum, non nimis tamen generosum, & cerevisiam probè defœcatam, cui *rad. helen. cichor.* & *caryophyllat.* parum, cum *cortic. aurant.* infundi poterit, alvus servetur lubrica, cibis emollientibus in usum vocatis, vel, ubi opus, *Elect. de Tamarind. c. fol. senn.* sollicitetur: *Animi pathemata*, præsertim *Ira*, Rationis frenô moderentur.

CASUS XV.

De NEPHRITIDE.

NOn obscuri nominis JCtus, qui in Aulis Principum, crebrisq;, ac longinquis peregrinationibus optimum juventutis suæ consumserat robur, Temperamento Cholerico, habituque corporis ad maciem dispositio, à multis jam retrò annis modò gravativo, modò tensivo, interdum & lancinante doloris sensu circa renum regionem, cum frequente sabuli rubentis excretione, fuerat divexatus. Eundem quoque dolorem, magis adhuc exquisitum, & adurentem, totâ proximè elapsâ hyeme annum agens IL in dextro rene, cum dolorifico cruris ejusdem lateris stupore persensit: Comite insigni appetitûs, circa vesperam præsertim, imminutione, & calore quodam præternaturali, & insolitô, qui vel unicô saltem diætæ excessu, vel vehementiore corporis exercitio sese manifestabat, cum inconsueto totius corporis torpore, & lassitudine in hunc usque diem, reliquis licet paululum mitigatis molestiis, intolerabili cum constantiâ continuante. Conqueritur insuper de ventriculi intemperie frigida, veneris extinctione, & ischiatico reliquis sese commiscente cruciatu. In juventute lucubrationibus admodum fuit deditus; Nec adhuc ab eisdem sese solet temperare. Hoc de affectu quid sentiam, unde eundem existimem progenitum, quid de eo sperandum ducam, vel metuendum; quibus demum præsidiis ipsum augurer oppugnandum, in sequente exegesi pro ingenioli viribus planum reddere laborabo.

Faxit DEUS T. O. M. ut id fiat bonô omine & feliciter.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, quo noſter JCtus non exiguo annorum ſpacio laboravit, NEPHTIS mihi eſſe videtur; Cujus nomen deſumptum eſt à *parte affecta*, & *ſymptomate*, nam νεφρὸς *renem*, & terminatio ἴτις communiter *Inflammationem* (unde *ſolutio continui*, & conſequenter *dolor*) denotat, de quo vid. *Lexic. Medic.* Brunon. p. 750. Ab aliis *inflammatio renum* (ut apud Coſter. *Tab. LXIX. pag 269.* videre eſt.) vocatur. Germanico idiomate vocatur, das Grieß / vel Grûn. Eſt autem *Nephriticus dolor ſenſus renum, partiumq; proximè illis adjacentium, & contiguarum triſtis, ſeu moleſtus; cum variis ſymptomatibus, mitioribus, & vehementioribus, proveniens à ſolutione continui partium nervoſarum ſenſu tactûs præditarum, ab objecto improportionato, vi & vehementia agente introducta.*

Laborare verò Ægrum hoc affectu, demonſtrant:

1. *Eſſentialiter inhærentia:* Adeſt namque modò gravativus, modò tenſivus, interdum & lancinans doloris ſenſus circa renum regionem, cum frequente ſabuli rubentis excretione.

2. *Eſſentialiter Conſequentia:* Nam obſervatur Cruris ejusdem lateris ſtupor dolorificus, circa dextrum Renem, quem comitatur inſignis appetitûs dejectio, calorque præter naturalis, ac inſolitus, qui vel unico diætæ exceſſu, vel vehemente corporis exercitio ſeſe manifeſtat, cum inconſueto totius corporis torpore, & laſſitudine, ventriculus quoque intemperie frigida laborat: Adeſt quoque veneris extinctio, quibus inſuper incommodis iſchiaticus ſeſe cruciatus aſſociat.

3. *Cauſæ Prægreſſæ* non minùs Affectum hunc præſentem eſſe demonſtrant; quas infra ſumus conſideraturi.

SUBIECTUM PRINCIPALE ſunt Renes: Qui ideò à ſummo Creatore in corporibus animalium ſunt exſtructi, ut per illos ſeroſum excrementum à maſſa ſanguinea ſecernatur, & percoletur. Quali autem ratione, & modo hocce fiat, & quomodo per quandam (quam ſupponit) effervescentiam ſeri pars cum ipſi admixtis impuritatibus ſeparetur, & qualem nanciſcatur figurationem, ut ſola per Renum poroſos meatus delabi poſſit, ipſo ſanguine ab iis excluſo, explicatu difficillimum cenſet *Diemerbrock. l. 1. Anat. c. 17.* adeoque hunc, qui explicarit, vere laureâ dignum judicat. Afficitur autem Ren vel unus tantùm, isque vel dextri, vel ſiniſtri lateris, vel etiam interdum uterque. Sic quidem, ut unus totaliter putredine abſumatur, alter verò calculoſâ, & aliâ quadam moleſtâ materiâ oppleatur, quô fit, ut ſeroſo latici, planè tranſitus inhibeatur, quale exemplum *Williſ. in Tr. de Vrin. c. 5. p. 245. & ſeqq.* de Matrona Illuſtriſſima allegat.

MINUS PRINCIPALE SUBIECTUM ſunt Ureteres, Veſica, Ventriculus, Crura &c.

ra &c. quæ Renibus pr. nat. affectis συμπαθικῶς, seu consensum afficiuntur.

CAUSA IMMEDIATA, & PROXIMA hujus affectus est *solutio continui*: Quæ fibras, partesque Renum membraneas pr. nat. affectas demonstrat.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR, est objectum disproportionatum. Hoc nostro in subjecto materia quædam est tartarea, limosa, & feculenta, sabulum itidem, quod ipso actu admixtum apparere supra ostendimus.

MEDIATA REMOTA CAUSA, omni dubio procul Ventriculi, Hepatis, & Renum est dyscrasia; Ventriculus enim, ut ex præcedente historia haud obscurè constat, frigidus est & debilis, & sic per consequens quoque cruditatum, & obstructionum mesenterii, vasorumque renalium parens: Hepar calidum est, eâdemque temperie etiam Renes laborant, crudam ad se translatam materiam adurentes, & exsiccantes, atque in arenulas transmutantes. Nullum quoque dubium est; Vitam aulicam, quæ inordinata, & luxuriosa plerumque esse consuevit, crebras pariter, ac longinquas peregrinationes, haud parvum pondus, atque momentum ad procreationem istius affectus contulisse.

Quibus præsentibus, & in actum deductis mirum non est, Ægrum nostrum laudatum tali affectu correptum non modò; Verùm etiam recensita superius SYMPTOMATA fuisse perpessum, quorum nunc rationes paucis, quoad licet, exponemus.

A multis jam annis modò *gravativô*, *modò tensivô*, modò *lancinante doloris* sensu circa renum regionem, cum frequente sabuli rubentis excretione divexatus est Æger, eo quòd per longum temporis spacium in illius corpore, seu massa sanguinea delituerit, mox verò in apricum jam minus, jam magis pro copiæ diversitate prodierit: Quæ excretio cum à bonitate naturæ juvaretur, Æger, huic nimium confidens, sibi persuadebat, fore, ut tractu temporis omnis materia peccans tandem evacuetur, id quod tamen tantum abest ut evenerit, ut potius

2. *Dolor* tota proximè elapsa hyeme magis exquisitus, & *adurens* quasi *in dexto Rene* persentiri cœperit: Quandoquidem sabulum illud, quod adhuc permanserat, continuo materiei affluxu grandius factum sicuti ingressum ureteris, quem infundibulum vocant Anatomici, ulterius dilatavit, ita quoque exquisitissimos, maximosque dolores attulit.

3. Accessit verò *cruris* ejusdem lateris *stupor*, ideo quia lumbaris musculus, ψόας dictus, in renum regione situs est, ortum habens ab inferioribus duabus thoracis, & tribus superioribus lumborum vertebris, ubi per internam ossis Ilii partem descendit, trochanterique annectitur. Cùm autem hic musculus insigni nervo gaudeat, renesque eô locô incumbant, ubi nervus ingreditur, idcirco stupor in ejusdem lateris fœmore sentitur.

4. Insignis præterea *appetitus de-*

jectio, præsertim circa vesperam, aliquandiu jam molesta fuisse perhibetur. Quam quidem ob consensum Renum cum Ventriculo obortam arbitror; inferiori enim membranæ renum inseruntur nervuli, à ramo stomachico communicati, qui renibus obtusum sensum præbent. Ulterius verò in ureteres inserti, valde notabilem illis sensum communicant. Id verò præcipuè fit circa vesperam, quia ægri circa hocce tempus plerumq; debiliores esse observantur.

Et 5. *Calor* quidam *insolitus* supervenit; Eò quòd præpedita quadantenus sanguinis ἔκδρομὴ quandam in Renibus φλόγωσιν excitet. Notanter dico: φλόγωσιν; cum aliàs, si Renes inflammati essent, Febris continua oboriretur, cujus tamen in Ægro nostro nulla hactenus indicia adfuerunt.

Interim 6. vel unico diætæ excessu commisso, vel vehemente corporis exercitio *dolor exacerbatur*, eò quòd, ob partis affectæ debilitatem, & ἐναισθησίαν, etiam levior mutatio, concitatiorque M. S. motus turbas ciere, molestumque in Renis afflicti regione sensum producere queant. Unde minùs mirari subit, quòd

7. *Inconsuetus totius corporis torpor & lassitudo* in hanc usque diem, reliquis licet paululum mitigatis molestiis, & quidem intolerabili perseverantiâ continuante Ægrum affligat, atq; excruciet; præterquam enim quòd, ob vitiosam partis affectæ nutritionem, particulæ heterogeneæ magis magisq; in illa colligantur, ipsi quoq; musculi lumbares in afflictionis hujus societatem veniunt, & ex præpedito spirituum animalium affluxu languore inconsueto gravantur.

8. *Conqueritur Æger de intemperie ventriculi frigida:* Quæ nisi nativa sit, absq; dubio ab assumptis talem intemperiem producentibus fuit producta, dumq; Renes pr. nat. calent, calor etiam ventriculi ad Renes amandatur, unde frigida illa ventriculi intemperies.

5. *Venerus verò extinctionem* acerbissimis renum doloribus, quin etiam testibus, & vasis spermaticis, quæ quandoq; contrahuntur, ut testiculi & vasa spermatica quasi inguini infixa videantur, adscribendam esse judico.

10. *Ischiaticus quoq; dolor* præsenti afflictioni, propter partis affectæ viciniam, ut & nervorum communionem, sese associare videtur.

Prog: *Expositis sic symptomatum rationibus;* porrò, quid sperandum? vel quidnam periculi immineat? proximè ut subjungamus, ordinis ratio exposcit. Est itaq; hocce mali genus, cum quo Ægrotans noster conflictatur, minime contemnendum, eò quòd pars quædam nobilis lædatur, quæ secretioni seri à sanguine inservit; quæ actio ad vitam nostram sustinendam est summe necessaria, siquidem excretione illa serosa impedita gravissima symptomata excitantur, quæ mors necessario subsequitur. Cum autem symptomata in casu nostro recensita nondum plane superent morbi naturã, sed potius Ægri vires ad ferendum adhuc satis validæ deprehendantur, insuper etiam mentio fiat errorum

in

in diætâ commissorum, sicut & vehementiorum exercitiorum, illumque dolorem non à calculo majore obstructionem causante provenire constet exindè, quia mediante urina sabulum rubrum excernitur, quod deindè in fundo matulæ satis copiosè reperitur: Quare Ægrum nostrum cum sanitate in gratiam rediturum, si nempe legitima diæta observetur & convenientia in usum vocentut remedia speramus.

Explicatâ nunc *Theoriâ*, bono cum Deo nos nunc ad PRAXIN conferimus. Cum verò persuasum habeam, atque ex superioribus satis superq; constet, inordinatam victus rationem haud parvum pondus, atque momentum ad procreationem hujus affectus attulisse, de regimine victus in contrarium mutando prima omnium cura in mentem veniat, necesse est. Frustra enim medicamenta præscribuntur, (testante Galeno) si bona victus ratio negligatur. Nam quod pharmaciâ ædificatur, hoc malâ diætâ destruitur.

Victus verò *regimen*, seu DIÆTA, cùm in sex rerum nonnaturalium legitimo usu, & administratione consistat: Vitandæ primum erunt, quantum fieri potest, insigniores *aeris intemperies*, hyemali potissimum tempore, quô nebulæ, pluviæ, & nives sunt frequentes, boreales etiam quandoque urgent ventiqui frigidi & sicci multorum affectuum sunt genitores.

Deindè *cibus* est eligendus, qui sit boni succi, & facilioris digestionis: Quales sunt jusculà carnium gallinarum, panatellæ, pulticula, & cremor hordei: Carnes gallinarum, caponum, perdicum, pipionum, pullastorum, avium in sylvis, dumetis, saltibus, collibus, & montibus degentium, Agnorum item, & vervecum & boum juniorum: Huc pertinent etiam carnes lepusculorum, & capreolorum: Ova item tremula, & sorbilia: Ex piscibus trutta, thymalli, funduli, lucioli, salmerini, & salmones commendantur. Ea verò quantitate effumendi sunt cibi, quam ventriculus benè ferre, & concoquere potest: Prandium & cœna instituantur statis horis; Nullo præsente appetitu à cibo abstineatur, aut parum comedatur, Cibi duri, lenti, crassi, viscidi, concoctu difficiles, quales sunt; Carnes cervinæ, leporinæ, aprugnæ, vaccinæ, bovinæ, & vervecinæ veterariæ, fumo etiam induratæ, & salitæ: Lentes, fabæ, ipsa ova frixa sicca & dura: Viscera & extremitates animalium; Aves aquaticæ, ut anseres, & anates: Anguillæ, tincæ, cyprini annosi: Caseus antiquus putridus, & verminosus vitentur.

Potus sit cerevisia defæcata, mediocris, quæ alterari potest veronica, betonica, & foliis scolopendrii; Crassam verò recentem aut ex aquis impuris, & palustribus coctam & nondum defæcatam fugiat. Vinum si appetat Æger, etiam concedi potest, sed non crassum austerum, nec dulce, sed albū, tenue; nimis fortè dilui potest infuso ligni nephritici, & succo limonum, possunt etiam julapia eidem scopo inservientia concinnari.

Motus corporis sint mediocres

ante prandium, & cœnam, post pastum lento gradu Æger obambulet, ut cibi ingesti in ventriculo probè misceantur, & in fundum descendant.

Somnus duret horas 7. l. 8. à cœna non statim eatur cubitum : Vitetur etiam Somnus meridianus, nisi prægressa nocte parum fuerit dormitum, vel matutino tempore corpus defatigatum.

Alvus quotidie sit laxa, & aperta, talis verò si non extiterit, pilulis angelicis, prunis, passulis, pomis dulcibus coctis, lactuca elixa, aut spinachia, ovis item sorbilibus, & tremulis, cum butyro haustis provocetur.

Omnes denique vehementiores *animi motus*, quales sunt: Ira, Melancholia; adde lucubrationes, communes vitæ insidiatores, cane pejus & angue vitari debent.

Pharmaciam quod attinet, natura multitudine, & crebritate medicamentorum neutiquam oneretur, præstat in promtu habere pauca, & facilè parabilia.

Primum autem quod juxta *indicationes* suscipiendum, hoc est, ut crudidates è prima corporis regione sensim eliminentur. 2. Ut obstructiones venarum meseraicarum reserentur. 3. Ut diureticis non calidis, sed refrigerantibus, & temperatis reliquæ materiæ sabulosæ, vel calculosæ per meatus urinarios educantur. 4. Ut Dolor urgens anodynis sedetur. Ut totum corpus, præsertim verò renes alterentur, tabesque præcaveatur, stomacho non neglecto. 6. Ut ischiatici quoque affectus ratio habeatur.

Primam intentionem quod attinet, non unâ, sed repetitis vicibus corpus mitioribus medicaminibus veniet expurgandum; idque docente Galeno *lib de aëre, aquis & locis* vere & autumno, die ab æquinoctio, octavo vel decimo.

Medicamenta, quibus hoc in negotio utendum, erunt sequentia:

℞. *Mann, calabrin. select. tabulat.* ℥ij.
Crem. Tart. ℥ß.

Dissolvatur in brodio carnis, rad. petrosel. alterato: vel decoct. prunor. dulc. vel in Aq. alkekeng. & petroselin ℥iij. Colatura calidè ebibatur.

Vel si libuerit infusum, tunc tale proderit:

℞. *Fol. sen. or. s. st.* ℥vj.
passular. corinthiac. ℥ß.
Rad. liquirit. ℥j.
Specier. incisar. ℥ß.

Excipiantur sacculo ex syndone alba, & affundantur decoct. 1. prunor. dulc. adhuc calentis ℔. iß. stent in infusione per horas XXIV. postmodum de infuso hoc hauriantur singulis diebus, jejuno stomacho, ℥iiij. idque alternis diebus, duabus vel tribus vicibus.

Vel Decoctum hoc sumatur:

℞. *Fol. sen. or. s. st.* ℥. *ij.*
Rhabarb. el. ℥j.
Agaric. trochisc. ℥ß.
Cinam. ac. ℈j.

Infunde per noctem in aq. cichor. vel alkekeng. q. s. loco calido, mane ebulliant parum, in colat. ℥iij. dissolv. mann. calabrin. solut. ℥vj. colentur denuo, & addatur conf. alkerm. ℥j. M. F. potio.

Vel

Vel Syrupus propinetur, e. g.

℞. *Aq. acetoſell.* ʒß.
Diacyd. luc. Jalapp. ʒijß.
Julep. violat. ʒj.
Spir. Sulph. acid gt. ij.

M. S. Gelindes Purgier-Säfftlein.

Alter ſcopus eſt, obſtructiones reſerare. Ubi hoc in caſu & ſubjecto improbo & repudio uſum omnium *tincturarum, ſalium mineralium,* & *metallorum,* utpotè quæ plerumque corroſiva ſunt, nimiumque exſiccantia: Tali autem ſunt, *antimoniata, ſpir. nitri vitrioli, tinctura Mis;* improbo etiam *cremorem,* & *cryſtallos tartari,* cum nec hæc medicamenta omni exuta ſint corroſivitate. Horum verò loco propino ſimpliciſſimum decoctum aperiens cum pulvere ſequenti, ſingulis diebus, horis matutinis, ſtatim poſt purgationem, per octiduum calidè ſumendum.

Pro *decocto,* quod indigitavi. ℞. *Rad. cichor. alb. exſiccat. & inciſ.* ʒiiij. Coq. in *brod. carn. vitulin. gallor.* aut *bubul.* ℔iiij. *h. e. menſ. j.* ad *conſ.* ʒtiæ *partis, Colaturamq; expreſſam ſervabis pro uſu.*

Pulveris verò deſcriptio hæc eſt, quæ ſequitur.

℞ *Scob. ebor.* ʒiij.
Ocul. ℈. præparat.
Sal. matr. perlar. ʒß.
M. F. pul. ad ſcatulam.

Doſis ʒß. ſumend. in primo cochleari *brodii,* de quo ℔ß. *pulveri* huic ſingulis vicibns ſuperbibenda.

Quod ubi per octiduum fuerit continuatũ, una ex ſupradictis potionibus purgantibus erit repetenda, ita enim omnes oppilationes venarum meſeraicarum aperientur, materiaque vel calore, vel ſiccitate lapideſcens per urinam educetur.

His poſitis, pro tertio ſcopo aſſequendo reliquas materiei peccantis per *diuretica temperatiora* educere oportebit, qualis eſt *emulſio ſeminum refrigerantium majorum.*

℞. *Decoct. Hord. limpidiſſ.* ℔iß.
Aq. fragor. S. V. ℔ß.
roſar. fragrantiſſ. ʒvj.
Nucl. pinear. rec. ʒiß.
Sem. melon. exc. ʒß.
violar. ʒij.
F. l. a. Emulſio edulcoretur
Rotul. perlat. ʒj.
M. S. auf 4. mal.

Ejusmodi Emulſio etiam tempore paroxyſmi, ubi plerumque urget ſitis, & φλόγωσις, erit exhibenda; Item ſuccus portulacæ inſpiſſatus ad ʒß. in forma pilulari, aut alia exhibitus plurimi æſtimatur, ſecretique loco habent à *Cratone* trium Imperatorum Medico felicisſimo. Nonnullis, experientia teſte, *pulvis liquiritiæ* eadem doſi in aqua veronicæ vel brodio carnis per effatu dignum temporis ſpacium jejuno ſtomacho exhibitus (utpote admodum temperatus) inſigniter commendatur.

Ad leniendos dolores tempore paroxyſmi, parari poteſt *balneum ex rapis in aqua decoctis;* vocari illud ſolet, ein Lenden-Baad.

Antequam verò balneo ſeſe committat Æger, corpus ſequendi enemate eſt eluendum:

℞. *De-*

℞. *Decoct. veronic.* v. *sero lact. fact.* ℥x.
El. lenitiv. Florenzol. ℥j.
Ol. scorpion.
lilior. alb. ana ℥vj.
Vitell. ov. nr. i.
Croc. orient. ℥ß.
M. S. Enema.

Et de Aqua sequenti cochlearia 6. vel 8. assumenda:

℞. *Aq. linar.*
alkekeng.
petrosel.
hed. arbor. ana ℥ij.
nephrit. ℥ß.
Syr. de alth. Fern. ℥j. *M. D.*

Emulsio quoq; superius descripta hic quoq; locum habet; item Ol. amygd. dulc. rec. express. ab ℥iß. ad ℥ij. cum brodio carnis calide exhibitum. Item syrup. de alth. Fern: per se, locô aq. veronic.

In balneo perseverandum, quamdiu vires permittent; Ab egressu verò ex eodem, ubi aliquamdiu sese in lecto collegerit Æger, illinatur lumborum regio calidè linimento sequenti.

℞. *Ungt. nephritic.* ℥i.
anodyn. ℥ß.
Ol. scorpion. ℥iß.
chamom.
lumbricor. terr. ana q. s.
M. F. linimentum.
vel Unguento, quod
℞. *Ungt. nephritic.* ℥i.
de alth.
ping. cunicul. ana. ℥ß.
Ol. Scorpion. ℥iß.
Sue. portulac.
parietar. ana ℥vj.
Cerat. santalin. ℥i.
Sal. nitr. ℥ij.
ol. nymph. q. s.

Coq. ad succ. consumtionem, add. terebinth. Venetæ parum, vitel. ovor. nr. j. M. F. unguentum, quo renes calide inungendi.

Cataplasma verò sequens multis aliis, teste *Cratone*, præferendum.

℞. Cancror. nro. XII. aut q. v. coq. in s. q. lact. & contundantur. Succus postea exprimatur & cum panis albi mediocris magnitudinis micis, vitellisque ovor. nr. ij butyrique recentis & ol. violar. q. s. excipiatur, addito pauco croco M. & calide in lineo duplicato renibus applicetur, reiteretur que sæpius.

Sequitur nunc *intentio ista*, ubi ea remedia, quæ totius, præsertim verò hepatis, & renum intemperiem calidam & siccam corrigunt, febremque præcavent, erunt proponenda. Inter ea verò primum locum obtinet *serum lactis caprilli* cum semine coriandri præparato, aut anisi coct. optime depuratum, & per chartam bibulam colatum per 15. dies mense Majo prædictis & universalibus præmissis bibendum hoc modo: Ut singulis matutinis horis à ℔j. incipiendo ad ℔ij calide hauriatur, corpusque ad seri usque excretionem obambulando exerceatur. Alvum hocce serum laxat: Urinam ciet, obstructiones reserando totum corpus refrigerat instar Acidularum, quas in hoc subjecto, ob spiritus, quos obtinent corrosivos, & exsiccantes, ventriculi imbecillitatem corporisque maciem, tanquam suspectas,

ctas, exulare jubeo. Ulterius præcavet maciem lac asininum; cum hoc solum inter lactis genera calculosis carens censeatur particulis ab Archigene, omnibusque Medicis quippè quod tenuissimæ substantiæ sit, & multum seri detergentis habeat, recens multum, & adhuc calidè assumptum per 3. aut 4. septimanas, prout naturæ contulerit.

Assumitur ad ℔ij. usque cum momento sacchari rosati, vel illius, quod aromatariis der Stert-Zucker appellatur, idque horis matutinis cum moderato deambulationis exercitio. Quod ipsum lac hoc modo sumtum corpus reficere, probumque sanguinem generare creditur. Huc etiam facere videtur electuarium sequens.

℞. *Sulph. citr. condit.* ℥ß.
Diarib. ℥vj.
Rad. cichor. condit.
Conserv. rosar.
violar.
flor. borag.
bugloss.
Cortic. citr. condit. ana ʒß.
Conf. alkermes C. ʒij.
Syrup. granator. q. s. ad Electuarii mollis consistentiam.
M. D. ad fictile.

S. Einer Castanien groß zu nehmen.

Cum externa quoq; hic non sint negligenda, in usum quoque trahendum censeo balneum ex lacte; vel hujus loco, si nempe tales sumptus ferre noluerit Æger, balneum aquæ dulcis, cui aliquot mensuræ lactis sint admixtæ. Corrigunt enim ejusmodi balnea calidam, & siccam corporis intemperiem, pariter ac â macie, & calculo præservant.

Unde clarum est, quàm foret pernicioſum, thermas ferventiores adire: cum earum usus toti naturæ, affectui, & symptomatibus ob summam calefaciendi & exsiccandi vim sit contrarius.

Hæc dum aguntur, *stomacho* quoq; consulendum est, seduloque danda opera, ut illius frigida intemperies vel corrigatur, vel ad minimum contra frequentem refrigerantium, & humectantium usum, quantum fieri potest, protegatur, id quod sequens Conditum, si quod aliud, mirificè præstabit.

℞. *Conf. rosar. rubr.*
Rad. acor. condit.
Gelatin. cydonior. ana ʒi.
Rad. bugloss. condit. ʒß.
ZZ. in chim. condit. ʒiii.
Cortic. citr. condit.
aurantior. condit. ana ʒij.
pulv. grossiuscul. cinam.
calam. arom.
Macis ana ʒiß.

F. c. syrup. de corticibus citri q. s. Conditum molle ad fictile. Dosis quantum cultri cuspis largior bis capere poterit.

Externè eminet Unguentum sequens:

℞. *Ungt. stomachal. Craton.* ℥ß.
Ol. stomachal. ejusdem ʒij.
nuciſt. expreſſ. ʒi.
stillatit. absint. menth.
mastich. ana ʒß.
Zedoar. ʒi.
M. F. unguentum.

Tandem Ischiaticus ille non negligendus esse videtur dolor. Quoniam verò ab eadem, quâ nephriticus, causâ dependet, eadem quoque universalia hic locum habebunt, quæ hic repetere tædiosum foret. Ad *Topica* itaque statim accedo, duo saltem ex eisdem, utpote omnium probatissima, ut credo, proponens. Primum est decantatum illud *emplastrum Norimbergense* alutæ inductum, & tamdiu supra locum affectum relictum, usque dum dolor omnis evanuerit. Alterum est cataplasma sequens calidè inter linteamina duplicata imponendum:

℞. *Rad. alth.* ℔ß.
lilior. alb. ℥iij.

Coq. in aq. malv. q. s. in pultem redactis, adde

Farin. hord. ℥ij.
Vitell. ovor. nro. v.
θ. nitr. præparat. ℥ij.
Croc. or. ℥j.
Ol. chamom.
Axung. cicon. q. s.
M. F. Cataplasma.

Fons Dieteticus & *Chirurgicus* passim occurrunt apud practicos.

CASUS XVI.

De
MALO HYPOCHONDRIACO.

TEmperamenti Cholerici Juvenis annorum XXI. dolores circa orificium ventriculi non adeò graves, per intervalla sentiebat: neglectis autem consiliis ac medicamentis inordinataq; victus ratione adhibita, tandem ita malum proserpere ac incrementa sumere passus est, ut ad extrema ferè deductus fuerit. Antea enim uti leves, ita jam insignes circa præcordia dolores, totum pectus tensione gravissimâ ad dorsum usq; penetrantes, quotidiè & maximè assumto cibo, non per horam 1. sed per 3. aut 4. durantes persentiscebat, ita ut ferè exanimatus aliquando præ dolore jaceret. Caput doloribus non minus punctoriis divexabatur gravissimis: Appetitus prostratus, nausea & frequens sputatio atque evomitio materiæ pituitosæ valdè eum molestabant: Symptomatibus aliquo modo remittentibus, totius corporis lassitudo aderat. Tristitia præterea, metus, atque falsa imaginatio eum miserè excruciabant. Ideò consilium atque auxilium exposcens, ad medicinam, tanquam anchoram sacram confugit æger.

RESO-

RESOLUTIO.

Quæstio jam inter artı Medicæ addictos, satis ardua agitabatur de MORBI ESSENTIA, PARTEQVE imprimis AFFECTA & causis.

Multi hujus erant sententiæ, ac si ab humore melancholico ortum traherent hæc mala.

Alii accusabant hepar nimis calidum, quod sanguini effervescentiam conciliare, à quo, ut & à vicina bile nocivos fumos elevari, atq; ad varias partes transmitti asserebant.

Plurimi totam culpam in lienem conferebant, & hunc sexcentarum ærumnarũ authorem esse statuebant.

Quibusdam Mesenterium variis humorum generibus refertum malè audiebat, scaturiginem & fontem omnium morborum & nutriculam medicorum illud pronunciantes.

Nonnulli ventriculum imbecillitate sua sive nativa sive ascititia malè coquentem, maximè innoxa esse sibi firmiter persuadebant.

Habitui ac dispositioni naturali ac vitio hæreditario, non parum adscribendum esse quædam pars judicabat.

Alii Cavitatem inter ventriculum & septum transversum, quam Hollerius foveam stomachi nominat, inculpabant.

Omnes tamen in eo conveniebant & unanimiter conspirabant, propter varia symptomata esse melancholiam hypochondriacam, à Medicinæ Proceribus ita denominatam.

De parte affecta atque *causis*, ut ex prædictis satis luculenter elucescit, dissentiunt autores, ita si unquam, certè hic cum veritate dicendum sit, quot capita, tot sensus, ac ad eas bono consilio extricandas (uti Lindeni? loqui amat) Parlamenti ceu Concilii Principum ac Procuratorum populi Medici convocatione opus sit.

Unde inter tot dissentientium authorum opiniones *quid statuendum*, arduum revera est & difficile. De Clarissimis enim atq; Experimentissimorum virorum in medium allatis opinionibus judicium ferre, illasque vel approbare, vel rejicere mei nec hic est instituti, nec mearum virium, aliis, quibus magis exquisitum est judiciũ, ea relinquens; hoc saltem ad meam explicandam mentem addo, facili negotio dirimi posse controversiam, si inter causam generalem & specialem: ac inter proximam & remotam constituatur discrimen: Et ita ii, qui affirmant lienem, hepar & mesenterium maxima ex parte laborare cum illis, qui alias partes laborare adstruuut, non adeò distare, cùm utrique habeant, quod rationi & experientiæ consentaneum videtur.

Qui in hypochondriis partes, quales sunt hepar & lien, ut & vasa harum partium, nec non præterea ventriculum & mesenterium pro SUBIECTO colluviei Hypochond. agnoscunt, non reprehendo. Ventriculum tamen debilem relaxatum & malè coquentem præcipuè peccare, maliq; CAUSAM PROXIMAM constituere existimo: A ventriculo enim vomi-

tiones, nauſea, flatus & murmura ortum petunt & ita verè læſum ventriculum oſtendunt. Ad ſtabilendam meam ſententiam Dioclem audiamus; Sic autem ille referente Galeno l. 3. de loc. aff. c. 7. *Oritur*, inquit, *alius à ventriculo morbus, qui ab aliis melancholicus, ab aliis flatuoſus nominatur, quem ſumpto cibo, maximè coctu difficili, ſputum multum comitatur, item ructus acidiſſimi, flatus, æſtus in hypochondriis fluctuatio, non illicò, ſed cùm retinuerint: interdum quoq; ventriculi vehementes dolores, qui nonnullis addorſum uſq; procedunt; Concoctis indè cibis quieſcunt, mox aliis cibis ingeſtis eadem revertuntur accidentia; quæ interdum à cœna moleſtant atq; evomunt crudos cibos & phlegmata ſubamara, calida & acida, adeò ut dentes nonnunquã torpedine afficiantur;* Hactenus ille.

Temperamenta autem *cholerica*, ex quorum numero ægrotus noſter, habitus quoq; corporis tenuior, furori hujus mali magis ſubjiciuntur, quia à coloris augmento diſſipantur magis ſpiritus & fibræ laxiores & magis flaccidæ redduntur; adeò, ut aſſumpti cibi in ventriculo ritè conſtringi, & diſſoluti, feliciter expelli nequeant; ſed in acidam, viſcoſam & acerbam degenerent materiam. Hanc ipſam, calor viſcerum, hepatis ſcil. ac lienis, magis, quàm par erat, exagitans, in flatus abundè reſolvit, hinc malo huic obnoxii inveniuntur Cholerici, utpote qui viſceribus calidioribus gaudent: Viri etiam & ætas media ob calorem abundantiorem hoc magis infeſtantur malo, quàm fœminæ, & in prima ætate conſtituti. Hinc quoq; fit, ut habitus etiam corporis extenuetur ſemper, neque pingueſcant, qui malo laborant hypochondriaco.

Causæ remotiores ſunt, quæcunque fibras ventriculi flaccidas & debiles reddere ſolent: eæq; ab erroribus in diæta petuntur maximè, cibi flatulenti ventriculi tunicas ultra naturalem extenſionem diſtendentes, ut ſe rurſus debito modo contrahere nequeant.

Naturalis etiam fibrarum laxitas & debilitas jure hæreditario à parentibus in liberos translata, & quam maximè quoque vita ſedentaria ad hunc affectum generandum & acceleranda aptiſſima eſt.

Plura adhuc recenſenda eſſent, ſed promiſſæ brevitatis memores hîc ſiſtimus gradum, atq; ad curam nos accingimus: Si quis autem eſt affectus, qui & Medico & ægro negotium faceſſit, eſt certè hic præſens, ut jure opprobrium & crucem Medicorum quis eum appellare poſſet: Tentanda tamen res nobis erit, dextram ſalutiferam ægro porrigentes, & quibus remediis in genere iisq; lectoribus curatio aggredienda ſit, breviſſimis indicantes: Præſtat enim, ut in eo magis laboremus, ut fideliter curemus, quàm ut ſubtiliter diſſeramus.

Quia autem, ut in omnibus corporis affectibus nunquam in remediis naturalibus ſubſiſtendum, ſed ſemper Summi JEHOVÆ auxilium implorandum; ita & imprimis etiam hoc in affectu id obſervandum & ſummè neceſſarium eſt. Potentiam enim affectu Protheo mutabilioris non neſcimus, nec hoc, quanta quanta etiã ſcientia ſit noſtra

noſtra atq; ars, divinæ ſubjacere Majeſtati, absque cujus benignate, ne in minimis quidem agere nos poſſe, ignoramus; Etenim

Ni DEUS adſuerit viresq́; infuderit herbis,
Quid rogo, dictamnus? quid Panacæa juvant?

Sed ad CURATIONEM ipſam, in qua eò reſpiciendum, ut primæ viæ evacuentur, humores peccantes, præmiſſis præmittendis exterminentur, Viſcera imprimis ventriculus roborentur, atq; urgentiora ſymptomata corrigantur, non neglectis viribus, quarum conſervationi opera detur: Materiam ſuggerunt uſitati illi fontes

Chirurgicus, *Pharmaceuticus*, *Diæteticus*.

Ex *Chirurgico fonte* niſi plethora adſit, aut nimius calor urgeat, venæſectio locum vix habebit: Conveniens autem erit cucurbitularum uſus, nec non hæmorrhoidum fluxus, ſi is, vel ſponte fiat vel arte, in aſſueto concitetur ille: Ita nec fonticuli nec frictionum uſus foret fruſtraneus.

Pharmaceuticus evacuantia primo loco offert, eaque per alvum, leniora, ut ſunt, ex ſimplic. fol. ſenn Epithym. Polypod. Rhabarb. Ex compoſitis ſyrup. roſ. violar. ſolutiv. ſumariæ compoſ. de pom. de Epithym. Pilulæ de Ammoniac. antitartareæ, de aloe roſat. Extract. Panchym. & id genus plura, imprimis autem extractum pilul. de ammoniac. utpote in quo nonnulli omnem ſanitatis ſpem ponunt.

Pertinent huc & vomitoria initio adhibenda, modò ventriculus non ſit juſto debilior, & æger huic evacuationi aſſuetus; Ex quorum numero ſunt aq. bened. Ruland. Sal vitrioli Electuar. Diaſar. Fernelii &c.

Nec negligenda Diuretica, qualia ſunt ex Tartaro parata medicamenta imprimis tinctura Tartari, utpote quo unico remedio, præmiſſis tamen lenioribus hoc malum ſæpius funditus curaſſe gloriatur Boſſertus.

Habent quoque locum ſuum Diaphoretica, Antimon. nimirum diaphor. ſimpl. & martiatum.

Evacuantibus præmittenda, aut cum iis jungenda ſunt aperientia, quorũ leges paſſim occurrit. Primum tamen locum ſibi venditant Tartarea & Martialia medicamenta.

Confortandis viſceribus ventriculo præprimis congruunt præ aliis omnia amara quæ huic amica habentur; Tonum enim ejusdem vel conſervant vel reſtituunt ſale, quo plurimo abundant, putredini reſiſtunt, acidos p.n. in ventriculo humoris figunt, limoſos & viſcoſos viſcerum & Meſenterii vaſa obſtruentis humores abſtergunt, & qui relaxabant fibros ſuccos abſumunt. Quo nomine quam maximè celebrantur Abſynthii, Centaurii min. Juniper. ſalia.

Quæ cordi nec non cerebro confortando conveniunt, paſſim illa apud Practicos occurrunt, quorſum benevolum Lectorem, brevitatis causâ, remittimus.

Symptomata ventriculum infeſtantia mitigantur præter modò dicta confortantia, etiam pulveribus pe-

pticis moderatè calidis, inter quos hic præ aliis excellit.

℞. *Conf. sem. anis. fœnic. ana* ʒij.
Cort. citr. condit. ʒj.
Margar.
Corall. rub. præp. ana ʒß.
Cinamom. acerrimi. ℈ij.
Sacch. rosat. tabul. ʒiiij.
M. F. l a. Pulvis.

sumatur parvi cochlear. mensura à quovis pastu.

Extra confortabitur idem oleo stomach Craton. Nucistæ, nardino, de absynth. Item Emplastr. de Ladan, Tacamahac. Sacculo parato ex Absynth. Meliss. Menth. Caryophill. mac. bacc. Juniper. flor. rosar. &c.

Oppressiones pectoris, communissimum hypochondriacorum malum, cùm à vaporibus vel flatibus crassis, diaphragma ejusque membranam impetentibus oriatur, corrigantur carminativis. Hinc injiciatur clyster ex flatus discutientibus: applicentur sacculi ex flor. chamomill. Melilot. sambuc. summitat. anethi & aliis; aut etiam sacculus ex avena in sartagine frixa, quàm calidissimè. Si non cedat, sitque dolor ingens, suadent nonnulli cochleare vini sublimati; aut Essent. anis. aut aqu. cinamom. cum jusculo sat calente, aut exhibendum Theriacæ aut Mithridatii momentû.

Plerisq; si non omnibus scopis satis faciunt acidulæ, nec non aquæ thermales: In harum tamen usu majore opus est circumspectione.

Diæteticus tandem *fons*, victus rationem observandam monstrat, quæ adeò necessaria est, ut (teste Galeno) frustra iis præscribantur remedia, qui rectam victus rationem servare norunt. Est diæta revera ille Philosophorum lapis, omnibus recommendanda, nulli metuenda sexui, quovis tempore tractanda, & cunctis morbis sine ullo subsequuturi mali metu congrua, cùm illorum non paucos ipsa sola curet. test. Galen. Quo sequentibus etiam Schola Salernitana respicit versiculis:

Esuriant, sitiant, qui Rheumata curant,
Abstine & efficies quod Medicina nequit.

Quin & sine clavo & remis navigat, qui nulla victus ratione observatâ Medicinam facere conatur.

Triplex autem à modernis statuitur *diæta*. Naturalis, Vitalis & Animalis.

Naturalis diæta, ea, quæ assumuntur, temperat. In assumendis ergò cibis & quantitas & qualitas accuratè observetur.

Quoad quantitatem illud Hippocratis monitum, quod in 6. Epid. com. 4. text. 22. habet Galen. studium nimirum sanitatis esse, non satiari cibis, & quod habet Avicenn. 3. Min. doctr. 2. c 7. cum reliquiis famis surgendum esse à mensa, & hic locum habet.

Quoad Qualitatem, cibus omni acrimonia, sallsedine atq; nimia aciditate careat, concoctionis non sit difficilis, non vaporosus, nec flatulentus, aut excrementitio scatens succo.

Potus sit quantitate moderatus, ad frigiditatem aliquantulum inclinet, sit defecatus, veronica, absynthio, scolopen-

lopendrio, agrimonia, aliisve aperientibus medicamentis alteratus.

Vitalis aërem purum & serenum præcipit.

Animi Pathemata, ut iram, tristitiam, timorem, metum cane pejus & angue fugere jubet, ne spiritus perturbentur; potius ita dirigantur, quo vigori eorundem addant incrementum, quapropter tranquillitati animi studeat atque lætitiam sectetur.

Animalis somni rationem habet & vigiliarum, motûs & quietis, excretorum & retentorum.

Somno æger non indulgeat nimio, neque nimiis vigiliis, neque etiam statim post adsumtum cibum, ante duas tresve horas cubitum eat.

In exercitiis corporis pariter modus servetur.

Alvus quotidiè muneri respondeat, si verò aliquando contingat, ut solitæ evacuationes atque excrementa justo detineantur diutius, medicamentis levioribus natura ad expulsionem erit proritanda.

Uno verbo omnia quantum possibile, temperentur, deturque opera, ut nullus committatur excessus.

CASUS XVII.

De SCORBUTO.

ADolescens 19. annorum, Patre hypochondriaco natus, pallidus, libris diu & noctu incumbens, pravo interim victu utens, de obtuso sinistri hypochondrii dolore queritur, succedente totius gravitate & lassitudine quasi spontaneâ; abhinc in Odontalgiam & Cephalæam sæpiùs recurrentem incidit, color ad fuscum vergit. Dentes non multò post vacillare, & gingivæ levi attritu sanguinem fundere. De cæteris benè. Consultus barbitonsor. Raphano tusticano in aquâ macerato os jubet elui, factum. Dentium dolor & hæmorrhagia ad tempus cessat, remanentibus imò increscentibus aliis. At dolor de novo dentes, & putredo gingivas corripit, ventris post pastum inflatio, ructus inanes, ptyalismus continuò, sinistri hypochondrii, lumborum etiam & crurum, isque sub noctem potissimùm ingravescens dolor, anxietas & palpitatio cordis per vices molesta, maculæ plumbeæ in humeris, pectore, brachiis & pedibus sæpiùs visæ, pulsus parvus, debilis, inæqualis, urina varia sæpiùs tamen rubra, cum arenulis rubris matulæ adhærentibus, respiratio difficilis, compressio pectoris, tussis cum rejectione viscidæ & subnigricantis materiæ. Consulitur non infimæ notæ medicus. Huic asthma. Varia præscripta expectorantia. Omnia, præsertim de quarto in quartum, pejo-

pejora, appetitus proſtratus, atrophia totius, Lypothymiâ frequens, deſperatio tota.

Quæritur jam, QUIS MORBUS? Quod SUBJECTUM? Quæ CAUSÆ? Quæ SIGNA? Quæ DIFFERENTIA? Quæ CURATIONIS SPES? Quæ CURANDI METHODUS?

RESOLUTIO.

MORBUS. Hic eſt *Scorbutus*. Cùm verò nominis disquiſitio juxta Platonem ſit ἀρχὴ παιδεύσεως principium doctrinæ ipſius examinationem ante, quam ad alia, bono cum Deo præmittere, neceſſitas ſimul ac utilitas poſtulare videtur. Scorbuti itaq; nomen derivatur vel à belgico Schorbuych, id eſt, ventris lancinatio, ſive ventris tormina: Ea ſiquidem in hoc morbo valdè ſunt frequentia, ſæpè etiam tanta, ut nonnunquam peritonæum hisce fuerit diſruptum. vel à Danorum Scorbeck quod oris depravationem indicat. Quæque derivatio utpote à parte ut plurimum ni dicam ſemper, affectâ, deſumpta priore mihi videtur convenientior: Variè prætereà à variis audit. Gingipedium à quibusdam dicitur, eò quod gingivæ pariter ac pedes in hoc morbo afficiantur; dicitur etiã ſtomacace, ſcelotyrbe, oſcedo, volvulus ſanguineus, lcterꝰ niger &c. An verò hæc nomina noſtro ſcorbuto ex toto conveniant, Autores certant & adhuc ſub judice lis eſt. Hinc miſſis hiſce.

Rem ipſam videamus, quæ omnium optimè definitione explicatur: omnis enim, quæ à ratione ſuſcipitur de aliquâ re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, ut ſciatur quid ſit, de quo diſputetur, *l. 1. offic.* Talem autè jam pono. Scorbutꝰ eſt affectus præter naturã ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurũ debilitate, maculis, gingivarum ſanguinolentiâ dentium vacillatione, & aliis, de quibus infra ſymptomatibus affligens.

Generis loco morbum pono, eſt n. diſpoſitio corporis præter naturã, ob quam variæ ejus actiones læduntur. Cùm verò triplex morbi genꝰ occurrat, prout enim vel ſimiariũ vel organicarum partium conſtitutio læditur, vel deniq; his comunis unio ſolvitur, prius videndum, ad quodnam genus πάθημα hoc miſerandum ſpectet. At quia ad morbos organicos neq; in conformatione ratione quantitatis in numero & magnitudine, qualitatis in figura &c. neq; in compoſitione ratione ſitus & connexionis, neq; ad morbos ſolutæ unitatis commodè referri poteſt, tertium ſolummodò morborũ genus relinquitur, quod ſimilarium partium intemperiei debetur, ubi quidem non tam in qualitatibus manifeſtis, puta in caliditate, frigiditate, humiditate, ſiccitate, quàm potiùs occultis radicem mali latitare, adeoq; morbis occultarum qualitatum hunc affectum annumerandum cenſeo.

Dato genere tranſeo ad differentiam ſpecificam, per quam hic morbus ab aliis affectibus diſtinguitur. Delinea-

lineatur autem hæc in reliquis verbis, ubi talis indigitatur morbus, qui ab humore melancholico peculiari modo corrupto ortus, cum crurum debilitate, maculis, gingivarum sanguinolentiâ, dentium vacillatione &c. affligit. De quibus pro virium modulo fusiùs agemus in sequentibus.

SUBJECTUM. De hoc ut breviter, distinctè tamen agamus, distinguimus inter Subjectum Primarium & Secundarium. Primariũ lienem, Secundarium verò totum corpus statuimus.

Humorem melancholicum in liene potissimùm, dum ob crassitiem diutiùs ibi subsistit, propriam & huic morbo peculiarem corruptionis formam subire credo: qui postmodum diffusus naturalem viscerum aliorum temperiem corrumpit, donec tandem in contagii communionem conspirent, & ad receptam semel infectionis labem alimenta superingesta commutent & depravent similem corruptionis formam iis imprimendo, sed ad Causas.

CAUSA. His præmissis, transimus ad causas: Harum autem alia est immediata & proxima, alia mediata & remota.

Immediatam & proximam causam definitio nostra tradidit, nempe humorem, non quidem quemcunq; melancholicum, sed peculiari insuper modo corruptum.

Hinc multi splenis obstructionibus & humoribus melancholicis laborant, scorbuto tamen non afficiuntur, & in iis regionibus, quibus humoris atri ex aëris fervore collectio familiaris, ignotus est. Peculiarem hanc corruptionem insuper probat singularis curandi ratio, quâ non peccantibus hisce humoribus & malo indè resultanti medicamenta à manifestis aut primis qualitatibus saltem agentia, sed talia præprimis, quæ peculiari & à prioribus diverso operandi modo omne curationis punctum absolvunt, adhibentur. Symptomata si penitiùs inspiciantur, τὸ θεῖον *Hippocrati* dictum haud obscurè arguunt.

CAUSÆ MEDIATÆ NATURALES sunt Temperamentum melancholicum quod præ cœteris ad hoc malum proclive: DISPOSITIO Hæreditaria hinc nonnulli ab ortu ob parentum semen vitiosum, & sanguinem cacochymũ hunc malum contrahunt, quam etiam ob causam multi in ipso adhuc utero moriuntur. SEXUS Muliebris propter otium, malaciam, ingluviem, cruditatum matrem, huic morbo præ viris abstinentiæ & labori deditis est obnoxius. ÆTAS. Quæ omnis indifferẽter hoc malo affligitur.

ANNI TEMPUS. Quodlibet hujus morbi est ferax, vere tamen & autumno ob commotionem eo tempore fieri solitam ægrotos vel maximè infestat. REGIO. Scorbutus antehac notus solummodò fuit maris Balthici, Bothnici, Finniciq; Sinus ut & totius Scandinaviæ Incolis. Postmodum verò eundo quasi crescens in alia & hæcce loca septentrionalia longè latèque venenum suum disperfit. Regiones interim & loca palustria, uliginosa, ad aquas stagnantes sita, & ventis solique non satis exposita præ cœteris huic morbo sunt subjecta. Ex non naturalium

rerum medicis dictarum censu rationem induere possunt omnia illa, quæ infra dicemus fugienda esse, ubi de diætâ acturi.

PRÆTERNATURALES sunt lienis, non exclusis aliis visceribus, maximè hepate, discrasia, obstructio, nativa vel adventitia debilitas &c. Obstructio alvi, mensium, hæmorrhoidũ non rarò hujus mali existunt causæ.

Huc halitus scorbuticorum ab osculo, poculo, alioq; modo recepti contagii in morem inficientes referri possunt. Unde totas familias non tam ob communem victum, quam communicatum hocce contagium scorbuto videmus corripi.

DIFFERENTIA. *Wierus*, qui omnium optimè de scorbuto scripsisse creditur, tres illius commemorat differentias, quæ scilicet magis & minus se habent. At verò quia cum differentiâ & divisione signorum infra positorum coincidunt, hic eas describere supervacaneum putamus. Pergimus itaq; ad

SIGNA. Hæc sunt vel diagnostica vel prognostica, & diagnostic orum alia incipientem, alia auctum, alia confirmatum scorbutum produnt. Incipientis signa ex casu nostro desumpta sunt sequentia: *Sini stri hypochondrii gravativus dolor*, ab exuberantiâ sanguinis melancholici lienem obstruentis, ejusq; tumorem & continui solutionem inferentis exortus. *Totius gravitas* humoris vires animales prementis index. *Lassitudo quasi spontanea* Sanguinis crudi non tam invasis, quam in ipso habitu musculoso abundantis nota. *Cephalæa per vices apprehendens*. Quam vapores ad caput delati, & vi membranarum cerebri coagulati inferunt, usque dum vi caloris nativi dissoluti ad subjectas partes, sæpiùs dentes, descendant. Unde *Odontalgia*. *Vacillatio dentium* resolutis quasi vi tartarei sanguinis eorum sedibus. *Pruritus facilisq. hæmorrhagia gingivarum*, itidemq; à ♀reo sanguine eas afficiente atq; erodente exorta. *Facies ex pallore ad fuscedinem vergens*, totius massæ sanguineæ corruptæ, & scorbuticâ qualitate imbutæ signum.

AUCTI Signa casus noster hæc nobis suppeditat. *FOETOR & putredo gingivarum*, quarum caro quandoque ad dentium radices consumitur, adeò ut dentes utrobiq; vacillent, & excidant. *Ventris post pastum inflatio*. Eousq; scilicet labefactatis concoctionis organis, ut imbecillitate caloris nativi copia flatuum mox etiam in primâ concoctione oboriatur. Unde *ructus inanes* & *Ptialismus continuus*, à vaporibus humoribusque corruptis ex ventriculo, locisq; vicinis ad os elevatis exortus. *Lumborum & crurum*, isq; sub noctem potissimùm ingravescens, *dolor*, ob humoris melancholici circa id tempus motum. *Anxietas*. Hanc flatus hypochondria distendendo, pectusq; comprimendo inferunt. *Cordis palpitatio* per vices molesta à vaporibus malignis, maximè tempore ebullitionis, cor infestantibus enata. *Compressio pectoris*. Hanc cruditates unà cum flatibus diaphragma comprimentes, tum evaporationes in capite resolutæ & in pectus destillantes causantur.

Unde

Unde *respiratio difficilis* & *Tussis* cum rejectione viscidæ & subnigricantis materiæ, melancholicæ colorē referentis: nil verò variis præscriptis pectoralibus hactenus obtineri potuit, eò quod hic non tam in pectore, quam sub eodem in infimo ventre radix morbosa sit inquirenda. *Maculæ* pro ratione humoris peccaotis variæ, in humeris, pectore, brachiis & pedibus sæpiùs conspicuæ. *Pulsus parvus, debilis, inæqualis* cum aliis signis pro infallibili hujus morbi habetur signo *urina varia* hujus morbi infallibilis censetur nota. Sæpiùs tamen rubra cum arenulis rubris matulæ circumcirca adhærentibus scilicet ebulliente ♀ro scorbutico respectu massæ sanguineæ, quâ de causâ febrilis quasi videtur.

CONFIRMATUM produnt Signatum jam allata, & indies ingravescentia, tum maximè sequentia ex casu nostro desumpta. *Exacerbatio* veluti per circuitus & periodos, ut in subjecto nostro de quarto in quartum, id quod à puro melancholico humore fieri consuevit: quemadmodum pituita admista singulis diebus, bilis verò tertio quoq; die sine tamen manifestâ febre, in quam verò facilis persæpè fit mutatio. *Appetitus* ab humore vitioso, vaporibusq; corruptis fermentum ventriculi corrumpentibus prostratus. *Atrophia totius.* Quemadmodum omnis atrophia est æstuantis caloris cordi infixi, vel aliunde, ad cor accedentis soboles: Sic quoq; nostram hanc tabem à fumis, vaporibusq; scorbuticis oriri verisimile nobis videtur: Dum enim cordis calor iis adauctus præter naturæ modum accenditur, iisque beneficio arteriarum toti communicetur, quid mirum si nutritionis defectus in partibus subsequatur. Nota tamen, adeò lentum hunc & glischentem propter causam morbi frigidam esse calorem, ut vix, nisi longiore temporis morâ ab effectu possit percipi. *Lypothimia frequens* à venenatis hujus mali vaporibus cor vitalis facultatis fontem pro ratione motus infestantibus inducta. *Desperatio tota,* quæ ut ferè omnibus ab humore melancholico oriundis, sic quoq; præsenti affectui valdè est familiaris.

PROGNOSIS. Prognosin diagnosi subnectamus, ordo tractandi exigit; neque illa sanè omittenda, cum tanta hujus medicinæ partis sit necessitas, ut sine eâ temerè ad sanandum cura suscipiatur, id quod nos generalia nonnulla præmittendo, huicq; speciale & subjectum nostrum respiciens prognosticum subnectendo bono cum Deo præstabimus.

1. Recens faciliùs crescens difficiliùs, confirmatus difficilimè curatur.

2. Contagio receptus malignior, & ob id totas sæpè inficit familias.

3. Scorbuto sæpè superveniunt & complicātur febres, quartana & aliæ.

4. Multoties in cachexiam melancholicam, hydropem, dysenteriam, sæpissimè tamen in atrophiam & tabem desinit.

5. Ulcera sæpè partibus corruptis sensum abolent, & naturam mali mortui induunt.

6. Cum maculis lividis tutior, cum

croceis minùs, cum lividis minimè ſecurus.

7. Adultis & ſenibus, ut & quibuslibet in diætâ victus negligentioribus ſemper eſt gravior.

8. Hæreditarius difficilis eſt curatu.

9. Livor faucium in ſcorbuto ſignũ eſt lethale, caloris enim nativi extinctionem ſignificat.

10. In moribundis maculæ prius viſæ evaneſcunt; multis verò anteà deliteſcentes à morte erumpunt.

Quibus poſitis ſtatuimus in hoc noſtro ſubjecto, eò quod hæreditarius cum maculis lividis, confirmatus imò conſummatus cum omnium virium languore ſit morbus, reſtitutionem integram vix, aut ſaltem longiore tempore & maximâ cum difficultate exſpectandam. Nihilominus tamen ægrum benè ſperare & ſpirare jubemus, eò quòd huic morbo convenientia remedia nunquam ſint adhibita, adhæc patiens ſit juvenis, adeoque ſi non ex toto juvari, ſaltem ad longius tempus remediis & diætâ convenienti ſuſtentari poſſe putamus. Ne verò quartana, quæ eſt prætoribus huic morbo brevi jungatur, ad curam protinùs devolemus.

CURATIO. Curationis omne momentum in eo conſiſtit, ut 1. humor melancholicus circa lienem meſenterium &c. deliteſcens præparetur & evacuetur: 2. peculiaris, quæ huic morbo ſubeſt, corruptio per appropriata anti-ſcorbutica corrigatur. 3. Partes roborentur. 4. Symptomata mitigentur atq; auferantur.

Remedia iſtis indicationibus ſubordinata deſumuntur ex triplici fonte, diæretico, chirurgico, & pharmaceutico.

Ad *fontem diæreticum* pertinent 6. res non naturales medicis dictæ. aër, cibus & potus. Somnus & vigilia. Motus & quies. Excreta & retenta. Animi pathemata.

Aër cum homini magis, quàm cibus & potus ſit neceſſarius, ſiquidem absq; his aliquot dies ſuperſtes eſſe, at ſine iſto ne momentum quidem ſupervivere poteſt; cumque etiam dupliciter lædat, vel quatenus inſpiratione attrahitur, vel quatenus nos ambit, hinc qualis hic conveniat, ante omnia perpendendum. Sit a. ratione ſubſtantiæ purus, tenuis, nullis inquinamentis aut corporibus putridis infectus ratione qualitatum ſit temperatus, vel etiam ad caliditatem & ſiccitatem vergens, & ſi naturâ haberi non poteſt, arte procuretur.

Cibi & potus optima etiam habenda eſt ratio, medicus enim incaſſum ſanitatem reſtaurare conatur inægro, niſi & ipſe, docente Galeno, rectam velit & poſſit ſervare victus rationem.

Vitentur igitur crudi, craſſi, viſcidi, humorem melancholicum generantes, concoctu difficiles, multum ſaliti atq; aromatizati, ut & omnes ſale volatili deſtituti cibi. Contra autem victus ſit boni ſucci, concoctu facilis, moderatè calefaciens, incidens, attenuans, detergens, deobſtruens, ut ex volucrum genere gallinæ, capones juvenes, pulli columbini, gallinacei, perdices, pluresq; de montanis; rejectis paluſtribus: ubi nota, eſum columbarum Silveſtrium vel maximè hic laudari. Ex piſcium, ſi vehementer expetantur,

tantur, saxatiles, auratæ, lupi, fundu-
li &c. qui tamen nonnisi ritè præpa-
rati & pauci concedendi, sale verò
conditi aut fumo exsiccati in totũ ne-
gandi. Ex quadrupedum censu vituli
benè nutriti & ætatè habentis, juven-
corum, vervecum carnes recenter ma-
ctatæ, benè coctæ, cumq; raphano *ru-
sticano &c.* ritè præparatæ concedun-
tur, rejectis nimiùm salitis, fumove in-
duratis aut vetustate rancidis. Lac ca-
prinum, præsertim si herbis antiscor-
buticis alatur, aut si ipsi lacti becabun-
gam, nasturtium, cochleariam incoxe-
ris, vehementer laudatur. Cujus solius
longiore usu multos esse restitutos te-
statur *Heinric*ⁱ *Bruccæus* in Academiâ
Rostochiensi quondam Professor in
suis *de Scorbuto propositionibus.* Ex
ordine vegetabilium conveniunt na-
sturtium utrumque, acetos. borrag. bu-
glos. cichor. chelid. min. in ✠ tariis, ju-
sculis, conservis, placentis, aliisq; mo-
dis sumpta. Condimentorum loco sint
cappares, amygdalæ dulces, passulæ,
pistaceæ, acetum, sinapi, quod quia
acredine & subtilitate partium inci-
dendo prohibet, ne fiant & colligantur
obstructiones melancholicæ, à multis
multum laudatur. Nocent multa &
varia in unâ mensâ fercula, sit itaque
æger contentus aliquot ad morbum
facientibus, neq; plus assumat, quam
ventriculus benè pollit digerere. Po-
tus sit vinum Rhenanum, maturum, si
æger sit assuetus, aut cerevisia clara,
benè defæcata itidemque absynthio
condita. Exulent aquæ crudæ, sta-
gnantes, putridæ, quibus juscula para-
re, ne dicam sitim levare, netas.

Vigiliæ immodicæ ac intempesti-
væ corpore repleto nocent. Somnus
statim à pastu invitans, diurnus iti-
dem ac diuturnus, curisque implicitus
vel maximè fugiatur.

Otium ignavum calorem nativum
languidiorem reddit, unde concoctio-
nes & excrementorum secretiones
fiunt deteriores, hinc fœminæ præ vi-
ris huic morbo censentur obnoxiæ:
motus interim vehementior, maximè
à pastu, non minus hic proderit, eò
quod hoc ipso concoctio multum tur-
betur.

Alvus sit libera, menses & hæmor-
rhoides ritè fluant, & si non sponte,
arte proritentur.

Veneris exercitio hic morbus qui-
busdam in locis curari dicitur fortè
propter caloris naturalis ἐκλάμψιν. te-
ste Jonstono.

Animi Pathemata, cura, timor, tri-
stitia, terror, anxietas cane pejus &
angue fugiantur. Usu enim & obser-
vatione constat, tristitiæ causis liben-
ter hunc morbum immisceri *Euga
lenus. p. 284.*

CHIRURGIÆ ratione in hoc mor-
bo, præmisso lenitivo facto ex diaca-
tholicon. aut Electuar. lenitiv. vel etiã
clystere venæ sectio locum habet, ma-
ximè si nulla spes hæmorrhoidum af-
fulgeat, nihilq; obstet. Quænam verò
vena secanda sit, an basilica, mediana,
salvatella vel malleoli perindè nos
cum neotericis judicamus, eò quod
quælibet ex numeratis venis incisa,
sanguinem saltem à manu recurrentẽ
æqualiter fundat, adeoque nullus ve-
narum in brachio tundendarum sit

selectus. Docente clariss. *Conring. l. de gen. & mot. sang.* observato interim *Hippocrat.* κατ ἰξὶν prout vel lien, vel hepar, vel utrumq; affectum fuerit: Quantum verò sanguinis mittendum, an unâ, vel repetitis vicibus elici debeat, id prudens medicus ex patientis robore & virium tolerantiâ facilè judicabit. Phlebotomia in subjecto nostro parcâ, & potiùs, si benè ferat, repetitâ manu fiat, cum debiles & morbi diuturnitate exhaustæ vires largam, præsertim unâ vice factam, non ferant.

PHARMACIA. Hæc magnam nobis remediorum suppeditat copiam, quæ tam internè quàm externè adhibentur. Nos, qui brevitati studemus, pauca tantùm eaque selectiora secundùm præmissas indicationes subjungemus.

PRÆPARATIONI humoris melancholici inserviunt. 1. Simplicia. Rad. cichor. petrosel. filic. polypod. Epythim. Herb: Ceterach. Scolopendr. Cuscut. Cort. tamarisc. Cappar. Composita Sir. de fumar. Epith. polypod. lupul. Ex quibus, additis quibusdam appropriatis, quæ vide inferiùs, variæ possunt concinnari formulæ. Ex. gr. nos hanc ponimus.

℞ *Sir. de cochlear.*
nasturt.
polipod.
Epith. a. ℥iß.
▽r. fumar. nasturt. becabung. a. ℥iij.
Julep. cinam. & viol. a. qs. m. f. Julepus pro necessitate reiterandus.
♉. *Digestiv* Trunck auf 2. Morgen. *capiat mane 2. horis ante pastum.*

Ad evacuationem hoc alioq; modò præparatorum humorum varia laudantur varia laudantur à variis. *Jonstonus* pil. ♀reas Quercet. *Wierus* pil. d. fumar. ac diasen. Ad mare Balthicum usitatissimus est pulvis. qui ℞. Agaric. albiss. croc. Epith. cret. fol. senn. a. ʒij. m. f. pulv. à ʒj. ad ij. Pilulæ quoque seqq. quæ sunt *Sylvii*, apprimè hic convenient. Quæ

℞. *Gumm. Galban.* ✠ *to Squill. sol. & iterum inspissat. ʒß.*
⊕li martis ad albedinem calcinat. ℈i.
Trochisc. Alhand. ʒß. diagrid. gr. XV.
♁. carv. gtt. Vj. f. pil. n. XXV.

Inaur. sumantur 5. a. 7. matutino tempore, ac ventriculo vacuo, superbibendo post sesquihoram jusculum, vel cerevisiam cum pauco pane coctam, & macere aromatisatam.

Vina laxativa spleneticis & huic morbo appropriatis castigata inque plures dies usurpata, utramque paginam absolvere videntur. Hanc formulam in hujusmodi casibus sæpiùs cum fructu præscripsi.

℞. *H. Meliss. mß. scolopendr. ceterach. a. pi. nasturt. ▽tic. becab. a. pij.*
Rad. cardopat. polypod. a. ʒij.
Cort. tamarisc. cappar. arant. a. ℥ß.
Fol. Senn. SS. Alex. ℥i.
Rhab. el. ʒiij. v. ℥ß.
Sem. agn. cast. ʒi.
Cinam. acut. ʒß.

Gross. mod. incis. & tus. irror. c ♁. ♀ri per deliq. ʒi. d. ad sac.

♂. Säcklein zu 1. Maas Wein.

Respectu subjecti nostri benè adduntur rad. Helen. fenic. liquirit. passul. sem. fenic. anis. Si æger sit delicatior

tior sequens Electuarium præscribo, quod

℞. *Elect. de tamarind. c. fol. Senn.* ʒiij.
Rad. Jalapp. resinos. ℈ß.
Crem. ♀ri. ʒß.
Conserv. d. cichor. & Rhab. & sachar. q. s. m. f. bolus.

APPROPRIATA & specifica hujus morbi sunt simplicia. Radic. armorac. H. Cochlear. nasturt. ▽tic, & hortens. sed. min. s. vermicul. chelidon. min, beccabung. quæ aliorum caliditatem & siccitatem corrigit. Si calidioris naturæ sit æger, aut febris adjuncta, acetos. fumar. Si pulmo à materiâ obsessus & ob id respiratio difficilis cum tussi rad. helen, c. hysop. Si ventriculus debilis, coma absynth, rectè adjiciuntur, sicque deinceps pro ratione calidorum vel frigidorum humorum & symptomatum concurrentium procedatur. Multis autem modis hæc usurpantur. Nos hic damus & laudamus duplicem. Primus est, cùm herbæ prædictæ virides cum sero lactis contunduntur, expressusque ex hisce succus in debita quantitate propinatur. v. gr.

℞. *H. nasturt. anagall. aq. cochlear. a. mij.*
Comar. absynth. sed. min. a. piß. c. sero lact. caprin.
Contund. expressus succus depuretur. dosis est ʒiv. *c.* ▽. *cinamom* ʒiß.

Vel quando succus seorsim expressus cum sero lactis tempore usus permiscetur, in hunc modum.

℞. *Succ. rec. expres. cich. fumar. becab, nast.* ▽*tic. Cochlear. a.* ʒiij.
seri lact. capr. ʒiv. *f. hanstus.*

ad perfectam sanitatem repetendus.

S. Trünckiein/auf 1. Morgen.

Ex appropriatis compositis laudamus Sir. Scelotyrbic. Foresti, vinum antiscorbuticum Mynsicht. ab iij. ad IV. M. & V. 2. horis ante pastum. Tinctura martis ejusdem à gr. VI ad ℈ß. in liquor. conven. Syr. antiscorbut. ab. ʒß. ad ii. & iij. per se vel in aq. antiscorb. ejusdem vid. armamentar. medico-chymicum. Elect. antiscorbut. *Schröderi* ad magnitudinem juglandis parvæ M & V. *Pharmac. medico chym. p. 186.* Spiritum antiscorbut. *Joh. Pet. Lotichii*, cujus descriptio, utendi modus & dosis videantur apud *Aut. in consiliis & observat. medd. p. 356.* &c.

Nota in horum usu ad 14. dies, imò, si opus, ulterius esse persistendum, & 5to quoq; aut 6to die semper aliquod purgans, v. g. Elect. supra descript. stante curatione opus esse.

An & qua ratione conveniant acidulæ *Vid. Greg. Horst. m.* ℔. *IV. obs. med. p. 273. Rhamlov. in specul acid.* Wildung. *p. 176.* & alii brevitas non patitur, de hisce hic latiùs differere.

ROBORANTIA, dum hæc fiunt, ex conserv. cochlear. & aliis cum fructu præscribi possunt in hunc modum.

℞. *Conserv. cochlear.* ʒiß.
chamedr. scord. a. ʒi.
Rad. bugloss. borrag. condit. a. ʒ. *vj.*
Helen. condit. ʒß.
c. sir. d. borrag. f. cond.

His

His addi possunt & alia, v.g. affecto ventriculo conserv. fl. absynt. hepate fl. & rad. cichor. liene conserv. fl. fumar. it. Spec. diarrhod. Abbat. diatrion sant. arom. ros. dianis. &c. ex quibus componi possunt formulæ pro ratione circumstantiarum & arbitrio medici. Et tantum de internis. Nunc ad

Externa. Hic a. præprimis locum habent ea, quæ lienem, ut in subjecto hoc nostro, ita in omnibus fermè scorbuticis obstructum, aliàsq; malè dispositum deoppilare & roborare valeant. Suntque

Olea. Ut ânethin. rutac. chamom. amygdal. amar. & quod optimum, de cappar. Augustan. vel *Zvvelffer. vid. Pharmac. Aug. p. 317. Pharm. Reg. p. 263.*

Linimenta. Horum formulas egregias præscribit *Lotichius p. 347. & seqq.*

Unguenta. Ut ung. splenet. Schrod. Ungt. Splen. Mynsi. His sequens adjiciam, cujus vires ipsemet ocularitèr expertus. Est autem *Amati Lusitani*, qui se hoc à medicis Ferrarien sibus accepisse refert, & cujus usu se lienem non modò obstructum, sed verè Scirrhosum curasse gloriatur.

℞. *Ol. commun.* ℔iß.
medull. crur. bov. ℔ß.
Butyr. rec. ʒiij.
succi bryon. cyclam a. ℔ß.
bulliant lento igne ferè ad consumptionem succor. collat. ad.
Ceræ cit. ʒiv.
Pulv. ceterach. cort. cappar. tamar. s. agn. cast. a. ʒß.
f. ung.

Emplastra, v.g. splenet. mynsi. de cicutâ vel de amoniaco Foresti *Zvvelfferi pharmac. Reg. p. 300.* vel simile.

Cataplasmata quæ vid. ad Praxin *Riverii*, ubi de obstructione & scyrrholiëis.

Externa interim & aliis partib⁹ cum fructu adhiberi possunt, utpote Epati ol. absynth. mastic. Ventriculo ol. macer. nuc. moschat. Nervis & tendinibus ungt. alth. resumpti v. lumbric. &c. pro ratione Circumstantiarum.

SYMPTOMATA. Quæ scorbutũ concomitantur Symptomata sunt varia, utpote difficilis respiratio, palpitatio cordis, lypothimia, arthritis sæpius vaga, convulsiones, paralysis, hydrops, atrophia, ulcera plerumq; sicca, nec pus fundentia febres, erysipelas singulis nonnunquam septimanis, interdum mensibus infestans, sputatio frequens maximè ab assumtis acribus & calidis, languor totius, sudores copiosi, vomitus, dolores capitis, dentium, hypochondriorum, lumborum, crurum, aliaq; innumera, quæ partim vide ad caput de signis, partim ad Autores, qui hocce de morbo scripserunt susiùs. At verò cum ea sublato morbo vel spontè evanescant, vel auxiliis ex Praxi generali repetitis, admixtis tamen antiscorbuticis, tollantur, singulorum curationem hic quoq; subnectere haud opus esse censemus. At verò quia oris depravatio in hoc morbo maximi persæpè est momenti, adeò ut pro ipso morbo habeatur vulgo, pauca quædam illius remedia superaddere non abs re esse duxi. Ea verò vel fiens est, vel facta, fiens est gingivarũ laxitas & sanguinolentia, ad quàm

℞. *Rad.*

℞. *Rad. biſtort.* ℥ß.
Salis ∂. *m. c. diamor. ad conſiſtentiam debitam. inung. gingiv. vel*
℞. *Fl. balauſtr.* ℥ß.
Salis uſt. ℥i.
M. F. Pulv. ad gingivas.

Factam appello putredinem. Ad quam apprimè facit gargariſmus de tormentilla Mynſichti, daturque tepidè alternis vel ſingulis horis ad ſanitatem perfectam, vid. Armamentar. pag. 403. Si putredo vehemens Wierus talem dalem dat aquam.

℞. *Arſenic. ſublim.* ∂ij.
alum uſt. ℥ß.
f. pulv. bulliant. in ▽ *plant.* ℔i.
ad horum in duplici vaſc. admoveatur gingivis ſpongiolâ madefactâ, ſed propter arſenicum cautè procedendum.

CASUS XVIII.

De PHLOGOSIBUS VAGIS SCORBUTICIS.

Fœmina ætatis annorum 33. nata in *Belgio*, degens cum Marito in Munimento ad *Rhenum* celebri, *temperamenti* ſanguineo-bilioſi, *habitûs* gracilis, teneræ *conſtitutionis*, aliquot ab hinc annis per nares copioſum ſæpè profundens *ſanguinem*, frequenter ſubitò *exæſtuat*, aliquando toto corpore, ſæpius in vultu, modò hâc, modò illâ parte fervet, ſive Phlogoſes patitur inopinatò invadentes, ſchnelle / fliegende Hitzen/ modò jejuno, modo repleto ſtomacho, per horæ quadrantem, aut dimidium, breviùs aliquando durantes, plerumque cum udore, aliquando absque ipſo, tàm imminente, quàm procul adhuc diſtante menſtruo fluxu obvenientes, quas plerumque non ſemper, quædam *præcordiorum* præcedit *anxietas*, *roſio*; *gingivas* monſtrat tumidas, partim ſanguinolentas, partim ſanioſas, partim albeſcentes, *ſitit* in dicto æſtu, *ardorem* ac ſiccitatem gulæ & faucium ſentit, parùm *appetit*, hypochondriis *inflatur* frequentiùs cum, aliquando ſine dictis Phlogoſibus, *alvo* libera eſt, *urinam* offert flammeam, ad roborem propè accedentem, nonnunquam, ut refert, ſedimentum inſtar pollinis lateritii deponentem, *reſpirat* facilè, ſed ſub æſtuatione iſta, ſi vehemens eſt, difficilius, *pulſum* habet inordinatum, in paroxyſmo celerem, citatum, ad *iram* prona eſt, *dormit* mediocriter, *capite* haud rarò dolet, *menſium* experitur fluxum ſtato tempore, ſed imminutum, exaltato rubore tinctum, *extremis* naturaliter calet, cum in-

vasiones istæ absunt, patitur *lassitudinem* spontaneam, *gravitatem* membrorum, *maciem* corporis, *tibiæ* ulcus absque multâ sanie, dolore, *maculas* nonnunquam in cruribus & bracchiis clarè rubeas; præterea nullas sentit molestias. Petit *Medici* Consilium, qui suppeditat tale:

Patiens manè horâ 6. & vespertinâ 4. *pilularum* seq. numer xv. cum *Mixtur.* cochlearium 4. quantit. deglutitat: Rec. *C. C. phil. calc. Ebor. phil. cal. Corall. r. præparat. Sem. nasturt. hort. Sal absinth. ana* ʒij. *Gelatin. Corn. Cerv.* ʒvj. M. f. pil. pond. gr. ℞. *Aq. becabung. acetos. acetosell. endiv. ana* ʒij. *Syrup. granator.* ʒi. M. D. Hora 9. antemeridianâ *jusculum*, in quâ *acetos. becabung. nasturt. aq. fumar.* recent. coct. calid. hauriatur. Cum æstuationes intensiores ac frequentiores sunt, ante somni tempus *Emulsionem* bibat: ℞. *Sem.* 4. *frig. excort. ana* ʒß. *pap. alb.* ʒi. F. c. *aq. pap. err. lactuc ana* ʒiß. *Emulsio* D. Gingivis *Liniment. de Aquileg.* illinatur. *Os colluatur* frequenter sequenti decocto: ℞. *Cort. med. recent. frutic. rosar. H. nasturt. aq. rec.* ana M. j. *Coq. in Vin. rubr.* ℔j. *colatur.* adde *Mell. rosar. simpl. Roob Nucum ana* ʒvj. M. D. Tibiæ ulceri *Empl. diapompholyg. H.* imponatur.

Post absolutum horum medicamentorum Usum remissiores, rariores illæ Phlogoses, mitiora reliqua symptomata: Hinc denuò ad petitum *Medicus* sequens suppeditavit Consilium. Hauriatur manè seq. *Potio purgans*: ℞. *Fol. sen. el.* ʒij. *Tamarind.* ʒß. *sem. anis. Crem. Tartari ana* ℈j. *Coq. in Aq. font. q. s.* ℞. *Colatur.* ʒij. *Elect. de Tamarind. Horst.* ʒvj. *Aq. cinam. bugl.* ʒi. M. Biduo aut triduo abhinc *Venam* brachii *secari* curet. Ab isto tempore *Acidulas* sive *Svvalbacenses*, sive *Dönningstetnenses*, quas adire ob causas domesticas urgentes cùm, ut percipio, non licear, bibat per 5. 6. aut plures septimanas, æstivo tempore, cum fervidus urit Aër, manè potando ʒ. circiter xii. si sitis urget, pomeridiana hora 4. ʒ. circiter vj. sin tempestas pluviosa est, omitti possunt. *Diætam*, à *Medico Ordinario*, in Consilio communicato præscriptam, observet. *His singulis per Dei Gratiam ab omnibus dictis molestiis liberata fuit.*

RESOLUTIO

AEFECTUS ægram torquens est PHLOGOSIS VAGA SCORBUTICA, *intemperies* nimir. *calida, brevis, frequens, ac subita, modò totius corporis, modò hujus vel illius partis, à p. n. particulis biliosis, scorbuticis, agitatis, orta.*

Molestissima hæc solet esse *exæstuatio*, qua vapores calidi, liquores ferventes per totum corpus, per hanc

hanc vel illam partem fluere, effundi, adigi videntur, quando etiam absque Scorbuto adoritur Comite. Hinc istum fervorem pro potissimo habuit *Ægra nostra*, & ego quoque. Casum inscripsi de Phlogosibus Vagis, addidito Scorbuti nomine, qui has Comitans junctum dicit morbum. Brevitas, frequentia ac subitanea illius invasio ab aliis corporis fervoribus ac caloribus ipsam differre monstrant. *Aliæ* etiam sunt *vagæ* illæ *Inflammationes*, volaticæ maculæ, Flug/ vocatæ; Phlogoseos vocabulum non pauci cum phlegmone confundunt, at parùm accurati isti sunt; ceu enim phlegmonen accuratiores cum inflammatione, phlogosin absque eâ dicunt, ita tales ego æstuationes, efferveścentias, phlogoses, etiam absque febre expono, quod mirabitur forsan, haud absque ratione, unus vel alter. Sanguinis enim p. n agitatio, turgescentia &c. Plerisque *Medicis* non nisi in febribus adesse creditur; sunt quidem, qui p. n. M. æ. Sæ. motum à solo isto æstimant & describunt circulari per corpus, ejusque vasa, motu, at rarò causa, frequentius iste effectus est illius agitationis, quæ ab ipso particularum in sanguine incendio, intestino quasi bello ac seditione quasi bello ac seditione oritur, non enim celerius tota M. S. de loco in locum movetur, nisi iste moleculorum in sanguine tumultus adsit, ut ita ad turgentiam, ad impetum, ad orgasmum, ad efferveścentiam (variis enim nominibus insigniunt) utrumq; requiri, imò unum ab altero vix separari posse, mihi videatur; Tales autem Orgasmi, tales tumultuosæ ebullitiones, tales effrænes seditiones in corpore humano absque Febre sè prodere non semel solent. *Maniacorum* ferox jactatio, *Epilepticorum* turgescens concussio, *hysthericarum* vagabundi impetus, *hypochondriacorum* subiti dolores, flatulentæ distensiones, borborygmorum murmura, *Scorbuticorum*, *Cachecticorum*, *Ictericorum* Asthmata subitanea, *Arthritides*, *Cardialgiæ*, *Choleræ*, *diarrhææ*, *dysenteriæ*, *hæmorrhagiæ* vehementiores, gulæ *ardores*, *purgantium* actiones, & similes affectus à ferocientibus, ab ebullientibus p. n. motis oriuntur humoribus, at haud rarò sine Febre. In hâc Ægrâ ex istâ subitâ phlogosi febrem qui concludere contendit, perpendat brevitatem, volatilitatem, particularitatem illius fervoris, illius intemperiei calidæ, absentiam quorundam febris requisitorum, hinc abfuisse & Febrem hîc dico; Febrem sui generis si ponerem, nimis latè nomen extenderem, & dicerem id, quod ii, qui occultas qualitates ponunt. *Phlogosis* talis æstuationem, fervorem, efferveścentiam incertam, vagam Intemperiem, sanguinis inordinationem, excandeścentiam, caloris suffusionem dicit. *Scorbutus*, quem hic *Gingipedium* cum *Regnero Snoy* appellare possum, si tàm rudi uti licet verbo, Græcis usitatis σομακύκης & σκελοτύρβης nominibus exprimo, affligere solet absque istis æstuationibus nonnunquam, & hæ absque scorbuto;

Particulæ istæ *biliosæ scorbuticæ* sive sulphureæ salsæ acres ebullientes in causarum serie exponentur.

Subjectum pono modò totum corpus, modò hanc vel illam partem, ut & infra patebit, ubi symptomatum rationem reddo, prout nimirum fervoris ac scorbuti causa intensior vel remissior est, hoc vel illud petit membrum; sunt *spiritnosæ*, *humidæ* & *solidæ* partes, ex his os, gingivæ, fauces, gula, ventriculus, intestina, thorax, caput, brachia, crura &c. *Causale*, unam jam certam corporis particulam, determinatum locum si statuere vellem, quod Curiosuli ad gloriam captandam facere allaborant, nimis angustis includerem terminis, & ut illi soli applicarem remedium, urgeri possem; Tota S. M. & alii *humores*, modò hanc, modò illam alluentes partem, tale hic constituunt, nec *spiritus*, nec *viscera* cum *glandulis* excludenda sunt.

Causam accuso particulas sulphureas, nimias, oleosas resinosas & salsas acres tenuiores, scorbutica labe tinctas, ebullientes, effervescentes, sive corpuscula p. n. biliosa, scorbutica, agitata. Causæ si perpendo *consistentiam*, læserunt hic *Fluida*, & *Spirituosa*, spiritus enim crasseos ac texturæ limites transilierunt; sanguis in corpore humano vivo absque spiritibus, non sanguis, sed cruor cadaverosus est, imò & alii corporis vivi humores singuli spiritibus perfundi debent; Læserunt fuligines, halitus, & quid dicere vetat, flatus ab ista sanguinis, aliorumve humorum ebullitione, effervescentiâ, agitatione exorti. Et *Humerosa*, Sanguis imprimis, non hic autem solùm, sed & pro varietate vertumni scorbutici, chylus, liquor Gastricus, Intestinalis, Pancreatis, Vesiculæ felleæ succus, lympha varii generis. Ista enim Ventriculo oblata alimenta alienis, jam vix subigendis aut domabilibus prædita corpusculis materiam præbuerunt chyli, non laudabilis, præsertim cum liquor iste fermentalis sive condimentum ciborum, ceu *Cuidam* placet, sive instrumentum Ventriculi, spiritibus debitis destitutus, alienis instructus, à sanguine degenerante infectus, à lymphæ heterogeneis conspurcatus, à glanduloså Ventriculi tunicâ non ritè segregatus, suo non functus fuerit officio, cum succenturiatus huic Intestinorum liquor à debito deviarit munere; Pancreatis hîc succus acrior justo, effervescentiæ nimiæ præbuit ansam, vesiculæ felleæ succus nimius, quâ suam resinositatem, acrimoniam intensior justo, ebullitionem p. n. promovit; Lympha variæ, hic, ibi, in dolis, diversis heterogeneis, & materiæ, & efficientis vitio, tincta moleculis jam accusatis, ceu ad talia recipienda aptissima est, hic, ibi, causæ rationem etiam subiit. Talibus præsentibus humorum degenerationibus, quis Sanguinem liberum dicet, ut de aliis inficientibus causis taceam? In hâc ergò Ægrâ inter fluida corporis *Ille* læsit potissimum. *Solida* & causæ subiissevices, contendere quis posset, salinæ enim istæ & sulphureæ accusatæ mole-

moleculæ solidum quid dicunt, partes continentes contentas promovent. Verùm hìc nonnisi in diversis fluidis hæserunt, ipsas partes continentes solidas irritatas, non rarò contenta concitatius movere concedo, at in nostro Casu potissimum *fluidis* inhæreo.

MODUM LÆSIONIS si spectem, consistit in *Quantitate*, *Qualitate*, *Motu & Loco*. *Quantitate*, immiutâ & auctâ; *Defectu* enim peccant spiritus, nam licèt servidior sit sanguis, ista tamen spirituosa volatilis effervescentia, ebullitio p. n. est, extra debitos eraseos limites, ut copiam spirituum, naturaliter requisitorum, sufficientem, non ponat, & ita sanguis spiritibus debitis sit depauperatus, p. n. verò nimiis instructus. *Auctâ* peccant particulæ istæ actu lædentes, paucæ enim si essent, non dominium obtinerent, non tàm sensibiliter læderent. *Qualitate* peccant, dum nimis calidæ, nimis acres, nimis ferventes, scorbuticæ sunt. Non quidem qualitate solùm primâ, sed particulis, moleculis heterogeneis excedunt causæ, ob receptam tamen loquendi formulam liceat hunc retinere modum, quia enim dicta fluida utraque sulphureis & salsis tenuioribus, acrioribus, valdè activis, subtilibus corpusculis infecta, vulgari vocabulo biliosa fuerunt, læsionem induxerunt; Accessit in hâc Ægrâ *Character scorbuticus*; non enim omnis scorbutus à sero limosis, tartareis, crassis viscidis, fixis salibus inebriato, non omnis à melancholia, non omnis ab humore acido oritur, sed & tenuiores, volatiliores, fluxiliores humores labe scorbutica inquinantur, ut pateat, dari scorbutica pathemata calida, dari frigida, fixiorem dari causam, dari volatiliorem, hinc & *Celebris Medicus Gallus*, licet contra *Anglos* scorbuti divisionem in sulphureo salinum & salino sulphureum revellat, tamen in Curatione attendendum esse dicit, num calor quidam p. n. an verò obstructiones conjunctæ sint. In quo autem *Tinctura scorbutica* consistat, variè definiunt *Authores*. *Causam* assignant Cruditatem sanguinis, denegatum crassioris, fixioris debitam spirituascentiam, sanguinem crudũ, ichorosũ, sanguinem nunc limosum, feculentum, tartareum, vappescentem, nunc sero acri, salibus modò lixivis, modò acidis, austeris, aluminosis, vitriolatis inquinato, plus minus dilutum, sanguinis & nutritii succi διάθεσιν sulphureo salinam, salino sulphuream, sanguinis dissolutionem à sale acri & subtili, aut immediatè, aut interveniente sanguinis dissolutione pathemata scorbuticis familiaria gignente derivatam; Alii aliam in prolixis editis Tractatibus. At cum talia dentur absque scorbuto, superaddunt non quidem, quas aversantur, occultas qualitates, sed τὸ ἦθος, τὴν κακοήθειαν scorbuticam, τὸ contagiosum, nervoso generi infestum, malignum, venenatum, depravatum, corruptum, singulariter, specificè, sui generis &c. ἄρρητον, sed tale *mihi* (ne miretur quis, cum *tantis viris* sit).

qua essentiam suam specificam videtur, verùm ex effectu dici potest, dum non solùm Maris Balthici accolis & Germaniæ inferioris populis familiarem subindicat diathesin, sed & ista gingivarum, tibiæ mala, maculas & similia monstrat. Cum ergò specificè corruptum, malignum dicitur istud fermentum scorbuticum, urgeri potest omissum vitium *substantiæ*, dum nimirum causæ toto genere peccant. Verùm *qualitate* dum peccat causa, peccat vel *irreducibili*, quæ dictum ponit vitium, vel *reducibili*. Utroque modo, potissimum posteriori læsit hîc Causa. *Motu* peccant, dum p. n. non solùm celeri nimis & vagâ agitatione ebulliunt, tumultuantur, sed & ad hanc vel illam impetuosiùs justò feruntur partem. *Loco*, dum subsistunt in variis partibus, gingivis, tibiis, ubi subsistere non deberent; distinguo contra quorundam mentem loci vitium, à motus aut quietis vitio, etiamsi enim illùc mota pars quiete post peccet, tamen non sola quies, sed ipse locus etiam læsionis formale constituit.

Causæ Remotiores sunt variæ: Prima mox stamina jacta à *Nativitate* fuerunt, visceribus sanguinis generationi & depurationi dicatis, hepate præsertim heterogenea ista dicta aliqualiter, non tamen ad debitum gradum separantibus, quod *Temperamentum* in statu adhuc naturali patefacit. E *non naturalium* classe *Aër* patriæ nativus, humidus, crassus, salsus ab uliginosis, palustribus & lacustribus locis infectus, *Cibi* in patriâ familiares, carnes salsugine maceratæ, fumo induratæ, lardum crudum aut rancidum, Pisces lacustres, maritimi, fumo, sole vel frigore indurati, aut muriâ conditi, mixta ex talibus edulia, cibi à corporibus aëre accusato fruentibus, & aquis dicendis utentibus desumti, *Potus* ibi communis, aut aquæ crassæ, crudæ, impuræ, graves, sæpè corruptæ, aut cerevisia ex talibus parata multum hîc præstiterunt. *Vinum* verò, quod domicilio mutato, ordinario potui inserviit, particulas ex talibus genitas & collectas salinas acriores sublimavit quasi, spirituosam, sed non debitam, verum p. n. volucrem addidit indolem. Mirum enim in modum vinum, ubi ordinariè potatur, humoribus scorbuticis alas addere solet. Accessit *Conversatio* cum scorbuticis ibi frequentibus; per plures enim vias μίασμα illud scelotyrbicum è multis, quibus ibi familiare malum est, sub conversatione ac cohabitatione exhalans irrepere potest. *Aliæ Res Non-naturales*, in quarum notitiam non pervenit Medicus, dubio procul suum etiam contulerunt symbolum. Inter *Res p. n. Hæmorrhagiæ* sæpius prægressa immodica, ad subjugationem balsamicarum, succulentarum, exaltationem verò heterogenearum scorbuticarum in sanguine molecularum multùm fecit; *Partes* corporis, humorum ac massæ sanguineæ generationi ac depurationi inservientes, hîc singulæ, una magis, altera minus, una huic, altera illi δυσκρασίαι ac malæ texturæ causam, fomitem suppeditarunt,

tarunt, quædam à collectis impuritatibus, demum infectæ fuerunt.

Ex dictæ causæ in hâc vel illâ parte *activitate speciali*, symptomatum in hoc Casu SPECIALES etiam CAUSÆ erui queunt. *Hæmorrhagia*, quæ aliquot abhinc annis frequens & copiosa erat, oriebatur à stimulo illo, bilioso nimirum acri ac salino, sanguinem concitatiùs movente, vasaque narium aperiente, spiritus ac laudabiles sanguinis partes profundens, dissipans, sicque ad generationem heterogenearum, debito spirituum agmine destitutarum, multum faciens. *Frequentes* ac *subitæ* obortæ sunt *exæstuationes*, cum rubore ac fervore partium, cùm sanguis modò totus, modò in hâc vel illâ parte ebulliebat, quasi accendebatur, efferveſcebat, agitabatur, ab accendentibus ebullitionem, efferveſcentiam excitantibus talibus, quæ vel in ipsâ continebantur sanguinis massâ, vel ipsi hîc aut ibi occurrebant, vel extra eam in hâc vel illâ parte, quæ vel homogenea calorem, motum intendunt, vel heterogenea efferveſcentiam cient, ac illam æstuationem & agitationem promovent, ceu à calore aquam tepidam ebullire, pulverem pyrium fomite exiguo accendi, Martem ab efferveſcentiâ cum aliis in flammam, fumum agi &c. (innumera experimenta prostant) cernimus; Frequentius autem in primis viis occurrentes humores aliâs naturales, hîc peccantes, gastricus liquor, chylus, bilis, succus pancreat. &c. tum sibi invicem tum cibo aut potui talem aliquando ibi, aliquando & in sanguine fervorem, & cum isto partibus externis induxerunt, dum ebullientes, efferveſcentes, tenues, vaporosæ subtiles Sanguineæ Massæ partes subitò ad exteriora ferebantur, ardentes fumigantes quasi; Sanguis enim talis non solùm copiosius, impetuosius in hanc vel illam partem movetur, ac ruit, sed &, cùm ebullit quasi accensus, aut efferveſcit, (*quæ duo probè distinguenda censeo*) halituosa non raro, vaporosa, subtilia emittit corpuscula, quæ hûc, illùc, per vasa tamen patentia destinata, non semper expectato ordinario reliquæ M.S. motu subitò ad partes has vel illas fertur, quod, ita & quâ talia halituosa Gas eructantia facilè probari posse confido; frequentiam vultus, imò totius phlogosin mox â vini potu, ab animi pathematibus, pudore, irâ, amore &c. obortam modò quis consideret; Agitatus ergò ac æstuans ille sanguis partes illas, aliquando totum, fervore isto perfudit, vel dispositis serosis fluidis particulis ad secretionem in glandulis subcutaneis, unde udor, vel non, unde nullus; Et quia singula ante enarrata, in & extra M.S. cum & absque efferveſcentiâ causæ rationem induerunt, oborta fuit talis Φλογώσεων *Varietas*. Ex quibus patet, me *Celebrium Medicorum* sententias, qui tales phlogoses vagas oriri ab intemperantiâ in venâ portæ, ab obstructionibus in mesenterio & visceribus, colluvie humorum in hypochondriis, & præcipuè circa hepar statuunt, & hîc sano sensu admittere,

pro

pro universalibus autem non habere; Patet, quantum consentiam *illis*, qui talis caloris ac nonnunquam sudoris momentanei causam dicunt, ubi calor nativus à copiâ humorum crudorum premitur, qui si alternatim eum humorem aggreditur, exprimit quasi aliquem calorem & aliquando liquorem in superficiem corporis; Illud autem, quod tales caloris suffusiones à perverso, per scorbuticam labem, regimine animali oriri statuunt *Quidam*, dum plerique nervi & fibræ eorum appendices, hùc, illùc, protensæ spasmos seu motus convulsivos passim ineunt, propter eorum ἀταξίας arteriæ & venæ ἀνωμαλῶς contrahuntur, ut sanguis in quasdam partes plus debitô compellatur, illud inquam, in *nostrâ Ægrâ* causam non fuisse autumo. *Cessat brevi*, licet aliquando tardiùs, aliquando celeriùs, quia deflagravit, quæ accensa agitabatur, deferbuit, quæ effervescens tumultuabatur portio. *Præcordiorum anxietas* cum adfuit, & *rosio*, in Ventriculum multùm ac improportionatè egit iste degenerans varius Ventriculi humor, illum posteâ in sanguine tumultum excitans, non verò Cor, quod *Quidam* metuunt, principaliter affectum fuit: *Tumor*, *sanguinolentia*, *sanies* & *albedo* gingivarum à salinis, scorbuti malitiâ præditis, ipsorum texturæ maximè adversis, oriebatur moleculis, in teneram enim & mollem illarum, quas palati glanduloſi, spongiosi continuatio, & in majores protuberantioresque papillas fibrarum, nervorum vasorumq; & membranarum ope conglomeratio constituit, carnem ex arteriæ rami ascendentis propaginibus tenuibus & salivaliù vasorum oscillis extillans sanguis infectus distendit, putrescens alieno colore inficit, saniem suppeditat: Calidi bilioſi salini humores, gulam ac fauces cum vicinis irrigantes, sed, quod quotidie fit, exiccantes, *sitim* ac *ardorem* ibidem excitârunt, alium tamen ab eo, qui frequens est, ab acido prædominante fit, uterque tamen malè à *plerisq;* confunditur: *Appetitus* est *exiguus*, quia Ventriculus non debitâ crasi gaudet, instrumento instructus, quod à spirituosâ suâ acido-salinâ dispositione degenerat, quod & cum reliquis dictis, in isto negotio huic auxiliares manus ferentibus, liquoribus itidem degenerantibus cum objecto, cibo nimirum & potu, effervescens p. n. flatus istos, modò cum, modò sine æstu, hypochondria distendentes gignit: *Urinæ* istum *colorem* ac *sedimentum* inducunt salia, aliquantum subtiliata, cum sulphureis particulis affluentia, ac in Renibus mixta: *Dyspnœa* æstuantis à flatulentâ distentione, diaphragma, thoracem lædente, à sanguine vehementius agitato, pulmonum vasâ ac vesiculas nimis distendente genita, quæ & *celeris, citatus pulsus* in paroxysmo causa fuit; *Doluit Caput* ab istis spiculis ad pericranium, meninges motis, in capitis membranulas, fibrillas, cutem solvendo, vehementer agentibus: *Expulit Natura* statо tempore, fermentatione motum *sanguinem* per

vas-

vasa ac vias ordinarias, non tamen magnâ quantitate, quia à naturali regulâ declinarunt illa fermentatio & ipsa humorum conditio, quia excesserunt particulæ hactenus adductæ, quæ istam sanguinis etiam purpuram exaltarunt, ceu aliàs etiam volatilia salina, sulphurea roborem intendere observamus: *Lassitudo spontanea, membrorum gravitas* adfuit, non solùm, quia spiritus vegeto motui dicati defecerunt, dyscrati fuerunt, sed, quia fibrarum congeries musculosa ab istis dictis heterogeneis premebatur, in debitâ variâ tensione tàm contractivâ, quàm expansivâ impediebatur: *Macilentæ* fuerunt partes, quia balsamicus iste ros nutritioni destinandus partim abfuit, partim degeneravit: *Tibiæ* unitatem solvit acrimonia allabentis humoris, licet pauci rodentis debilem istam, malo tali ex texturâ suâ facilè obnoxiam partem, *ulcusq;* induxit ex illorum ordine, quæ scorbuticos biliosos potissimùm infestant; *Dolor insignis* in ulcere & aliis membris *non fuit*, quia illa disproportio causæ agentis ad nerveas fibrillas non erat magna, hinc τὸ nervoso generi infestum scorbuto frequens, universale autem non est: *Maculæ in extremis* sanguinis sæpius accusati, ad arteriarum etiam capillarium araneata vascula, oscilla, & tenuissimas lineas moti, sub & per tenella integumenta efflorescentiæ aut recrementa sunt.

SIGNIS ad *phlogoses* detegendas opus non est, Ægra enim sentit ac refert, imò & adstantes plerumque, cum adsunt, easdem cernunt in exterioribus. *Scorbutum* produnt gingivæ sanguinolentæ, sanioſæ, tumidæ, albescentes, tibiæ ulcus, & maculæ, crura, & brachia tingentes, quæ & aliis quibusdam accedentibus vim ad significandum hunc morbum largiuntur. *Causam* autem, biliosos nempe humores evectos, ebullientes, effervescentes, indigitant varii signorum fontes, à causis & effectibus desumti. Ætas, temperamentum, corporis habitus, constitutio, potus ordinarius, proclivitas ad iram, hæmorrhagia narium frequens, tanquam effectus, ipsi fervores, sitis, ardor ac siccitas gulæ & faucium, appetitus dejectus, urina flammea, mensium nimium rubentium imminutio. Scorbutico charactere tinctam patria, locus nempè maritimus, victus ac potus ordinarius in eâdem, sanguinis per nares frequens fluxus prægressus, tanquam causa, cum anteà dictis monstrant.

PROGNOSIS si exponenda Ægræ fuisset, non quidem vitæ periculum imminens, attamen pertinaciam affectuum horum diuturnam Medicus prædixisset, ac solam symptomatum promisisset mitigationem. Rarò enim penitùs tales remittunt affectus, hinc & Medicus nullum proposuit Patienti prognosticon, dubius, an si salutem promitteret, promissis stare posset, ceu enim quâ symptomatâ, instar vertumni ludere, ita quâ eventum sæpius fallere solet scorbutus. DEI tamen gratiâ, isti post adhibita medicamenta evanuerunt affectus.

METHODUS MEDENDI ex legitimis, non spuriis quorundam, agens principiis præcepit, ut *particulæ istæ p. n. nimiæ imminuerentur, eliminarentur, calidæ acres, ferventes, scorbuticæ partim educerentur, potissimùm immutarentur, inverterentur, insi ingerentur, mitigarentur, enervarentur, subsistentes ab illo loco removerentur, spirituum pauperiei subveniretur, partes munirentur*, quibus Indicationibus exequendis præscripta destinata fuerunt medicamenta, non solùm, quia ab *Authoribus* talia commendari solent, sed &, quia ex talibus conflata sunt corpusculis, quæ, modis dicendis in corporis humani contenta & continentia, tàm naturalia, quàm præternaturalia agunt.

Cornu Cervi, Ebur, Corallia partim sensim emollita volatilibus, tenuibus, etiam mucilaginosis non destituta particulis, partim in tenuissimum redacta pollinem passim absorbentium inferuntur Classi, quæ acidas imbibant in corpore atomos, ac enervent, at non harum solùm, sed & lixiviosarum, enixarum, acrium, sulphurearum, dum ipsis cohærent, ipsas subeunt, crasin, texturam, ordinem, agitationem immutare valent, & quidem etiam in M. S. non cum insigni, ceu quasdam acidas, effervescentiâ, verùm lentâ refractione, vi insimul diaphoreticâ, & partes firmandi gaudentia, hinc multùm in tabibus etiam, qualis noster fuit, prosunt Casibus. *Absinthii Sal* ebullientes sulphureos, salinos, scorbuticos humores eliminare, destruere, dissipare, ligare, corrigere, egregiè valet. *Nasturtii hortensis semen* (nostrum hortense cum *Vett.* nasturtio idem esse, licet contradicentibus quibusdam *Botanicis*, censeo) particulis volatilibus suis penetrantibus, incidentibus, attenuantibus, abstergentibus, tenuibus, acribus enervat scorbuticum fascinum, ac eliminat per ductulos glandularum subcutanearum, mucilaginosis verò demulcet, nec ab eo nimia hîc metuenda agitatio, cum vix granorum duorum pondere unam ingrediatur dosin. *Gelatin. C. C.* sive ad molliorem adhuc, sive ad sicciorem, redacta consistentiam Medicæ ac Pharmaceuticæ adæquata fuit intentioni, mucilaginosis enim, viscidis, volatilitate non destitutis, absorbentibus particulis, diversas à se in corpore immutavit, infregit, eduxit, licet non semper ad sensum, ac pulveres istos, ut in pilulas formari se paterentur, irretivit, inviscavit. *Beccabunga, Officinis* dicta, *Bauhino* Anagallis aquatica major, folio subrotundo ordine prima, magno ob id encomio digna est, quod acribus salinis penetrantibus, calidis moleculis, scorbuto adversetur, non tamen tantis nec tam activis, quantis cochlearia, sed paucioribus, ac temperata, dilutaque pluribus humidis aqueis, hinc sæpius in scorbuticis, ubi cochlearia lædit, magno cum commodo hæc exhibetur. *Acetosa, acetosella*, quarum etiam aquæ debitè destillatæ, viribus destituræ, contra celebres Chymicos, non sunt, jusculis

& vi-

& vires nobiles & gratiam communicantes, profuerunt Ægræ particulis aqueis, acidis, temperando, restinguendo, diluendo, obtundendo, immutando, educendo, quâ etiam laude gratissimus Granatorum syrupus micat. Non solùm hic in genere vegetabilia, pomposis & ob solam occultationem pretiosis Chymicis, sed & in specie, Acetosa ac Acetosella celebribus antiscorbuticis palmam præripuerunt; In tali enim scorbuto calido, si cochlearia, raphanus sylvestris, sinapi & similia frequenter ac copiosè exhibentur, concitant quiescentem sæpè causam, Narium hæmorrhagias, Arthritides, Asthmata, Phlogoses &c. excitant, hinc becabunga præfertur, hinc si cochlearia Ægris talibus arridet, acetosa aut acetosella frænum illi injicere solet. *Nasturtium aquaticum*, notissima nobis herba (dimicent alii, an *senecio serapionis*, vel *Sion Cratevæ*, vel *sisymbrium*, aut *Cardamine altera Dioscoridis* sit) scorbuti Antidotum lentâ illâ, non nimiâ, coctione in jusculâ penetrantes transfert particulas, quæ acrimoniâ suâ salinâ volatili, salinas, scorbuti malitiâ tinctas infringunt, emendant, expellunt. *Fumaria* vi suâ acres humores mitigandi, per glandulas subcutaneas sensibiliter educendi. *Endivia*, corpusculis bilis fervorem restinguentibus, profuit. *Emulsio* ex refrigerantibus decantatis *seminibus* mucilaginosis, & *papaveris albi* semine diuretică, simul inviscante, sufflaminante, effrenes spiritus ligante vi præditis, cum *aquâ papav. err.* sudorifera, mitigante, *lactucæ* refrigerante, refrenante parata, ferociam tumultuantium humorum compescebat.

Linimentum ex *Aquilegiâ*, *Menthâ crispâ*, *Salviâ*, *Nuce Moscat. Alumine usto & melle rosato* vasorum oscilla, ut allabentes humores non tam promtè imbibant, ac retineant, firmare, allapsos tales imminuere, discutere, corrigere, laxam carnem siccare, roborare, à putredine vindicare, saniem tollere solet, quam etiam vim terreis suis fixis, austeriusculis atomis, *Cortices medii recentes fruticum rosarum* exerunt, accedentibus præsertim fixioribus, salinis, tartareis, *vini rubri*, ac vitriolatis qs. *Roob Nucum*, abstergentibus, mundificantibus *Mellis Rosarum* particulis. Ulceri tibiæ *Emplastrum diapompholygos* appositum fuit, à *Medico* quondam hic *Celebri* introductum, frequentissimè felici cum effectu usurpari solitum, causam tollit, emendat, partes contra causam defendit, & symptomata abigit ingredientibus suis, *Antimonio*, *Lithargyrio*, *Cerussâ*, *Nihilo albo*, *Tutiâ præparatâ*, *Lapide Calamin. Saturno calcinato & edulcorato*, *Thure*, *Succis plantaginis*, *Rosarum*, *Sempervivi*, *Solani &c.*

Purgans potio succedente tempore, non primò, quia jam ab ordinario Dn. *Medico* tùm temporis sufficienter evacuata fuerat; exhibita fuit, calidioribus enim humoribus *hæc* magis convenit *formula*. Constabat ex *foliis sennæ*, quorum vis panchymagoga per particulas salino sulphureas tenues,

nues, colliquantes se exerens, ubique deprædicatur, Drachm. 2. pondere, cum major quantitas in Infuso pro unâ dosi superflua sit, *Tamarindis*, quæ juxta illas atomos modò dictas, insignes acidiusculas salinas possident, bilis æstum contemperandi, sulphureos acres humores refrænandi fermentum Ventriculi vigorandi vi, pollentes, *semine anisi* & *aquâ cinnamomi*, pro flatuum ex fermentatione colliquativâ oriundorum prohibitione, pulsione, *Cremore tartari*, pro stimulo & subigendo humorum fervore, ac *Electuario de Tamarindis*, quod *Horstius* describit: Sicque sensim ac sensim collecta heterogenea è primis viis & M. S. educta fuerunt, hâc non vehementi, sed leni potione; in talibus enim Casibus, qui vel *Vomitoriis* vel *Cathartici*s validioribus ægrum exagitant, multùm ipsi nocent, *Aloëtica* ac *Scammoniata*, humores acriores reddentia, in majorem fervorem agentia, studio omisi Inde fervidiori, impetuosiori, agitato *sanguini pansæ* fuerunt *fores*, & quædam excursio concessa, ut reliqua portio causæ educeretur, alas feliciùs poneret, deferveſceret. Ut tandem, quicquid reliquum adhuc, quicquid altiores egerat radices in corpore, per ordinaria emunctoria eliminaretur, acrimonia fervens, infringeretur, restingueretur, sulphurea, salina corpuscula corrigerentur, scorbuticum miasma destrueretur, ferocia effrænis coërceretur, *Acidulæ* propinatæ fuerunt; Tàm *Svvalbacenses*, quàm *Dönningsteinenses* hic resolvere, examinare, ac describere ob causas in procœmio dictas supersedeo, cum præsertim *Celeberrimi* id egerint *Viri*. *Non vulgaris* autem potandi modus ob causam additam præscriptus fuit; Integra enim, ut vocant, Cura communiter instituitur augendo sensim aquæ dosin, usque ad insignem quandam & summam, illam aliquandiu continuando, & tandem iterum imminuendo.

Diæta *in Dn. Medici Ordinarii* Consilio præscripta Cibos supra accusatos, ut & nimis salitos, aromatisatos, frixa, pinguia &c. nimium, non omnem, Vini usum, Iram, nimios corporis motus &c. prohibuit.

CASUS XIX.

De

FLATU FURIOSO.

Fœmina quædam annorum quinquaginta, temperamenti phlegmatico-melancholici, *mensium inexperta* & mater octo liberorum, heri circa vesperam conquerebatur de anxietate, palpitatione cordis, vertigine, eamque paulò pòst excipiente inflatione cum aliquali dolore in tibia dextri pedis per dimidiam horam

ram oberrante, hodie manè inflatio illa cum dolore ad sensum prorepebat instar serpentis per dorsum ad brachium sinistrum & hora post ad brachium dextrum, mox ad pedem sinistrum, & ita hinc inde è loco ad locum instar Mercurii discurrens totam tandem corporis peripheriam vexat, adest sitis, appetitus depravatus, alvus tarda, urina est quodammodo turbida, pulsus inæqualis, somnus perturbatus, Vires absumuntur; pejora metuens quærit consilium.

RESOLUTIO.

OMnibus in casu proposito enarratis signis probè consideratis, subjectum hoc affectu Arabibus *Nakir* dicto laborare patet; Latinis appellatur *flatulentus ambulo*, FLATUS FURIOSUS, *ambulo furiosus, & Vareni*, nominibus scilicet ab inseparabili affectûs proprietate desumtis: Germanis die Ratten/ die Faren/ die gute Kinder/ die gute Holden. Cùm verò definitionis nominum magna sit utilitas, quod eâ mediante quæstionis statum distinctè intelligamus, ne frustra disputetur de vocibus, affectum nostrum definimus, quod sit *inflatio cum dolore variè periodica, à vaporibus subtilissimis vehementissimè in variis corporis partibus oberrantibus orta:* pro genere proximo igitur ponimus inflationem cum dolore, & eatenus pertinet ad morbos solutæ unitatis. Ratione solius inflationis, ad morbos magnitudinis auctæ: differentia specifica reliquis definitionis verbis comprehensa, subjecti & causæ proximæ denominatione conficitur.

SUBJECTUM affectûs nostri *duplex* facimus, alterum inhæsionis, alterum generationis: *subjectum inhæsionis* dum in definitione varias totius corporis partes constituimus, non tàm viscera, quàm musculos & vasa intelligimus; *generationis* subjectum in hoc casu primarium est 1. ventriculus cum intestinis 2. vasa sanguifera. Ventriculum dico, propter vitiosum ejus fermentum, quod vitiosam efficit fermentationem seu concoctionem, cum concoctio propriè nihil aliud sit, quàm per fermentationem minimarum scilicet particularum, ex quibus alimenta constant, solutio. Intestina, inprimis duodenum, propter ductum bilarium & pancreaticum humores suos in id exonerantes, quibus commixtæ cruditates in ventriculo generatæ itidem peregrinam pariunt fermentationem & chylum vitiosum. Secundò vasa sanguifera; quia in iis demùm vaporum subtilissimorum elaboratio perficitur.

His missis, ad CAUSAS accedimus, à quarum cognitione cum teste Divino nostro *Coo l. 1. de morb. mul.* tota curationis pendeat felicitas, eaque sola sit, quæ verè Medicos à medicastris distinguat, in eas paulò accuratius inquiramus. Dividuntur autem

in *immediatam seu proximam*, & *mediatas*, hæque rursus in *propinquiores* & *remotiores*. Quoad IMMEDIATAM, de ea Doctiss. *Sennerti quæst. 6. de arthrit. p. m. 82.* ita sentit: *Nostri homines plerumque ad incantationem referunt, & nescio quid nati à succubis dolores illos parere putant, cum tamen dolores tales vagi etiam causas naturales habere possint & à flatu quodam acri seu sero acri ex humore ferè scorbutico genito per partes membranosas & musculos vagante, ortum habeant.* Ex qua sententia eam eligimus, qua serum ad motum talem celerrimum excitandum nimis sit pigrum, adeoque pro causa immediata vapores subtilissimos & acres statuimus; hi quomodo generentur, partim capite præcedente audivimus, partim inferius, ubi de symptomatibus agemus, uberius explicabimus. Causæ mediatæ propinquiores sunt, quæcunque propinquius ad vaporum concurrunt generationem, uti sunt obstructiones variæ, inprimis hypochondriorum, particulæ heterogeneæ cum Chylo sanguini immixtæ, quæ in eo vitiosè fermentescentes ejusmodi vapores producunt, qui per arterias ad quasvis partes deferuntur.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES ex rerum naturalium, non naturalium, præternaturalium, ac supernaturalium classe desumuntur. In *naturalium* serie primò ex casu observandus venit SEXUS, ratio est in promptu, quia uterque sexus peculiares habet affectus, & ita alter præ altero magis in hunc vel illum morbum inclinat. Sistitur autem *sexus fœmininus*; qui ut plurimum vitæ sedentariæ deditus, quæ mater est variorum humorum vitiosorum, dum sanguis non debitè ventilatur, concoctio minus ritè perficitur, unde variæ cruditates, hinc flatus, vapores, fuligines. Secundò ÆTAS, de qua Divinus noster *Cous, & multum facit ad facilitorem difficiliorem ve curationem nosse ætatem, an juvenis vel senex, an juvencula vel vetula*, ut scilicet sciamus, an sit morbo conveniens, qui plerunque non tantum in recessu habet periculi & non tam graviter affligit, ac extra eam contingens, & ut vires inde, cæteris paribus, colligamus. Est vero ægra nostra 50. annorum, quâ ætate sanguis jam incepit vigorem pristinum deponere, variis particulis heterogeneis inquinari, spiritibusque minui, hinc variæ oriuntur peregrinæ fermentationes, undè exhalationes huic affectui generando aptæ. Tertiò TEMPERAMENTUM *phlegmatico-melancholicum*, quod cum humores viscidi & bilis adusta seu laburra bilis constituat, cooperantibus reliquis ad hunc morbum producendum maximè est idoneum. Ex NONNATURALIUM classe primò examinari meretur AER, qui variis hoc tempore miasmatibus ob putredinem matrem nisi omnium, tamen plerorumque morborum auctumnalium, vitiatus; dum per inspirationem sanguini in pulmonibus ventilando communicatur, varias cæteris concurrentibus pergri-

peregrinas excitat effervescentias, hinc exhalationes & noster affectus. Hic obiter notandus magnus ille error circa influxum astralem, vel aspectus, uti vocant, quibusdam nimis superstitiosè creditos, quippe quæ, astra puto, quicquid etiam virtutis in affectibus flatulentis generandis ☿ tanquam ventorum & flatuum patri, ☽næ, ortui Herculis & reliquis ejusdem farinæ signis Astronomi quandoque nimis credulî attribuant, excepto unico sole, nobiscum neque prosperâ neque adversâ valetudine fruentibus planè nullum habent commercium. 2. CIBUS & POTUS, qui huc quoque non parum forsan contulerunt, uti sunt varia fructuum genera & novum vinum, ventriculum propter difficilem eorum concoctionem debilitantes cruditatesque ac obstructiones augentes. 3. QUIES, cui dum ægra nostra obtemperamentum & consuetudinem nimium indulsit, malum fovit. 4. ANIMI PATHEMATA, tristitia, curæ, mœror, quæ cùm figant quasi ac supprimant spiritus animales, coctionis viscera munia sua perperam obeunt. 5. EXCRETA & RETENTA, quæ aliàs vel peccant in excessu vel defectu, hîc in defectu peccâsse videntur, dum in casu narratur ægram nunquam menses fuisse expertam, & nihilominus esse matrem octo liberorum, hoc verò naturaliter fieri posse & quotidiè fieri, plurima probant exempla; rationem addimus, quod in his sanguis non abundet, sed tantum ejus sit, quantum in aliis post purgationem relinquitur, credimus igitur sanguinem menstruum neque ad conceptionem, multò minùs ad formationem vel conservationem esse necessarium, adeòque parùm huic nostro affectui contribuisse, vel adhuc contribuere 6. SOMNUS ET VIGILIÆ, quæ cum MOTU & QUIETE convenire censemus, somnus sc. peccans cum quiete peccante, & vigiliæ peccantes cum motu peccante quoad afficiendi modum conspirant. CAUSÆ PRÆTERNATURALES sunt obstructiones variæ, peregrinæ fermentationes & intemperies massæ sanguineæ. Quoad *causas* SUPERNATURALES, & diabolum rerum naturalium consultissimum hoc uti & alia omnis generis mala, permittente tamen Numine Divino in corporibus humanis excitare posse, varia apud varios testantur exempla, & quotidianæ, proh dolor! satis evincunt experientiæ.

DIFFERENTIÆ sunt variæ: Alius est *hereditarius*; alius *adscititius*; alius *sympatheticus* seu per consensum, ex. gr. ex obstructione mensium, suffocatione hypochondriaca &c. oriundus, alius *idiopatheticus* seu per essentiam, ex fermentatione peregrina massæ sanguineæ proveniens; alius mitior seu benignior, alius *gravior* & quandoque *malignus*, pro humorum videlicet in corpore peccantium vitio. Hic monendum Clarissimum *Blancardum* in *Lexico suo medico* cœtera doctissimo arthritidem vagam confundere cum nostro affectu, hos autem affectus valdè inter se dif-

se differre probo primò, quia in illa, teste Nobiliss. *Willis tom. I. tract. de scorb. c. 5. p. m. 593.* plures salis fixi quasi congeries è massa sanguinea huc illuc circa membra aut articulos velut totidem nidos deponuntur & eatenus est morbus articularis. 2. quia arthritis vaga motu est pigrior, quàm Nakir, qui vapores pro causa habet subtilissimos & vehementissimos. 3. symptomatibus, de quibus *cap. seq.* Denique probo authoritate viri Doctiss. *Sennerti*, qui *quæst. 6. de arthrit. p. m. 82.* his verbis distinguit: *verùm morbus hic arthritis non est, neque enim est saltem circa articulos, sed oritur à flatu seu spiritu furioso è vasis effus. & per ambitum corporis discurrente.* Varenos verò & Nakir esse unum eundemque affectum cum Arabe *Albucas. cap. 95. l. 2. Sennerto l. all.* aliisque firmiter statuimus. Hæc de differentia.

Sequuntur Signa, quæ vel sunt diagnostica, vel prognostica. Diagnostica ex casu desumta sunt sequentia: 1. *Anxietas*, à sanguine ad accensionem minus apto, qualis phlegmatico-melancholicorum est, ideoque nimiam moram in corde trahente, vel à fermento peregrino subtili & acri cum sanguine ad cor delato, ipsiusque fibras & nervos sexti paris leviter afficiente. 2. *Palpitatio cordis*, à sanguine viscido & terrestri ope fermenti ante dicti rarefacto, adeoque majus spatium occupante, unde cordis ventriculi valdè dilatantur, & spiritus copiosius impetuosiusque influunt. Vel etiam oriri potuit à particulis dicti fermenti jam post circulationes quasdam peractas magis explicatis seu solutis, adeòque cordis fibras magis vellicantibus & spasmodicè contrahentibus. De cætero ad mentem veterum de palpitatione cordis egit *Sebast. Pissinius* fusè lib. pecul. Francof. 1609. in 8. 3. *Vertigo*, à particulis quibusdam efferis ac indomitis sanguinis commeatu cerebro illatis, quæ spiritibus animalibus, siquidem incongruæ sunt ac improportionatæ, occursantes, eos huc illuc à solitis ituum ac redituum tractibus abigunt, adeoque in vortices ac gyros agunt. 4. *Inflatio cum dolore in tibia dextri pedis per dimidium horam oberrans*: ab exhalationibus subtilissimis & acribus per arterias ad ejus musculos sufficienti copia delatis, in iisque tam diu, propter poros corporis præsertim tibiæ, arctiores, quàm ut continuo tantum per eos transspirare possit, quantum continuo per arterias advehitur, oberrantibus. Hæ verò oriuntur à particulis heterogeneis seu fermento peregrino, teste *Helmont. tit. de flat. §. 71. p. m. 424.* peregrinam sanguinis fermentationem instituente, quæ dum ope arteriarum ad quasvis partes in nimia copia deferuntur, inflationes progenerant, & cùm sint admodùm subtiles, hinc indè in partibus eò celerius, quo minorem inveniunt resistentiam, seu quò majores sunt partium, ad quas deferuntur, pori, oberrant, donec peractâ fermentatione nullæ novæ succedant, unde sensim & sensim transspirando in auras abeunt,

abeunt, adeoque inflatio remittit. 5. *Invasio periodica*, dum sc. novæ vel in ventriculo, vel hypochondriis, vel alibi generatæ cruditates de novo massæ sanguineæ infusæ novam excitant fermentationem. Eadem hinc ratio reliquarum corporis partium inflatione cum dolore magis minusve affectarum est petenda. 6. *Sitis*, propter Lympham qualitate & quantitate peccantem. 7. *Appetitus depravatus*, ob fermentum ventriculi depravatum 8. *Alvus tarda*, à materia viscida & glutinosa intestinorum parietibus adhærente & glandulas ipsorum obstruente, orta à cibis in ventriculo malè concoctis & vitiosa bilis cum succo pancreatico fermentatione. 9. *Urina quodammodo turbida*, à sanguine mixtione turbato 10. *Pulsus inæqualis*, ob inæqualem sanguinis motum & flatus in arteriis & quandoque in venis, unde ψευδοσφυγμὸι, vagantes, oriundus. 11. *Somnus perturbatus*, à spiritibus animalibus impuris & ipsorum motu perturbato. 12. *Vires absumuntur*, quia sanguis ad nutriendum (quoad sc. particulas ejus chylosas, quas solùm nutrire credimus) ac generandos puros & incontaminatos spiritus magis magisque redditur ineptus. Quoad SIGNA PROGNOSTICA, affectus hic Nakir curatu difficilis heic esse videatur ac periculosus, 1. propter senectutem; 2. quia jam altiores egit radices & totum corpus invasit. 3. propter virium imminutionem: verùm cum ægra adhuc sit senectutis crudæ, vires nondum planè sint abolitæ, sed quadantenus imminutæ, malumque nondum ad summum pervenerit, spes adhuc aliqua restitutionis in integrum affulgere videtur, si sc. naturæ illicò remediis succurramus, cum aliàs teste Celeberr. *Rolf. meth. med. spec. comm. l. 3. sect. 2. c. 27. p. m. 234.* lethalitate terribilis esse possit.

Perspectâ itaq; morbi naturâ cum causis ejus, differentiis & signis, restat ut ex *methodi medendi* legibus in omnibus affectibus & acutissimis observandis, CURATIONEM maturemus; hæc ab *indicatione* dependet, quæ in genere præcipit conservationem illorum, quæ s. n., & ablationem eorum, quæ p. n. se habent, estque *triplex præservatoria*, quæ causas; *curatoria*, quæ affectum cum symptomatibus; *vitalis*, quæ vires respicit. *Præsidia* his indicationibus satisfacientia ex triplici auxiliorum penu depromuntur; Chirurgico sc. Pharmaceutico & Diætetico. *Chirurgiæ* jure merito primum locum vendicamus, licet ab ipsâ non semper prima petantur auxilia, ex qua primo considerandæ occurit V. S. cujus indicantia reliquis observatis circumstantiis, ætate sc. viribus & tempore, sunt plethora ac nimius sine malignitate calor, quorum neutrum cum hic appareat, non video, quid nos ad illam suadendam moveat. 2. Curcurbitæ magnæ, quas aliqui cum multa flamma sine scarificatione tanquam excellens remedium loco affecto applicari volunt, 3. follis fabrilis & tandem punctio cutis ejus-

que cauterizatio, quæ omnia tanquam remedia in hoc casu non admodum efficacia, suis auctoribus relinquimus.

Fons Pharmaceuticus præcipua nobis *remedia*, causam morbi sc. debellantia suppeditat, qualia sunt, 1. Humores vitiosos cum euphoria evacuantia. 2. Obstructiones reserantia seu aperientia. 3. Vapores discutientia, ac 4. Vires restaurantia seu confortantia. Cum euphoria evacuantia suademus, cùm fortiora massam sanguineam jam aliàs turbatam insigniter fermentando malum magis juvent, quàm debellent. Cùm verò ventriculus jam cibis non sit vacuus, purgans ἄνω aliàs exhibendum jam non propinamus, sed in crastinum differimus, ac interim & quidem statim post paroxysmum sequentem clysterem carminativum & leniter alvum subducentem hic magni quoque faciendum injici curamus.

℞. *Decoct. emoll.* ℥ix.
carminat. ℥iij.
Elect. de bacc. laur. ʒß.
Extract. cathol. ʒij.
Unguent. clysmat. ʒvij.
℈ *lini* ʒi.
vitell. ov. num. j.
nitr. ʒij.
F. l. a. Clyster. D. c. siph.

Dein, horâ post assumat medicamenta in hoc affectu authoribus omnibus, qui ejus saltem mentionem fecerunt specifica, ex lumbricis terrestribus parata, eaque vel sola, vel cum aliis convenientibus composita, formula sit sequens:

℞. ▽ *hirund. c. castor.* ℥ß.
carminat. ʒi.
Ess. pini
lumbric. terr. ana ℥ij.
∽ *sal. amm. gr. xx.*
sal. volat. Serpent. gr. viij.
laud. opiat. gr. ij.
M. D. S. Wind- und Schmertzenstillende Essentz.

De qua potiuncula subindè sumat cochlear unum & stragulis bene cooperta, si fieri potest, levem exspectet sudorem. Post, si cras alvus nondum bene respondere videatur & appetitus adhuc sit depravatus, ad depravatum ventriculi fermentum & humores vitiosos tanquam causas, placidè educendos ac corrigendos manè sequentes exhibeantur pilulæ:

℞. *Magist. jalap.*
Extract. helleb. n. à gr. v.
MP. tart. Schröd.
de ammon. Q. à gr. vij.
M. F. Pil. num. xv. deaur.
D. S. Laxier-Pillen. pro vehiculo
℞. ▽ *petros.*
Card. B.
scorzon. à ʒß.
D. S. Wasser zu den Pillen.

Tum ad confortantia progrediendum, quorum formula sit talis:

℞. ▽ *cinam.* ℥ß.
∽ *lumbr. terr.* ℥ij.
Tinct. bezoard. ʒij.
pareg. Excell. Dom. Præs. ʒß.
Strub. cinnam. ʒiß.
confect. alkerm. incompl. ʒij.
M. D. S. Kräfftigung/ zuweilen davon ein Löffel voll zu nehmen.

Tandem

Tandem Externa quoque spirituosa discutientia parti affectæ applicari possunt, uti sunt, ♏ lumbric. terrest. ♏ formicar. pinguedo castorei, ♌, still. aneth. carv. cumin. fœnic. &c. quæ vel sola, vel variè composita pro ratione statûs adhiberi possunt, hic formulam sequentem præscribere lubet:

℞. *Balsam. Peruviani*
♏ *lumbric.*
Formic.
Ess. pini ana ℥ij.
♌ *circulat.* ℥ß.
Still. aneth.
carv. à ʒß.

M. D. S. Wind-treibende Mixtur äusserlich zu gebrauchen.

Hartmanus in praxi commendat magnetem umbilico impositum ad flatus expellendos, sed Excellentissimo Domino PRÆSIDI Patrono ac Præceptori mihi nunquam satis Venerando aliquoties Experienti eventus non respondit, alii unum vel alterum granum Zibethi cum bombace umbilico imponunt, sed hic cautelâ opus est.

Cum verò teste *Galen. de theriac. ad Pamphilianum* nullum tam validum in Medicina sit remedium, quod ex se ortum auxilium inducere possit, si resistatur ab iis, quæ circa DIÆTAM sunt, aut ab his non adjuvetur, non immeritò ejus ratio habenda, in quo punctô prudens Medicus facilè noverit, quæ suarum erunt partium.

CASUS XX.

De
POLLUTIONE NOCTURNA.

JUvenis XX. annorum, Temperamenti calidi & sicci, habitus corporis macilenti, fusci coloris, cujus in themate natalitio ♀ in VI. Domo à ♂tis □ fuit afflicta, cum hactenus equitando, saltando & gulæ delitiis variis deditus fuisset, somno indulgens largiori, studiis nihilominus etiam in multam noctem apprimè deditus, cibis delectatus acribus, salsis, piperatis, S. V. & tabaci potu, virgini inserviens hactenus, sensit jam per annum integrum & amplius somnia ♀ea, inprimis decumbens in dorso; prægresso motu fortiori, & instante aeris mutatione à sudo in pluvium cœli statum, post mediam ☽ peractâ coctione, prius alto somno sepultus, rigido veretro, in principio inprimis affectus, notat excerni involuntariè semen, idque bis vel ter sæpè in septimanâ, caligant oculi, animus mœstus est, memoria vacillat, timens pejora, inprimis sterilitatem, petit consilium.

RESOLUTIO.

Affectus, quo cum æger conflictatur, est POLLUTIO NOCTURNA, seu ἐξονειρωγμὸς, in somnis Venus, Symptoma ætati huic perquam familiare, quod diverso respectu tum ad actiones læsas naturales, ceu id nonnullis magis placet, tum ad excretorum classem, & longè rectius quidem, referri potest.

Non est Gonorrhœa simplex, quæ continuo effluvio tam de die inprimis, quàm noctu exercet ægros modò cum, modò sine dolore, absque delectatione & ♀eo ὀδαξισμῷ, neque enim in nostro ea reperiuntur.

Neque gonorrhœa est virulenta, quæ à contagio impuri coitus cum virore & fœditate aliisque membri vitiis, non sine dysuriâ, quo nomine lubentius ægris venire solet, contingit, cum & hæc signa in hoc ægro absint, neque ulla suspicio in eundem fœdæ luis cadat.

Adesse verò gonorrhœam hanc nocturnam confirmant & patefaciunt abundè signa in historiâ recensita.

I. ESSENTIALITER INHÆRENTIA seu pathognomonica, ipsis sensibus obvia, antecedentia quidem, somnia Venerea, ligato licet sensorio communi phantasiæ oblata, quæ vacuâ, ut sic loquamur, aulâ, ut alia plura fingit sæpè, ita in hoc casu, ansâ ab ipsis actibus abundantibus & sanguine fervidiore, ipsiusque seminis copiâ, desumptâ, imagine gratâ ludit. Consequens est ipsa seminis excretio, seu à pollutis linteaminibus nominata pollutio, quæ utraque satis arguunt hoc ipsum symptoma.

Utut enim in confirmato affectu & magis debilitatis vasis citra ♀. insomnia contingat sæpè hic affectus aliaq; insomnia crudelia, terrifica, vel alias phantasiam fortius moventia in hunc censum veniant; frequentius tamen & utplurimum ♀ea esse consueverunt, eoque magis pollutio appellari meretur, quò magis cum hisce insomniis potius quàm aliis evenit.

ESSENTIALITER CONSEQUENTIA symptomata alia idem contestantur, insequutæ enim sunt diversarum facultatum *actiones læsæ*: Et quidem in *naturali* nutritio membris sensim atque sensim subtrahitur, & sic corpus exaret, metusque sterilitatis insequuturæ adest. In *vitali* vires labascunt & imminuuntur: In *animali* memoria vacillat, oculi caligant, tristitia ac mœror, & quæ sunt alia, compati maximè cerebrum docent.

Lucem his addunt majorem CAUSÆ PRÆGRESSÆ, præprimis usus ciborum acrium, salsorũ & piperatorum, quæ inferius pluribus libabimus.

Neque SIMILITUDO abludit; vidimus ante annum eodem modo laborantem ægrum, ab omnibus pro tali habitum, ut adeò hoc symptoma adesse, vel ipsis sensibus testibus, extra omnem dubitationis positum sit aleam.

SUBJECTUM, seu pars affecta quænam sit, dubium videri posset, sive

Helmon-

Helmontium attendamus, qui lienem constituit subjectum ut somnii & somniorum, sic & ipsius veneris, præcipuè cum in nostro ægro ob diætæ vitia non minima ad affectum hypochondriacum videatur adesse inclinatio; sive juxta alios id potissimum spectemus, quod supino positu, incalescentibus renibus excretio hæc involuntaria fiat, ex quo fundamento renes incusare solent ceu seminis fabros, adeoque etiam in statu hoc magis affectos. Verùm missis hisce, præsuppositio quod excernatur involuntariè semen confectum, statuimus rectius.

Subjectum Principale vesiculas seminales; hæ enim sunt vascula adservantia, in quibus semen beneficio testium & epididymidum elaboratum reponitur, ulteriori perfectionis gradu donatur, & ad ejaculationem asservatur.

Subjectum Adæquatum sunt reliqua seminis laboratoria, testes & prostratæ: Afficiuntur verò ista in nostro ægro non tam per ἰδιοπάθειαν, non quippè corruptum est semen, non ichorosum & purè remixtum, nec aqueum nimis, ut in reliquis speciebus gonorrhœæ fieri assolet magis, licet copia hîc collecti & repositi seminis ex parte etiam urgeat exitum; quàm per συμπάθειαν renum ac corporis ipsius, ut postpaulò videbimus. Asservant materiale hujus symtomatis seu semen, stimulum verò & ὀργασμὸν aliundè recipiunt, unde partes membranaceæ & nervosæ pruritum quendam experiuntur, ut quando deinceps in subsidium venit imaginatio ac canalis erectio, è carceribus suis semen erumpat, &, juxta *Horatium*,

nocturnam vestem maculet ventremque supinum.

Causam Immediatam profluvii hujus seminalis statuimus facultatem expultricem irritatam, quæ irritatio seu perceptio molestiæ & consequens expulsio à materiâ retentâ dependet. Hinc

Mediatam Proximiorem, secundum *essentiam* consideratam, duplicem assignamus, unam humorosam seu corpulentam, alteram flatulentam seu ventuosam. Flatus quippe, seu φυσώδεις πνεῦμα à causarum hoc consortio minimè excludendum venit.

Humorosa tamen & corpulenta materia præcipuè accusanda venit, cum enim in humidi excretione affectus hic positus sit, sustinet hunc titulum primariò & affectivè semen ipsum, effectivè verò omnes reliqui humores concurrunt, inprimis autem serosi, commodissimum Θlinarum atomorum vehiculum.

Chimici accusant Θ resolutum, si rupto mistionis fœdere in partibus genitalibus sibi rapiat imperium, & tenella vascula stimulet ad exitum, quod tamen remissiori longè gradu quàm in gonorrhœâ contingit.

Sylvius succum pancreaticum pro principio quidem ut quod habet, principaliter tamen salinam quoque aciditatem accusat. *Helmontius* verò âchimicorum sententiâ parum fortasse differt, dum ab acore quodam

nimio derivat negotium, qui Θlini principii, uti vocant, affectio est.

Quod *essendi modum* attinet, peccant hæ causæ, remotius quidem ipse sanguis, qualis enim sanguis, tale semen, proximius verò semen, quoad ipsam substantiam seu molem & partes spirituosas consideratum, 1. *quantitate*, in ægro enim nostro abundat & copiosius generatur, quô ipso naturæ molestiam parit, ut ὀργασμὸν acquirat, exitum affectet, ac non rarò inter dormiendum se exonerare cogatur. Sunt enim, autore *Galeno l. 6. de tuend. sanit. c. XIV.* qui semen genitale copiosum gignunt, quod eos ad sui expulsionem proritat. Videlicet omne nimium, licet in se bonum sit atque præstans, naturæ est inimicum. Quò metaphysicorum pertinet distinctio inter bonitatem absolutam & respectivam, bonum in se & bonum alteri.

(2) *Qualitatibus*, cum primâ tum secundis; excedit enim tum sanguis, tum consequenter semen, caliditate, salsedine, acrimoniâ ac mordacitate, item nimiâ tenuitate, postquam jam per longum satis tempus adsuetum est hoc modo excerni.

Peccant etiam humores (3) *motu generationis & locali*, in *loco affecto ipso* ipsius naturæ ordine congestum fuit semen per συναθροισμὸν quendam, excernitur verò in ægro nostro tum à faculate læsâ & irritatâ, sive respiciamus intemperiem calidam & conjunctam acrimoniam, saltem quoad hasce partes, sive pororum in seminalibus vasis laxitatem, quam frequens ipsius excretionis successio parit; Vasa enim sæpius evacuata, rursusque novâ affluente materiâ repleta, viæque rigatæ, tandem laxitatem & amplitudinem acquirunt, per quam postea facilis est seminis præsertim spirituosi decursus; sive tandem quandam in vesiculis seminariis vel anastomosin vel diæresin.

Extra *locum affectum* tam determinatæ partes symbolum suum addidêre, v. g. renes inprimis calidiores & vasa spermatica intemperata, quàm vitium totius, quod meritò accusari potest, cum ad cacochymiam bilioſam & seroſam inclinet corpus.

Hinc & motus causæ morbificæ *localis* attendendus. Quamvis enim materia seminalis excernenda in torulis suis colligatur, meritò tamen ῥευματισμῷ & ἐπιχύσει influxione & irruptione magis sanguis & serum ad locum affectum promovetur, præprimis cum pollutio hæc diu jam duraverit.

Membrum quippè Mandans est totum corpus, non eo quidem sensu, quo dedici à toto & ab omnibus totius partibus semen â *divino sene* statuitur, sed quia tota massa sanguinea, (non excluſis spiritibus,) quæ toti est communis & quasi lar corporis, præter ordinarium tributum, quod & hîc confert, eò magis concurrit, quò magis per emissionem & partium debilitatem, calorem, ac consequentem quasi ἕλξιν ad id invitatur, & secum gestat salinum stimulum ac vitium, quod affricare partibus

partibus genitalibus, quæ RECIPIENTIS vicem obeunt, & inprimis veſiculis ſeminariis geſtit.

VIÆ ſunt ARTERIÆ, quas hoc loco venis majores provida natura eſſe voluit, ut eò largiùs impertiri, quem vehunt ſuccum, poſſint.

Accedit ſeminalis liquoris turgentia, fermentatio ac ad excretionem parata facilitas, ſimul ac motor calor acceſſerit agitatioque.

Inter CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES NATURALES memorandum eſt. TEMPERAMENTUM juvenis hujus calidum & ſiccum, præ reliquis ad productionem acrium & ſalſorum humorum ac flatuum maximè diſpoſitum.

ÆTAS juvenilis quantum conferat in aprico eſt, in hâc enim calor innatus majorem acquirit acrimoniam, &, confirmato ferè jam individui augmento, ad ſpeciem propagandam ubere proventu cedit, quòd antea ipſarum partium incremento impendebatur, unde etiam inter ſigna pubertatis præcipuum habetur, cum naturæ marturitas per ſomnum effuſa ſe oſtendit.

Influxus aſtralis ob ♀rem in themate natalitio in VI. domo à ♂tis □ afflictam, ut & habitus corporis macilentus ad hoc ſymptoma conſtituendum aptiſſima quoque ſunt: Graciliores enim & rarioris texturæ homines frequentius, quàm obeſi patiuntur ejusmodi pollutiones, quod in his diſperſi quaſi magis, in iis uniti magis ſint motus.

Ad CAUSAS NONNATURALES referimus AERIS mutationes. Quantum enim conſentiat corpus cum athmosphærâ hâc, ac quantum mutationes tempeſtatis à ſudo in pluvium ſtatum in commotione ſeri valeant, tum alia à ſerosâ colluvie oriunda, tum inprimis hoc deſignat ſymptoma, quamobrem eleganter, juxta *Piſonem*, ἐξονειρωγμὸς certiſſimus præco dicitur pluvii ac uvidi cœli. Experitur hunc macrocoſmi conſenſum in corpore ſuo noſter quoque, cum inſtante talismodi vice affectum patiatur.

MOTUS corporis, quo fortiori & delectatum & uſum refert hiſtoria, non minimum addidit momentum: ἐξονειρωκτικοὶ γάρ εἰσιν οἱ κοπιῶντες, autore *Theophraſto l. de laſſit. qui enim fatigantur, ſolent noctu genitura pollui.*

Ut verò omnis motus excedens agitando & concutiendo materiam ſpermaticam reddit calidiorem, ita inprimis equitatio crebra inſtituta, ut venerem, ita etiam pollutionem nocturnam excitare potis eſt: Renibus enim, quos inprimis exercet, ſubjectisque partibus genitalibus agitatione hâc incaleſcentibus, non poteſt non oriri humorum major rarefactio, ſubtiliſatio, ac, ut *Hippocratico* utamur termino, ſpumeſcentia, exinde verò vaſa irritari & ad excretionem incitari neceſſum eſt.

Nec obſtat, quod *Cous l. de aer. aq. & loc.* de Scythis ait, illos ob juges & aſſiduas equitationes minus ad venerem incitari, quàm alias gentes; Nam hoc per accidens fit, ob frigiditatem,

ditatem, humiditatem, obesitatem, & imbecillitatem corporis, partim ex desidiâ, partim verò ex frigiditate & humiditate regionis contractam.

Saltatio itidem in excessu peccans suum ἐπίβλαβον μέρος addidit, inprimis vehemens: quia & hæc calefaciendo motus in quiete constitutos excitat, humores fundit, adeoque ad hunc affectum procreandum addit stimulum.

Cibus & Potus summoperè etiam accusandi veniunt: Nam gulæ deliciis fuit deditus, & principio *quantitate* peccantia ingessit alimenta; quæ sanè fomitem suum non minus adjecerunt. Quemadmodum enim sine Cerere & Baccho & friget; sic eorum nimio usu incenditur atq; augetur.

In *qualitate* etiam deliquit, cibis enim delectatus fuit acribus, salsis, piperatis, imò & S. V. & potu tabaci, quod juxta *Monardum de simplicib. medic.* acrimoniam summam sapit; At hæc omnia magnæ sunt efficaciæ ad hoc malum constituendum.

De pipere inprimis, ut & omnibus aromaticis constat, quod ob partes tenues ac spirituosas, sanguinem attenuandi, eumque suâ acrimoniâ alterandi vim habeant, unde & uberius ac acrius generatum semen, ob ὁρμὴν hanc & acrimoniam partes irritat genitales ad expulsionem.

Nec Somnus abludit, sive attendamus tempus, sive decumbendi modum supinum, hic enim inprimis πρὸς τὸν ἐξονειρωγμὸν συνεργεῖ, *ad pollutionem nocturnam cooperatur*, unde tum renes tum vasa sanguiflua majora incalescere par fuit, tum in ipso quoque cerebro serum minus aptè in vasa recipi potuit, præcipuè cum post mediam noctem peractâ concoctione & novus vigor membris accesserit, accessione etiam suâ factâ ad genitalia vasa, & lusus suos tum phantasia magis exerceat, non adeò, ut primo somno, cerebri poris clausis, nec ita fortiter ligato primo sensorio.

Lassata hinc prius à prægressis lucubrationibus in multam noctem productis natura, eò promptius abire passa fuit, quo & onerabatur, & ad excernendum accipiebat calcar, sui quasi magis de nocte juris.

Tandem & vita cœlebs & prima amoris germina ob servitia virgini hactenus præstita plurimum contulêre; Si enim somnia speculum quasi exhibent interdiu obversantium objectorum, quid mirum, somnia venerea in nostro delectata sibi relictam phantasiam & delusionem talem consecutam, quam vigilans somniabat.

Perlustratis nunc affectus hujus causis, ad agmen symptomatum insequentium ut nos convertamus, operæ pretium ducimus.

1. *Oculorum caligo* adscribenda venit non tam organo, quod salvum est, quàm nervis dissolutis, & continuatâ excretione imminutis: Fatalis enim oculis cum testibus intercedit communio, unde & hi vel potissimum compatiuntur, eoq; magis, quò sæpius involuntariè semen emittitur.

2. *Ani-*

2. *Animus mœstus*, est ob debilitatos & perturbatos antedictos spiritus animales, per hos enim vegetos & in justâ ac debitâ temperie constitutos, toti corpori alacritas & promptitudo perstat, contra ea debilitatos, lassitudo & molestia consequitur. Accedit frustrà impensæ operæ memoria & nocumentorum variorum metus, animum fatigans.

3. *Memoria vacillat* ob eosdem diminutos & deperditos ~~~tus, ac facultatem animalem debilitatam: si quid enim spermatis, supra quam natura toleret, profluat, obest magis memoriæ, quàm si quadragies tantundem sanguinis emanarit, inquit ex *Abuali* doctrinâ *Gliss. l. de anat. hepat. c.* 45.

4. *Corpus exaret*, ob nutrimenti detractionem, cum enim seminis materia subtilior pars sit sanguinis, per crebram ejusdem ejectionem magis magisque ad restaurandum ablatum sanguis expetitur, sicque quod in nutrimentum cedere debebat, ad testes demittitur, corporiq; subtrahitur.

5. *Sterilitatem* timet, quod à vigore suo desciscere organa persentiscit, & debilitari magis vasa, enervari verò simul semen.

His jam subjungenda est PROGNOSIS. Quoad EVENTUM malum videtur certè non contemnendum; quod per moras longas ulterius invalescens, magis dejicere corporis vires, & tum individuo nocere lassatis & debilitatis actionibus necessariis omnis generis, minari maciem & alia mala, tùm speciei; cum sterilitatem post se trahere posset, perdito vigore seminali, & calore nativo depauperato: Semen enim est crasis & essentia quasi quinta ipsius sanguinis, juxta *Heerium*. Et si per sudorum, ⊡narum, aliarumque excrementorum nimiam evacuationem calidum nostrum magnoperè debilitatur, per seminis, ~~tibus referti, effluvium nimium idem accidere posse, quis dubitabit?

Tantum tamen abest, ut juveni nostro malè ominemur, vel siniſtrum prædicamus eventum; ut potius cum ætati ac temperamento affectus conveniat, argumento 2. *aphor.* 34. fœdum licet & molestum, innoxium, pronunciemus ac securum. Non opus habet ergò ut timeat ac tristetur, quod natura superfluum exoneret, modò commodo victu instituto, vitiosam qualitatem semini non conciliet, eamque corrigi patiatur aptis remediis.

TEMPUS EVENTUS ad votum brevius determinare vix licebit, cùm natura in eo maximè sit occupata, ut vi morbi ablatum, suppeditando sc. novam materiam resarciat, & sic per accidens quasi in longum tempus affectum protrahat, unde licet expellas furcâ, tamen usque recurrit. Adde, cavendum esse, ne semen extinguentibus, contrarium inducamus vitium. Spes tamen est, omnia cessura ad votum, & utut non penitus, donec cum aliâ hanc commutet vitam cœlibem, tolli posse videatur; attamen spes certa est imminutum iri malum & sublatum symptomata

omnia alia, modò dictis audientem se præstet.

Eventus quippè Modum designamus ad salutem, roboratis partibus debilibus, ablato salino stimulo & cacochymiâ correctâ, unde suus maneat membris vigor, nec nisi ad justum exitum deproperet sanguinis magisterium.

Spe hâc freti aggredimur Curationem, methodo medendi per indicationes & materias auxiliorum illis respondentes institutâ.

Curatoria excretionem moderandam suadet, roborando vasa adservantia, & seminis tum copiam, tum ὀργασμὸν ac acrimoniam alterantia ac refrænantia.

Præservatoria causas attendit, cachymiæ biliosæ & serosæ in corpore exsuperanti prospiciendo, ne vel affluat nimis, vel natura vitiosè huic viæ adsvescat.

Vitalis denique vires dissipatas & prostratas restituere, restitutasque conservare allaborat.

Apparatus materierum, quibus indicationibus hisce satisfit, depromitur ex tribus consuetis & usitatis fontibus.

E Chirurgia mutuabimur salutare illud & inter remedia universalia generosissimum Venæ Sectionem: Cum enim non solùm juvenilis ætas, sed & temperamentum calidum, virésque adhuc satis constantes illam admittant, ac victus præcessus ad proventum largiorem sanguinis juxta ac seminis multum fecerit, nulli dubitamus, quin admodum proficua futura sit. Hæc æstuantem ac servidiorem sanguinem temperabit ac corriget; abundantem & semini materiam superfluam suppeditantem (ejus aliquam partem exhauriendo) imminuet; cum impetu quasi ad officinam seminis generationi dicatam properantem ad alias partes divertet, totum denique corpus ab æstu nimio liberabit, sicque per accidens refrigerabit.

Nec Cucurbitulæ scarificatæ erunt de nihilo, quæ & ipsæ leniter ventilabunt, & ad intercutanea spatia educent sanguinem.

His felici, ut speramus, cum successu peractis compellamus Pharmaciam, quæ ut intemperies viscerum calida commodius alterari & emendari possit, tum *alterantia*, tum *evacuantia* suppeditat.

Ex Lenientibus commendamus ea, quæ simul ipsam acrimoniam respiciunt, mitigant & contemperant, & humores leniter ad alvum divertunt. Inter hæc autem *cassia fistularis*, quæ juxta *Hoffm. l. 1. de medic. offic. cap. 7.* in acrioribus tàm internis, quàm externis, ut & in iis, in quibus præsupponuntur calidi renes, insigne est remedium, primam meretur laudem: *manna, tamarindi, sir. de cichor.* cum *rhab. sir. ros. sol.* & alia commodè adjunguntur.

℞. *Aq. cich. nymph. plantag. ana* ℥i.
elect. diaprun. sol. ʒß.
man. el. ʒiij.
crystall. ♀ri ♂l. gr. xv.
sir. de

ſir. de cichor. cum *rhab.* ʒß.
M. F. l. a. Potio.

S. Laxiertränckleín.

℞. *decoct. pulp. tamarind. c. ſer. capr.* ʒiij.
mann. alex. in morſul. ʒij.
ſir. de cichor. cum rhab. de pom. ana ʒß.

M. F. Potio. S. ut ſupra.

℞. *pulp. tamarind. caſſ. rec. extr. ana* ʒij.
cryſtall. ♀*ri* ℈j.
ſacch. ♄*ni g. v.*
elæoſacch. aniſ.
M. F. l. a. Bolus.

S. Laxierbiſſen auf einmal.

℞. *pulp. caſſ. rec. extr.* ʒß.
terebinth. venet. cum ▽ *malv. lot.* ʒß.
camph. g. iij.
ſir. de alth. Fernel. q. ſ.

M. F. l. a. cum ſacch. Bolus. S. ut ſupra.

Lenitis & mitigatis humoribus ferocientibus, quæ enim hîc recenſeri poſſent Præparantia, ex alterantibus poſt dicendis mutuari facile eſt, ad Purgantia nos convertimus, eo tamen cum ſelectu, ut *ſcammoniatis*, *helleboratis*, aliisque μοχθηροῖς parcius utamur, quæ nimirum humores turbant & acrimoniâ ſuâ ac calidiori facultate vicina vaſa genitalia magis ad excernendum ſtimulant, ſeu quæ acrimoniam humorum ſuâ irritant.

℞. ▽ *cichor. endiv. ana* ʒi.
ſpec. diaturbith. cum rhab. ʒß.
ſir. ros. ſoluc. ʒvi.
M. F. l. a. Potio.

S. Purgiertränckleín auf einmal.

℞. *conſerv. roſ. rub.* ʒiß.
rhab. electi. ℈ij.
℔ *dulcif. gr. vj.*
ſir. cich. cum rhab. & ſacch. q. ſ.
M. F. l. a. Bolus.

S. Purgierbiſſen.

℞. *ſpec. diatereb. Mynſ. diagalap. ejusd. ana gr. xv.*
☉ ☽*iat. g. v.*
M. F. pulvis D. in chart.

S. Purgierpülverlein.

Vomitoria etiam locum habere ad revellendam materiam acrem, & primas vias à cruditatibus, quas æger abundè diætæ erroribus collegit, liberandas, haud eget probatione, qualia ſequentia eſſe poſſent:

℞. ♀*ri emet. g. ij.*
conſerv. roſ. ʒi.
ſacch. q. ſ.
M. F. Bolus.

S. Brechbiſſen.

℞. ♁ ☉*li* ℈j.
▽ *endiv. acetoſ. ana* ʒi.
ſyr. fl. perſic. ʒvi.

M. S. Brechtränckleín.

℞. *Extract. rhab.* vel *centaur. min. gr. vi.*
♀*ri emet. gr. ij.*
elix. propriet. q. ſ.
M. F. l. a. Pil. N. iv.

S. Brechpillen.

Verùm cum oculorum debilitas obſtet, ſatius ducimus in καταστεγνοῖς acquieſcere, ne affluxus major ad oculos derivetur.

Diaphoretica his veniunt ſubjungenda temperatiora, quæ materiam ſeroſam, acrem & tenuem, facileque ſpumeſcentem abſorbendi,

disjiciendi atque præcipitandi vim habent.

℞. *Rob. ebul. ʒi.*
bez. ♂lis ℈ß.
☿ diaphoret. gr. iv.
M. F. l. a. Bolus.

S. Schwitzbissen.

℞. *Terr. sigill. alb. ebor. ſ. △ ppt.*
C.C.ust. ☿ diaphoret. ♂lis an. ℈j.
alcahest. mineral. ℈ß.
bezoard. ☉ gr. vi.
M. F. l. a. Pulvis.

S. Schwitzpülverlein auf 3 mal.

Inter DIURETICA illa ex usu esse queunt, quæ sanguinem non ita fundunt, nec colliquant, vel saltim ea cautius adhibenda, inprimis verò temperatiora.

℞. *MP. de terebinth. ʒi.*
extr. solan. vesic. succin. panac. Glaub. ana ℈ß.
M. cum essent. succin.
F. l. a. Pilulæ.

S. Nierenpillen.

℞. *Mag. lap. ♋ cryſtall. ana ʒß.*
terebinth. venet. ad durit.
c. ▽ malv. coct. succin. alb. ppt. ana ℈i.

M. S. Harntreibendes Pülverlein.

℞. *Rᵃ ♄ni cum ~ terebinth. fact. ʒß.*
camph. ℈ß.

M. S. Nierenöl.

ALTERANTIA denique & CONFORTANTIA specifica cum internata tum externa ex triplici regno desumpta, reliquis colophonem addent.

℞. *Rᵃ ⊕li ♂ ♄nisat. ʒij.*
D. in vitro. gtt. 16. pro dosi.

℞. *Rᵃ corall. cum phlegm. ⊕li ʒiß.*
D. In vitro.

℞. *essent. lignor. comp. D. D. Præsid.*
⊕li ♂t. ejusd. ana ʒß.
M. In vitro.

S. Mixtur.

℞. *Magist. oss. sep. ʒij.*
corall. succin.
ebor. sine △ ana ℈i.
☹ terebinth. venet. ʒß.
camph. gr. vj.
M. F. Pulvis.

S. Stärckendes Pulver.

℞. *Sem. 4. frig. maj. ana ℈ij.*
portul. acetos. ana ℈i.
fl. nymph. ros. ana ʒß.
gumm. tragacanth. g. xv.
camph. gr. v.
lign. sandal. rubr. ʒß.
M. F. l. a. Pulvis.

℞. *Sem. vitic. ʒi.*
croc. ♂ astr. terr. jappon. ppt.
ſpod. ppt. ana ℈i.
sacch. ♄ni ℈ß.
M. F. l. a. Pulvis.

℞. *Emuls. cannabin. Mynſ. ʒviij.*

S. Alterier-Milch.

℞. *Sem. 4. frig. maj. ana ʒij.*
papav. alb. ʒß.
cannab. ʒi.
▽ solan. plantag. nymph. lactuc. ana ʒij.
F. l. a. Emulsio.

adde *magist. oss. sep. ʒi.*
ſir. papav. simpl. q. ſ. ad grat.
D. in fict. S. Ut supra.

℞. *Conſ. ros. rubr.*
⊕lat. rut. ana ʒi.

Spec.

spec. diatr. sand. mag. oss. sep. ana ʒi.
corall. rubr. succin. alb. ppt. ana ʒij.
sem. vitic. ʒß.
syr. corall. Q. q. s.
M. F. l. a. Electuarium.

S. Stopfflatwerg.

EXTERNA maximè etiam hîc in usum sunt vocanda, præprimis frigida lumbis subdita, e. g. *portulaca, cicutæ, fol. viticis, rutæ, calaminthæ &c.*

Neque *fragaria* prætereunda erit, quam in vino rubro coctam, & aliquoties pubi & pectini impositam, in pollutione nocturnâ efficacissimam comperit *Simon Pauli Botan. Quadrip. p. 307.*

Optimum quoque est, laminam plumbeam tenuem, sive integram sive multis in locis perforatam, lumbis alligare. Sin delectetur operosioribus, ex prædictis herbis refrigerantibus quædam arefactæ & in sacculum consutæ substernantur, quibus maximè rosæ commisceantur; prosunt enim hæc citra renum læsionem. Nam vehementes refrigerationes eorum, quæ lumbis subduntur, renes injuriâ afficiunt, inquit *Aetius.* Vanus tamen metus est, à plumbeâ laminâ arenam in renibus congeri & calculum produci.

Smaragdus etiam libidinosa arcere phantasmata exterius loco amuleti gestatus, perhibetur. Ex *Ungventis* conveniunt: *refrig. Gal. album camphor. rosat. Mesue* &c.

℞. *Ungu. ros. Mes. comitiss.* ana ʒß
ol. rut. nigr. ƷB.
M. in fictili.

S. Lendensälblein.

℞. *Empl. de hyosc.* ℏ *nin. D. D. Præs.* ana ʒß.
sacch. ℏ *ni* ʒi.
camph. ƷI. M.
c. ol. nymph. q. s.
F. l. a. Empl.

S. Nierenpflaster.

Ceratum sandalinum alutæ inductum hepatisque regioni applicatum, celebratur à *Timæo l. 3. cas. medic. p.* 189.

FONTEM deniq; DIÆTETICUM brevibus etiam dum sumus perlustraturi, triplex nobis observanda venit diæta, *Vitalis, Naturalis & Animalis.*

In VITALI AER sit temperatus, ad siccum & frigidum vergens: calidus enim nimis ut liquat humores; ità frigidus concentrat. Radiis ☉is & ☽æ ne nimium se exponat.

In NATURALI CIBIS moderatè utatur, atque iis, qui boni sunt succi, facilisque digestionis; vitandi sunt cibi saliti, aromatisati, acres, fumo & sale macerati, flatulenti, multum seminis generantes, carnes suillæ, lacticinia, frixa.

POTUS sit cerevisia tenuis, optimè fermentata, non nimis lupulata, triticea, vinum potens fugiatur, neque nisi maximè temperatum & ὀλιγοφόρον concedatur.

In ANIMALI SOMNUS sit moderatus, in cubili frigido; decubitus fiat in latus dextrum vel sinistrum, vitato situ supino, ne vasa circa lum-

borum regionem incalescant. Optimum est, elato capite decumbere, quo pacto nec in dorsum facile erit resupinari; quo solo consilio alios quoque plurimos novimus optimè se præservasse ab hoc malo. Vitentur culcitræ plumis refertæ; eligantur, quæ lanâ aut gossipio farctæ sunt.

VIGILIÆ etiam naturalem cum somno servent συμμετρίαν.

MOTUS modum non excedat, omnis enim nimius ad mali proventum confert.

QUIES quoque nimia evitetur, & lucubratio post cœnam immoderatior, utpote quæ mater hypochondriaci affectus & aliorum ingentium malorum existit.

ALVUS & vesica urinaria, quantum licet officio suo tempestivâ dejectione etiam noctu, si urgeant, satisfaciant, ne vel intestinum rectum, vel vesica repleta ob viciniam premat & afficiat simul vasa spermatica, unde augmentum pollutionis.

Inter ANIMI PATHEMATA relegentur amor & libido omnis. Cogitationes, sermones, oculi, aures castitati consecrentur. Neque verò ob hanc ipsam juvenilem molestiam vel tantillum contristetur, more illorum, qui anxio eam versantes animo plus mœrore hoc, quàm ipso affectu sibi nocent.

Ultimum consilium est conjugium legitimum, quo uti multi à pollutione nocturnâ evasêre immunes: ita etiam nostro id erit omnium convenientissimum.

CASUS XXI.

De CHLOROSI.

VIRGO ætat. XXII. annor. habitu corporis gracili, & longiori paululum statura, pallidoque faciei colore prædita, postquam varios aliquandiu in Diætâ commisisset errores, cibis potissimum acidis, & crassi succi delectata, & aliquoties choreis mox à pastu institutis, multamque in noctem productis unà interfuisset, manè verò è lecto surgens potu frigido jejunum obruere ventriculum consuevisset, paulo post finitô somnô quandam in facie & palpebris intumescentiam observare cœpit, accessit ciborum, præsertim evchymorum fastidium, quod mensium suppressio, hactenus continuans, cum dolore capitis diuturnô & gravante, excepit. Conqueritur nunc insuper, quod etiam ad leviorem corporis motum palpitatione cordis satis molestâ corripiatur, pulsationes in temporibus sentiat, neque absque insigni respirandi difficultate, & lassitu-

lassitudine scalas adscendere valeat. Pulsus plerumq; celer ac frequens, xx. debilisque apparet, & aliqualis in pedibus tumor conspicitur. Graviora metuens Medici opem expetit.

RESOLUTIO

AFFECTUS, cum quo *Ægra* nostra conflictatur, est χλώρωσις, ἀπὸ τῆ χλωρῆ, quô *color* ex *virore pallescens*, innuitur nomen habens; Malum *virginibus* familiare; unde Latinis *Febris virginea* vel *alba*, *morbus* item *virgineus* dici suevit. Plura ad *Etymologiam* pertinentia, apud *Sennert. River.* & alios videantur. *Rem* ipsam ut definiamus, est *Chlorosis* (ad mentem *Sennerti* & aliorum) *coloris nativi & floridi in toto corpore, præcipuè autem in facie, in pallidum lividum ac virescentem mutatio, cum virium languore, difficili respiratione, aliisque gravibus symptomatibus conjuncta, ab imminuta depravata nutritione, vasorumque circa uterum imprimis obstructione, originem trahens.* Ex quibus patet, *Affectum* non esse *simplicem*, sed *compositum*, in quô magna *symptomatum* caterva concurrit, unde à variis variè describi solet, prout vel *morbi*, vel *symptomatum* rationem magis respiciunt. Nobis interim iis subscribere lubet, qui *formalem* istius rationem in *coloris nativi* in *p. n.* & pallidum &c. *mutatione* ponunt, culpamque in *vitiatam nutritionem, vasorumque*, quam diximus, *obstructionem* transferunt.

Adesse vero hunc Affectum, neque alio nostram virginem laborare, patet. 1. Ex *essentialiter inhærentibus*, in ipsâ mali descriptione occurrentibus, colore sc. nativo in virescentem mutato, cum languore totius, difficili respiratione &c. 2. Ex *Essentialiter consequentibus*, quorum plura in *Historiâ* recensentur, v. g. in *Actionibus naturalibus* occurrit appetitus prostratus, qui ad cibos præcipue ἰυχύμους nauseat, in *vitalibus* palpitatio cordis, temporum pulsatio &c. in *animalibus*, ad leviorem corporis motum oborta lassitudo; in *Qualitatibus* pedum intumescentia &c. patet id 3. quoque ex *Causis* variis prægressis, ita sanè comparatis, ut non potuerint non producere tandem hoc mali genus, cujus rationem in subseq. fusius examinabimus.

SUBJECTUM seu *pars affecta* quænam sit? rogantibus, cum *distinctione* inter *subjectum morbi*, & *causæ* respondemus. *Uterum* sanè cum suis *Vasis* fomitem subministrare, non est, ut quis dubitet, cum juxta *Hipp. lib. de loc. in hom.* Uteri muliebrium morborum omnium sint causæ: hinc *eod. teste*, Menstruis abundantibus morbi ex utero, *sect. 5. aph. 57.* Cujus quidem de *partis naturali* æquè ac *p. n. constitutione* ut prolixè jam agamus, nostri non est instituti; poterit, qui talia desiderat, Anatomicos, præsertim Riolan. *Encheirid. lib. 2. c. 36.*

Rol-

Rolfinc. *O. & M. Generat. dicat. part. c.* 13. aliosque consulere; scopo nostro sufficit, pluribus hanc *generationi* sacram partem esse dotatam *vasis sanguifluis*; quæ quoties in *distribuendo* suo *penso*, vel *solvendo debito lunari* officii rationem negligunt, id genus turbas, de quib⁹ historia loquitur, moveri experientia docet. Morbi v. *subjectum* quod attinet, *totum* id esse *corpus*, tot mutatæ in eodem *qualitates externæ*, de quibus supra mentionem fecimus, testantur.

Causa Immediata & Proxima dum in descriptione nostra ad *obstructionem vasorum uteri* refertur, petenda simul est juxta quosdam, à pororum circa uterum *p. n.* dispositione, tumque imprimis à *naturalis turgescentiæ & fermentationis sanguinis defectu*, in quem, ceu supra innuimus, viscera primæ & secundæ coctioni dicata, officio suo minus rectè fungentia conspirant. Quod dum fit, neque uterus, quæ debet, expurgat, S. M. magis depravatur, ad superiora regurgitat, & in habitum corporis effunditur, ubi non solum partes nutriendas genio suo defraudat, sed etiam livido & virescente colore cutim, seu potius coticulam, defœdat.

Patet hinc Causam Mediatam Proximiorem in Massâ sanguineâ latitare: quæ sicuti tali in Casu particulis viscidis, crassis, & chylosis imperfectioribus scatet, ita *humorum pituitosorum* nomine ut plurimum exprimi solet. Et sanè, si *Ægræ* nostræ *constitutionem*, aliaque, quæ in historia commemorantur, consideramus, non exiguum ejusmodi saburræ apparatum adesse, deprehendemus. Præterquam enim quod ipse corporis, & faciei præsertim, pallidus color talium particularum prædominium confirmet, docent id insuper.

Causæ Mediatæ Remotiores. Nam *temperamento* præditam esse hanc virginem *frigidò*, exactionibus languidioribus, textura corporis tenerâ, aliisque supra enarratis facilè liquet; imò etiamsi naturâ tale non fuisset initiò; *errores in victu commissi* inducere id quam maximè potuissent. Quantum noxæ adferant utero *acida*, non est ignotum; sic nec *cibi crassi succi* melius nutrimentum partibus subministrare possunt; præsertim cum *intempestivo frigidæ potu* ventriculi calor obrutus, & *choreis istis* mox à pastu institutis & in multam noctem continuatis, chylus crudior & indigestus ad receptaculum per vasa lactea concitatus, sicque tota corporis oeconomia maximè turbata fuerit.

Quibus *causis* tùm præsentibus, tùm, ut fieri solet, in totius detrimentum potiùs, quàm emolumentum concurrentibus, mirum non est, tanta Virginem nostram Symptomatum sydrome quasi obrutam, modò de his, modò de illis, modò de singulis, quibus misera affligitur, molestiis conqueri: quarum omnium rationem breviter jam examinabimus.

Adest

Adest itaque I. *pallidus faciei color*, qui sui causam agnoscit nutritionem depravatam, cum enim hoc in affectu crudi, viscidi, serosi, ac lenti abundent humores, subtilior horum portio effervescit, & ab expultrice ad corporis superficiem protrusa, cutim livido pallidoque pingit colore. II. *Intumescentia faciem & palpebras* post longiorem præcipuè *somnum* occupat, eò quod magna serosi sanguinis in tenerioribus hisce partibus restagnantis copia à calore per noctem concluso agitetur, majorque hinc vaporum elevatio, quàm dissipatio oboriatur. III. *Ciborum* secuta insuper est præsertim *euchymorum inappetentia*, quæ à pravis certoque modo corruptis humoribus provenit, qui in ventriculo ob læsam illius coctionem, colliguntur, vel ab aliis partibus eò transferuntur. IV. *Dolor capitis diuturnus* ac *gravans* affligit ob consensum tum uteri, tum ventriculi, dum vapores isti serosi ac crassi ex his visceribus elevati, cerebrum petunt, in poris & cavitatibus seu ventriculis ejus stagnant, ibidemque membranas replendo & distendendo continuum solvunt, & sensationem ejusmodi molestam inducunt. V. *Palpitatio cordis temporumque pulsatio ad leviorem quoque corporis motum* excitatur, propterea quod sanguis crudior, & ex suppressione stagnans retrogrediatur, viscera & imprimis cor gravet, tumque in arteriis temporum, indigestis suis particulis, turbas moveat; præsertim ubi accedente corporis motu saburra illa agitatur, cui debilior flammula vitalis dum non sufficit, reiterato quasi motu se cor exonerare & colligere vires laborat. VI. Hinc *pulsus celer ac frequens*, febricitanti haud dissimilis, ob debilitatem facultatis vitalis sequitur. VII. *Mensium suppressio* accessit, ob nutritionem depravatam, qua laudabilis sanguinis portio hetrogeneis particulis subruitur, hinc viscosi lentique humores in vasis uteri coacervati, certo tempore quidem moventur, sed non promoventur. VIII. *Intumescentia crurum* ac *pedum* tum pituitosi ac crudioris humoris abundantiæ, tum ejus ponderi, quo partes decliviores petit, debetur. IX. *Totius* tandem *corporis segnities ac gravitas* à devolutis ad musculosum corporis habitum serosis humoribus oboritur, id quod eò facilius fieri potest, quod flammula vitalis ex parte quasi suffocata actionibus sibi convenientibus sufficienter præesse nequeat.

Ut verò nostram nunc hoc de Affectu, ratione PROGNOSEOS, sententiam dicamus; non absque omni periculo esse arbitramur. Cum enim pertinaciores, quæ hîc occurrunt, viscerum obstructiones insignem præ se ferant Cacochymiam, non minùs quoque malum ab iisdem foveri atque longius protrahi solet. Hinc *Æginetа*, *Chlorosin* viam ad *Hydropem*, valdè tritam dicit, quæ non rarò in Leucophlegmatiam, à quâ

non niſi gradu differt, degenerat. Interea tamen cum Ægra adhuc in ætatis flore ſit, malumque non tàm *hæreditaria* ab imbecillitate ortum duxerit, quàm varios per errores in diætâ commiſſos incrementum cœperit, ſpes eſt, fore, ut, licet non ſine aliquali morâ, & difficultate id obtineri poſſe videatur, ſenſim tamen Ægra, ſublata cauſa & collectis viribus, priſtinæ ſanitati reſtituatur.

Quod ut fiat, ſine ullâ ſanè dilatione, danda eſt ſedulò opera, ut 1. Coacervati in corpore humores tenaces, atque viſcidi, debitô *incidentium* & *aperientium* vulgò dictorum uſu præparentur. 2. per *purgantia* poſtmodum *evacuentur*; 3 *Menſes* convenienti tempore *promoveantur*, & 4. *Viſcera* coctioni primæ & ſecundæ dicata, appropriatis aromaticis *roborentur*.

Quoad PRIMUM SCOPUM obtinendum, proficuum Ægræ judico, ſi utatur per octiduum quotidiè heris matutinis juſculum carnis, in quo rad. *fœnicul. petroſelin. aſparag.* cum flor. *helenij. borrag. anthus* &c. fuerint decoct. cum quô veluti vehiculo unà ſumi poterit ſeq. Tinctur.

℞. *Tinct. ♂cum ſucc. pomor. parat.* ʒiß.
Eſſent. Cent. min. ℈j.
Spir. meliſſ anth. aa. ℈ß.
M. S. Eröffnende *Tinctur.*

Sumat verò Ægra pro qualibet doſi gutt. XXV.

A meridiè proderit pulv. qui

℞. *Pulv. Cachect.* ℥. ʒj.
Fœcul. aron. ℈iß.
bryon. ℈ßgr. V.
Crem. Tartar.
Stomach. Birckm. ℈j.
M. F. Pulvis.
S. Pulver auf etlichmal.

Sumatur ℈j. l. ʒß. cum vino, in quo rad. *Caryophyllat. pimpinell.* herb. *meliſſ. Ceterach. Flor. borrag. anth.* Cortic. *aurant. &c.* infundantur.

SECUNDÆ INDICATIONI ut ſatisfiat, non tàm ſemel & ſimul, quàm potiùs per ἐπίκρασιν humores craſſos & viſcidos educendos arbitror. Num *electivè purgantia* dentur? jam non eſt, ut prolixè examinemus, Confer. hâc de quæſtion. *Excell. Dn. D. Wedel. de Med. Facult. lib. 2. ſect. 2. c. 3.* Virgini noſtræ ſuadeo uſum *vini medicati*, cujus manè & à meridiè hauſtum mediocrem bibat. e. g.

℞. *rad. polypod. q.* ʒß.
pimpinell. ʒij.
Herb. meliſſ. Chamædr. aa. Mß.
Flor. Cheyr. roriſm. aa. p. j.
Paſſul. min. ʒiß.
Fol. ſen. opt. mundat. ʒßʒij.
Rhabar. el. ver. ʒiß.
Agaric. in pet. lig. ʒiiß.
Tartar. crud. ʒij.
ſpec. aq. vit. mul. ℥j.
Miſc. inciſ. d. ad Chart.
S. Laxirende Species in drey ächt maaß Wein.

Uſu hujus vini purgantis finitô procul dubio de V. S. quæſtio movebitur;

bitur; nisi enim hæc *purgationem* excipiat, plebecula Medicum à scopo aberrasse, saltem generosum remedium neglexisse, censet; Verùm cum vera Methodus indicationibus nitatur, nostraque Virgo non tàm *plethorica*, quam *Cachectica* sit, affectusque ipse jam aliquandiu duraverit, V. S. differri in commodius tempus, quod consuetus aliàs Naturæ motus innuet, posse, & tum demum in pede parcè instituendam esse, arbitror.

Interea aliquot ante Novilunium diebus, ad implendam INDICATIONEM TERTIAM commodè Ægræ nostræ propinabuntur ἐμμηναγογὰ sive menses moventia e. g.

℞. *Elix. Uterin. Horst.* ℥j.
Tinct. Calendul. ʒij.
Spirit. puleg. ʒi.
M. S. Sonderlich Elixir.

Sumatur hujus manè cum *aq. aperitiv.* Schröder. vel cum jusculo carnis cum rad *petrosel.* &c. gutt. XXV. & repetatur usus à meridie cum vino, cui cortic. aurant. infundi poterunt. Huic scopo pariter inserviunt *pediluv.* ex herb. *arthemis. meliss. puleg.* Flor. *Chamomill.* summit. *aneth.* &c. sub somni tempus usurpanda. Quibus nisi eventus respondeat optatus, parca V. S. in pede, ceu dixi, administranda, ad sollicitandum naturæ motum, non intempestivè in subsidium vocabitur.

QUARTÆ INDICATIONI, quæ Viscerum roborationem urget, præter laudabilem *Diætam*, stomachica, tùm *externa*, tùm *interna* non infeliciter succurrent; in tantô horum apparatu, commendo Ægræ nostræ seqq.

℞ *Elix. proprietat. Paracels.* ℥i.
Ess. Cardiac. ʒij.
Spirit. Menth. meliss. ana. ʒi.
M. S. Magenstärckendes Elixir.

Sumat singulis diebus manè cum jusculo carnis, gutt. XX.

A meridie autem pulverem seq. sumendo pro dosi ʒß. usurpet cum vino melissato.

℞. *Spec. diarrhod. Abb.* ʒß.
Ebor. s. ∆. ppt. ʒij.
Ocul. ♋. ppt. ʒi.
pulv. stomach. Birck. ʒß.
c. pauc. sacch. Misc.
S. Magenstärckendes Pulver.

Stomachi insuper regio seq. balsamo sæpius inungatur:

℞. *Ol. nucist.* ℥iß.
Balsam. peruv. ʒi.
still. mac. menth. ana gt. v.
caryophyllor. gt. iij.
M. S. äusserlicher Magen-Balsam.

Quod si mali pertinacia (uti non rarò his in morbis evenit) horum ἐνέργειαν eluderet, validiora auxilia in usum vocanda judico: hinc tùm *præparantia*, tùm *purgantia* iteranda, & quoad *illa* quidem *Chalybea-*

ta (de quib. *Celeberr. G. Horſt. lib. 5. obſ. 1. 2. & 5.* conſulatur) quoad hæc verò ſerum educentia, e. g. *Magiſt. Gialapp. Gumm. gutt. &c.* dextrè uſurpanda commendarem; non negiectis quoque *ſudoriferis*, ſerum in habitu corporis pariter, ac vaſis redundans, diſcutientibus, & repetitis poſtmodum ſubinde *roborantibus:* qualia apud laudat. Horſt. Timæum & alios plura occurrunt.

Quibus omnibus legitima *Victus ratio* coronidem imponat. *Aër* itaque ambiens calidus & ſiccus eligatur; Quoad *Alimenta* verò vitentur imprimis frigida & humida, cibique omnes δύσπεπτοι; hinc à fructibus, lacticiniis, piſcibus ferè pleriſque, omnibusque crudis, & craſſioris ſucci carnibus abſtineat; iis contrà potius utatur cibis, qui calefaciendi facultate pollent, uti ſunt juſcula vini cum aromatibus & ſaccharo præparata, brodia carnium cum ſem. *fœniculi, aniſi, carvi*, vel etiam cum *mace & croco*, & quas ſupra commendavi, *radicibus petroſelin.* aliisque aperientibus. Carnes e. g. *Gallin. Vitulin. juvencor.* &c. aſſatæ potius ſint, quàm elixæ, & frequenter cum *mace, cinamom. ſalv. thym. majoran. roriſmarin. &c.* condiantur. Panis non nimis recens, & benè fermentatus, cui aliquid ſem. carvi l. fœnicul. admiſtum ſit, eligatur. Potus ſit vinum tenue, in quo *rad. helen.* & *Cort. aurant.* cum *meliſſ.* ceu ſuprà innui, infundantur. Quod ſi verò vino vel non ſit aſſueta, vel non lubenter utatur, Decoct. ex ſem. coriandr. rad. Galang. paucô Cinamom. & lign. ſaſſafr. paratum ſubſtitui poterit. Ubique verò tàm circa *potulenta*, quàm *eſculenta*, mediocritatem obſervet. Cumque ad levem corporis motum palpitatio cordis immineat, moderatô admodum exercitio utatur. Neque nimis diu dormiat, ſic enim excrementa in corpore juſtô diutius detinentur; quorum evacuationes omni potius ſtudio promoveri debent. Præſertim menſibus inſtantibus eò erit laborandum, ut ea, quæ illorum fluxum adjuvare poſſunt, minimè negligantur. Proinde, præter jam commendata, hauſtus vini aromatiſati, cum crocô, Galanga & ſaccharo &c. huic quoq; ſcopo multum inſerviet, ſi præcedentibus diebus, bis calidè ſumatur. Animi πάθήματα, cùm facilè ſanguinem & ſpiritus turbent, datâ diligenter operâ moderentur, triſtitiâq; inprimis & mœrore, quantum fieri poteſt, abeſſe juſſis, quorum locum potiùs moderatum gaudium, ſpiritus reſtaurans, & alacriores reddens, occupet.

CAS.

CASUS XXII.

De

FURORE UTERINO.

VIrgo Gallica, nobilis jamque nubilis, vitam otiosam ducens, calida diæta utens, postquam amorem clandestinum cum ignobili quodam contraxerat, cui tamen innuere recusabant Parentes, insomniis fatigatur; jam aliquot dies incipit vociferari, locum qui nos ab altero sexu distinguit ostendere, lasciva cantare, torvum tueri, & Bacchæ bacchanti si velit quis adversarier, ex insana insaniorem reddit. Imo nisi à robustissimis vinculis & duobus imo tribus viris in lecto retinetur, totis artubus ignem concipit, nuda prosilit, & si quis masculus ipsi obviam factus, in illum ferociter ruit, utque Veneri sacra faciat, lasciva petit; perpetuò fermè vigilat,

Scintillant oculi, mala mens, oratio blanda;

facies in totum igneścit & tumet; humor mucosus, acris, viscidus, lintea ferè corrodens, per sinum Pudoris, per inordinata temporis intervalla effluit:

- - & teter sesè halitus atris
Faucibus effundens nares contingit odore.

Pulsus præterea vehemens, Lingua exsucca, Macies in corpore toto. Medicus vocatus virginem hanc in carnificinam Gallico-Medicam inducit, ubi post iteratam trigesimam, intra sextum diem, Venæsectionem, cum sanguine simul insanam Mentem, vesanum amorem, charam vitam, caramque simul & ferè divinam virginis pulchritudinem exhausit, cadaver verò Anatomicis subjectum manibus quàm stupenda exhibuerit, Coronis nostræ Disputationis inferet.

RESOLUTIO.

MORBUS, qui ægram affligit, est intemperies acris calida, Cerebri, Uteri, ac partium generationi dicatarum, cum delirio, audaciâ & immoderato Veneris appetitu, ortus à sanguinis & spirituum animaiium propter vehementiorem Amasii impressionem orgasmo, atque ferocia quasi ignea, acrimoniam irritativam conjunctam habente. Voca-

tur vulgo Nymphomania, item Furor uterinus, uteri deliramentum, ex anili Fabula Uterum cum Platone tanquam Animal furibundum concipiente, à Gallis vocatur le Fureur de la matrice. Belgis Mœder-Raſerny. Germ. Mutter-Wahnſucht. Eſtque is morbus, quo Virgines affectæ leguntur Mileſiacæ, de quibus *Plutarchus*, quæ ſe ſuſpenderunt, quod improbæ Veneri non offerre poſſent ſacra; & Lugdunenſes Fœminæ ex alto ſeſe præcipitarunt in fluvios, ex nimio coëundi deſiderio. Datur quoque Lacus in Bœotia Furialis, quo ſi quis biberit, ardore libidinis exardeſcit & in Furorem agitur.

Differt verò hic morbus *ab aliis delirii generibus*, quia Nymphomania tota in venere verſatur, & nihil aliud affectæ imaginantur aut loquuntur, quàm de συνουσία, corporeisque deliciis *A ſuffocatione uteri*, quòd morbo tentatæ ſint garrulæ, iracundæ & inquietæ; in ſuffocatione verò Uteri mulieres manent attonitæ ſine motu & loquela ac cum exigua reſpiratione.

Pars affecta eſt Cerebrum, cum quo per conſenſum afficiuntur partes generationi vacantes. Cerebrum verò affici patet ex functionum principum læſione; Uterum, ex humore acri è ſinu pudoris affluente. Afficitur quoq; totum corpus, quod ex macie aliisque phænomenis patet.

Causa procatarctica morbi eſt calida diæta, qua ægra uſa eſt, i. e. Cibis multo Θe Volatili & Sulphure ſcatentibus, qui tantam effervescentiam in corpore effecerunt, ut particulas quasdam craſſiuſculas & nonnihil viſcoſas pori arteriarum transmiſerint, quæ alias non fuiſſent egreſſæ. Poſſunt enim pori arteriarum peccare, (1) *cum nimis patuli ſunt*, ita ut craſſiores quam ſolebant particulæ extravaſentur, quæ in partibus hærendo producant obſtructiones, poſtea dolores, deniq; Inflammationes. (2) *Cum pori contorſione aliam figuram acquirunt*, ita ut partes acres à ſe dimittant, quæ ſua acredine dolores excitant. (3) Etiam pori peccare poſſunt *nimiâ anguſtiâ*, ita ut non transmittant particulas, quas admittere debebant, hinc ſi ſiſtantur particulæ illæ acres, lancinando quaquaverſum dolores inſignes pariunt. Videmus jam noſtro in caſu poros Cerebri & Uteri peccaſſe, primo & ſecundo modo. *Primo* dum craſſiores viſcoſæ in Cerebro particulæ extravaſatæ fuerunt, quæ obſtructionem, poſtea inflammationem produxerunt, & antecedentem hujus morbi cauſam præbuerunt. *Secundo* dum pori aliam figuram nacti particulas acres ſalinas à ſe dimiſerunt, quæ in partibus venereis actionibus dicatis hærendo, ſuaq; acredine vellicando, pruritum, titillationem, deniq; dolorem pepererunt.

Causa antecedens eſt diſpoſitio indè enata ſanguinis & ſpirituum animalium fervida, ſeu ignea ſulphureo-ſalina acris, quæ ad Cerebrum dehinc ad Uterum delata, atq; utrinq; in orgaſmum acta, proxima ac immediata Affectus noſtri cauſa facta eſt. Hic

verò

verò ad concipiendum clarius modum, quo Cerebrum & Uterus in dicto casu afficitur, de Cerebro & Utero nonnulla inferenda erunt.

Cerebrum itaq; concipio, tanquam contextum innumerabilium fibrillarum tenuissimarum, sibi mutuo intertextarum, plus minusve rotundarum, non quidem Mathematicè, cum natura tanta ἀκείβεια opera sua non exsequatur, sed utcunq; teretium & multis in locis figurarum irregularium. Quapropter ob figuram hanc non tam arctè sibi incumbere possunt, quin aliquos ductus relinquant intermedios, non secus ac inter aliquot cylindros sibi mutuo impositos, remanere videmus per totum decursum spatium aliquod triangulare. Et hæc spatia ferè referunt figuram talem, qualis ex contactu trium pluriumve circulorum oritur, sed inordinatius figuratam, adeò ut in quibusdam locis vix ullum tale intermedium spatium relinquatur. Istos autem canales exiguos secundum fibrarum longitudinem extensos cujuscunq; figuræ vocabimus *tubulos*.

Uterus contextus est innumerabilium vasculorum tam Venosorum quàm arteriosorum, imo Lymphaticorum quoque & nerveorum, id quod videre licet in uteri vasculis cerâ repletis, qualem philiatrorum oculis publicè Lugd. Batav. exhibuit *Dn. Nuckius Anatomicus Arausonienſis Principis*, in quo minima etiam vascula quæ alias visum fugiunt, & non nisi armatis oculis cerni possunt, ad instar minimorum ramusculorum arborum, cerâ rubra, viridi, & Mercurio suo præparato subtilissimo repleta, in conspectum venêre. Textura autem illa ramosa non potuit non tam arctè sibi incumbere, ut non relinqueret spatiola, quæ *pororum intro-foras & foris intro nomine veniunt*.

Nunc ut in viam redeamus, cùm extra oleas hîc migraverimus, statuimus, particulas crassas, viscidas, in jam dictos Cerebri tubulos adactas, vel totaliter illos obstruxisse, vel partialiter. *Totaliter*, quando corpus obstruens ejusdem figuræ fuit cum obstructis poris, e. gr. si porus fuerit triangularis & particula obstruens etiam triangularis. *Partialiter* verò, quando corpus obstruens non fuit ejusdem figuræ cum obstructis poris, adeoque necessario reliquiæ quædam pororum remanserunt. Ut cum pori rotundi obstruuntur à corporibus triangularibus, aliisq; angulosis, qui itaque non totaliter opplentur, sed reliquiæ quædam pororum remanent, per quos non nisi Materia Primi Elementi *Carteſii* sive æther subtilissimus (qui æther primus ille motor nostri corporis, ut & aliarum omnium rerum in macrocosmo existentium est, teste *Carteſ. Tom. I. Ep. 45. 48.*) fluere potest, ob parvitatem indefinitam, (cùm vacuum in rerum natura non detur) multum istius igneæ materiæ indesinenter illâc fluere cogitur, quæ materia ex sua natura celerrimo motu per hasce angustias, cum determinatione quadam magis versus hanc quàm illam partem Cerebri, torrentis,

imò

imo fulminis instar ruat, prout nempe illi pori aliter atque aliter sunt dispositi, atque æquilibrium spirituum animalium in Cerebro tollunt. Nam cum spiritus in statu naturali in æquilibrio positi sint, minima vis superaccedens hoc æquilibrium tollere valet; quare non mirum est, quòd Materia Primi Elementi ab una parte magis quàm ab alia mota, hoc æquilibrium tollat; æquilibrio jam sublato non placidè & æquis viribus ut ante per Nervos in corpus distribuuntur, sed inordinatis motibus huc atque illuc discurrentes per Cerebrum, & ejus vestigia, *Delirium* producunt.

Nunc ordo jubet, ut ex causis prædictis inflammatione nempe, & ignea ferocia, tum acrimoniâ sanguinis & spirituum propter calidam diætam contracta PHOENOMENA in casu nostro proposita deducam. Et quidem *lasciva* est memorata Virgo, ut *locum scil. ostenderet, qui nos ab altero sexu distinguit, lasciva cantaret, nuda prosiliret, in viros obviam factos rueret, linguam micantem intra labia aliorum vesana vibraret*; non aliundè verò hæc oriebantur, quàm quod per *vitam otiosam & contractum cum ignobili Juvene amorem*, sanguinis & spirituum, tùm in Cerebro, tùm in partibus generationi destinatis, excitatus fuerit orgasmus, hinc; nulla alia Cerebro impressa fuerint vestigia, quàm de ineundo conjugio, celebrandaque lascivis istis gestibus Venere. Nam quotiescunque talia vestigia repræsentantur menti, oritur etiam cogitatio de eisdem objectis, spiritus enim animales dum motu feruntur immodico, neque Anima amplius in eos obtinet imperium, Phaëtontis ad instar solares equos flectere impotentis, in illa vestigia irruunt, quæ cum nihil nisi lasciva contineant, nihil nisi lasciva quoque menti repræsentant, adeò ut Mens, quatenus in cogitatione consistat, minimè deliret, (æque namq; sana est in stultissimis quàm in sapientissimis) sed in eô tantum vitium sit, quod non distinguat benè objecta simul sibi oblata, quæ cum in ægra nostra nulla alia sint, quàm lasciva, oriuntur miræ illæ compositiones & sermones huic ægræ nostræ familiares. In hoc igitur errat mens, dum putat ideas excitari in sese à causa externâ præsenti, cum excitentur reverà tantum à vestigiis Cerebro impressis. Sic etiam præter rationem moribundi dicuntur ratione destitui, eò quod nesciant cogitationes suas proferre, ad interrogata appositè respondere, unde non est, quod mulierculæ tantoperè clamitent, eorumq; misereantur, quasi omnem rationem perdidissent, cum tamen illis in casibus, Mens tanquam suo ergastulo soluta, multò felicius agat & longè diviniora speculetur. Interea *otiosam vitam*, quæ prægressa est in nostra ægra, implevisse talibus vestigiis quoque Cerebrum, *Ovidius* Amoris ille Proto-Notarius jam olim testatus est:

Otia si tollas periêre Cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent, & sine Luce faces.

Quam

Quam Platanus rivo gaudet, quam populus unda,
Et quam limosâ canna palustris humo;
Tam Venus otia amat, finem qui quæris Amori
Cedit amor rebus, res age tutus eris.

Accedit, quod *Virgo* fuerit, nam
Fœmineo magis est usu Venus effera sexu,
Mitior illa Viris.

Imò *nubilis*, juxta Ovidium enim
Prima cupidineis ætas manet apta triumphis;
Non gaudet veteri sanguine mollis Amor.

Porrò etiam natale solum ad hunc Affectum quicquam contulisse dici posset, est enim *Virgo Gallica,*
- - pronumq; genus regionibus illis
In Venerem est, flagrat vitio gentisq; suoq;.

Imò quod lasciva nimis fuerit ante hunc affectum, ex gestibus facilè colligere erat, præprimis ab abominando illo, *dum micantem linguam intra labia aliorum vibraverit*, qui mos Gallis, Italis, Hispanisq; frequentissimus, attamen periculosissimus. (Galli vocant *baiser a la Florentine*, eò quòd maximè sint consueta hæc oscula Florentinis fœminis.) *Dn. D. Joh. Mauritius Hoffmannus* quondam mihi retulit, sibi Patavii notum fuisse Baronem Suecicum, qui ex osculis à fœminâ Lue Venerâ infectâ, labiis impressis, & salivâ per linguam communicatâ, uvulam suam amiserit. Idem quoque Amico meo contigit, qui cùm Gallinas magis quam Gallos Lutetiæ quæsivisset, ex osculo tali Lue Venereâ correptus, miserè animulam suam exspiravit. Tales jam lascivæ impressiones in Cerebro factæ cùm spirituum ope Animæ repræsententur, lege conjunctionis Mentis cum corpore, (quæ consistit in eô solo, quod Mentis cogitationes certas sequantur certi motus in corpore, & quod certos motus in corpore, sequantur certæ perceptiones & cogitationes in Mente;) sic mox quoque in dicta ægra *indecoros corporis motus* introduxerunt, atque effecerunt, hinc ut vociferaretur lasciva, cantaret,

Non peccare putans quod sæpius oscula jungat.

Quemadmodum vice versa quando partes genitales pruriunt, ab acribus sanguinis particulis, ita ut particulæ nerveæ vellicentur, & periculum incurrant ruptionis, tunc in Anima oritur idea titillationis Venereæ & influxus fit Spirituum; Jam verò cùm Spiritus inordinatis motibus hinc illinc discurrant & justo copiosiores influant, facilè patet, cur ægra nostra interdum *à tribus viris, & fortissimis vinculis in Lecto retineri* nequiverit.

Vigiliæ perpetuæ in ægra dein notabantur, excitatæ propter Spirituum animalium motum nimium, ex imaginatione impressisq; phantasiæ vestigiis subsecutum.

Facies in totum igneſcit & tumet, quia Materia Primi Elementi seu æ-

ther ſubtiliſſimus copioſius per humores & ſanguinem prope partem inflammatam cum transfluat, hinc omnes humores cum ſanguine movet & rarefacit, unde *Tumor oritur & inflatio faciei eiuſq; rubor*, unde etiam dependet *Pulſus vehemens.*

Lingua exſucca eſt, ob duplicem rationem, aut (1) quia dum ſerum & partes aqueæ ſanguinis per habitum corporis, vel per alias vias magnâ copiâ extra corpus protruduntur, Lympha vix aliqua pro neceſſaria humectatione fluit ad os, linguam & gulam, quod alias tunc ſenſum ariditis in nobis, & tunc ſitim efficit, quæ ſitis potu ſedari poteſt, cum tantùm proveniat à defectu humidi; aut (2) glandulæ ſalivales ſunt obſtructæ, ut nihil vel parum ſalivæ ſecretæ ad os mittatur, & hinc à dicta cauſa ſi cæteroquin fiat ſitis, potu, licet immodicô, non tollitur, ſed ventriculi coctio & appetitus deſtruitur; quare potius opera danda erit, ut gargarismatis & internis Medicamentis obſtructio reſeretur.

Adhæc Spiritus acres magno impetu in ægra dicta dum ad arvum ſeminale quippe ſalacitatis partem propulſi, acrimoniâ ſuâ titillant & convellunt quaſi vaginam Uterinam, glandulis undique & undique repletam, ad modum mali Citrii compreſſi liquorem exhibentis, vel ſpongiæ aqua repletæ, manuque fortiter compreſſæ, indè pariter *Liquorem profluere* faciunt, *adeò acrem*, ut *lintea corrodat*, *pruritum pudendorum inducat*, *teterrimum quoq; de ſe ſpargat odorem.* Eadem demum acrimonia ſpirituum horumque celerrimus motus, in cauſa eſt, quod *macies ſit in corpore toto.* Cum enim pinguedo nihil aliud ſit, quàm racemi minimi ſubſtantiæ oleoſæ minimis veſiculis contentæ, à quibus ductus peculiares primùm prodire Malpighius obſervavit, qui ſimilem ſuccum oleoſum venis advehunt, (uti id graphicè demonſtravit in Curſu Anatomico *Dn. du Verney*, *Anatomicus Regius Pariſius*) ut acrimoniam ſalium lixivorum in ſanguine temperet, quia particulæ verò illæ pingues, ob ſanguinis acrimoniam hîc nimium ſunt abraſæ, nihil aliud ſequi poteſt, quam ut ſanguis indies deficientibus hisce oleoſis particulis, acrior reddatur, particulæ nutrientes abradantur, & *macies ſic inducatur.*

En Phœnomenorum hoc in Caſu occurrentium origines, nunc ad PROGNOSIN accedamus. Miſerabilis igitur hic Affectus turpisque, & macula honeſtioribus familiis, uti lentè tantum & ſenſim curari, ita denique in Maniam conſummatam degenerare poteſt.

CURATIONEM quod attinet, ante omnia illa inchoanda eſt *à regimine rerum non-naturalium*, adeoque aër eſt eligendus *temperatus*, quod ſi enim *frigidus* corpus noſtrum intrat aut ambit, poros conſtringit Cutaneos, conſtringendo claudit, obſtructionibusque anſam præbet. *Calidus* verò nimiam in corpore efferveſcentiam

tiam auget, particulasque crassas extrudendo inflammationi materiam præbet. *Alimenta* usurpanda sunt tenuia, aquea, insipida, cavendum à salsis, calidioribus multo sale volatili & sulphure constantibus, cum ad Venerem stimulandam maximè sal conducat, ut hinc non adeò insana & vana sit Poëtarum fabula, Venerem ex Saturni testibus in mare projectis & ipsius spuma salina ortam, fictitans, hinc *Ausonius* cecinit:

Orta salo, suscepta solo, patre edita cælo,
Æneadum genitrix - - - Venus.

Vinum si concedi debeat, sit oligophorum, Cerevisia tenuis aquosa, præsertim hordeacea, particulis suis mollibus particulas pungentes acres vaginularum instar recondentibus. Somnus procurandus, quiesque imperanda, imo hypnoticis conciliandа, à nimia tamen dosi cavendum; nam ubi ægri à nimiis vigiliis sunt defatigati, si semel dormiant, vix iterum expergefiunt, id quod ante aliquot septimanas observare licuit Fürthi in Patria mea, in obstetrice, quæ ex parvâ Tincturæ opii dosi, vigiliis antea defatigata, satis cessit. Excretiones quantum possibile promoveantur; Ocium vitetur, (monente *Ovidio:*

Fac monitis fugias otia prima meis,
Hæc ut ames faciunt,)

& laboribus continuis exerceatur. Exhortetur semper talis ægra ad honestatem, & opprobrium ei proponatur nî resipiscat, sic Milesias virgines curatas legimus Lege promulgatâ, ut quæcunque sese, hoc affectu percitæ, necarent, per forum nudæ traherentur. Venere litent cui thura sunt, nam & in maritatis interdum hic Affectus, præsertim illis, quarum mariti ferendis talibus oneribus impares obvenit.

In non maritatis his nihil proficientibus, triplici indicatione curatio instituatur. (1) Sanguinis nimius motus imminuatur; (2) Obstructiones referentur; (3) Acrimonia sanguinis corrigatur. Incipiemus itaq; juxta primam indicationem à Venæsectione tanquam sacrâ anchorâ, quæ bis vel ter eodem die erit, modicè reiteranda, ut vasis sanguineis notabiliter depletis, & non ita distentis, pori illorum magis coarctentur & subsidant, undè tanta copia spirituum in Cerebro deponi non potest, & omnia in corpore fiunt tranquilliora. Locum quod attinet *Rodericus à Castro* Saphænam constituit; nobis sufficit quævis patentior Vena, cum propter sanguinis circulationem in Medicam artem nostram introductam, omnes illæ veterum controversiæ de Venis eligendis, corruant. Unam tamen admittimus distinctionem, nempe si sanguis subtilis uti in hoc casu peccet, Venæsectio in brachio, si crassus terrestris in pede est instituenda; & quidem in Affectibus, illis, ubi sanguinis magnus impetus est, & vires adhuc constantes, melius est affatim illum extrahere, ad levissimum Animi deliquium; in reliquis

Casibus ut in morbis frigidis, non tutò nos tam liberales esse possumus, quam Veteres fuerunt in illâ administranda, eò quod homo facilius in Lypothomiam deturbari quam indè revocari queat.

Rodericus à Castro Cucurbitulas commendat, sed quid quæso illæ præstari possunt? nonne sanæ rationi, & circulo sanguinis repugnat hoc dolorificum remedii genus? Videamus quomodo illæ apponantur, & quem usum præbeant. Candelam ceream primùm iisdem supponunt, undè aër intra eas rarefit, hoc facto eas Cuti apponunt, & aër rarefactus iterum condensatur, ac minorem locum replet, undè fit ut Cutis attollatur intra cucurbitulas, ad locum ab aëre relictum replendum. Has uno atq; altero momento temporis ita applicatas, & in quiete relictas, removent à Cute, illamque ab aëre illo sublatam & attractam, (uti loquuntur) incidunt Lancetta, sic iterum candelam accensam illis supponunt, & tenuiorem ex læsis Vasis capillaribus sanguinem extrahunt, obstructionesque in viciniâ aliquo modo tollunt, sed successus non semper eorum votis respondet: quia sæpè accidit, ut humores ita sint indurati, ut quamvis tubuli majores sint facti, isti propter viscositatem non possint egredi. Imo subtiliori sanguine per cucurbitulas extracto, crassæ remanent, & terrestres particulæ, in corpore, tanquam instrumenta novas obstructiones producentia, (quæ iam in nostro Affectu sunt,) an igitur hoc in casu conducant cucurbitulæ, considerandum illis relinquo, quibus

de meliori luto finxit præcordia Titan.

Veteres Autores curationem absolvere student frigidis, sed nunquam innuunt, quid sint frigida. Et quidem frigida sunt, quæ particulis crassis & immobilibus constant, hisce obstructiones in corpore facere apta nata sunt, jam verò nonne in nostro casu accusavimus obstructiones sanè rederent pertinaciores. *Prosunt* tamen ex frigidis *nitrata*, quæ ex salium sunt natura, quibus deobstruunt potius, quam obstruunt, nullum sal volatile in corpus ingerunt, imo denique parum Materiæ subtilissimæ secum vehunt; accidit enim idem cum nitro, quod cum marmore aut glacie, quibus si manus imponatur, friget: nimirum cùm calor aliàs in nostro corpore sentiatur, quòd certa ætheris copia fluat per ejus poros, unde Tremor inducatur in texturam ejus fibrarum, jam si extrinsecus ponatur impedimentum, quò minùs solita illa ætheris copia affluere possit, statim ille Temporis gradus, qui erat in fibrillis minuitur, atque inde sentitur frigus. Sic e.g. Glacies, marmor, poros habet, per quos parum materiæ P. E. fluit, jam si manus imponatur, impeditur æther, quò minus solitâ copiâ in illam partem irruere queat, atque hinc caloris oritur imminutio seu frigus. Fiat itaque pulvis refrigerans talis.

℞. Lap.

℞. *Lap. Prunell. gr. xv. l. ∋i.*
Camph.
Sacch. Saturn. aa. gr. iij. jv.
Laud. op. gr. j.
M. F. Pulvis.

Camphora enim & *Laud. op.* leniter incrassando faciunt, ut sua spicula salina acria non aderò exserere possit Massa sanguinea.

Confert potissimum etiam *serum Lactis*, præcipue si chalybs in eo sit extinctus, nam Volatile in sanguine aliquatenus remoratur, ob metallicam gravitatem. Nitrum in aqua dissolutum (vel ejus loco Sal prunell.) propinatum, summè quoque prodest in omnibus morbis, ubi sanguinis nimius peccat æstus, & is nimis Volatilis est, ut & ♒ ⊕, qui aperit, & coagulando motum sanguinis retardat, & denique diutiusculè in sanguine hæret.

Prosunt quoque omnia, quæ sanguinis motum compescunt, ut Oc. ♋, Corall. Terra sigill. omnia ♂ta Fol. ☉ & ☽æ, sed hæc omnia subtilissimè debent teri, ne ubi aliàs aperiunt, nunc potius obstructionem pariant.

Inter EXTERNA sequens Oxyrrhodinum (ut levis somnus excitetur) conducit:

℞. *Ol. Rosar. ʒiiß.*
Succ. portulac.
Lactuc.
Solan. aa. ʒij.
▽ *papav.*
Rosar. aa. ʒiij.
Aceti rosacei ʒj.
M. F. Oxyrrhodinum.

Cum Linteis duplicibus capiti tepidè applicandum. Possent verò etiam insuper ad æstum sanguinis coërcendum maximè mihi commendatæ emunctoriorum inunctiones nitrosæ, & sinapismi umbilicales hîc insignis usus esse.

Accedimus *ad secundam & tertiam indicationem, quæ* consistit, *in obstructionum reseratione, & acrimoniâ sanguinis temperandâ;* Ad quas obstructiones in Cerebro & Meningibus reserandas conducit potens sudoriferum, si vires constiterint, particulæ enim sudoriferi, particulas acres secum attollunt, easque volatiles reddendo, extra corpus protrudunt:

℞. ⊖ *Carduib. gr. xviij.*
Bezoard. miner. gr. xij.
Camph. gr. ij.
Laud. op. gr. j.
♒ ⊕ *li gtt. vj.*
▽ *Carduib. ʒij.*
Syr. papav. ʒiij.
M. F. Potio.

Viva Animalia dissecta & Capiti applicata porrò prosunt, quia Calor & Vapor blandus, qui ex iis exhalat, maximè amicus est nostris poris, & conveniens aliquo modo ad obstructiones reserandas in iis.

Pedes quoque contineantur *in balneo* tepido, in quo cocta fuerunt Capita papav. & Fl. Chamomill. & reliquæ herbæ emollientes, ut vapores placidè ad caput ascendant, quæ minorem motum sanguini conciliant, & particulis suis mollibus instar La-

næ, haſtas acusque pungentes, i. e. particulas acres involvunt, & ſic quietem inducunt.

Confert quoq; ob particulas molles, acres, temperantes, ſequens Emulſio:

℞. *Amygd. dule. excorticat.* ℥j.
Contunde in mortario, adde
℧ *decoct. hord.* ℥viij.
Sem. IV. frigid. maj. aa. ℈ij.
papav. ℥ij.
Sacch alb. ℥iß.
Syrup. de papav. ℥ß.
M. F. Emulſio.

Omnia præterea lenientia proſunt, ut Gelatina C. C., hordeata, amylum, & omnia gummata, quia particulæ eorum molles, & ductiles, acrimoniam ſanguinis involvunt, & ſanguinis motum nimium inhibent.

His omnibus nihil conducentibus, *matrimonium*, ſi poſſibile eſt, fiat, idque cum Juvene, aut viro robuſto, & qui ſtrenuum in hoc ludo athletam agere poſſit.

Nunc promiſſis meis memor, quàm infeliciſſimè res geſta ſit cum hac noſtra ægra, paululum annectere lubet. Accerſitus quippe Medicus, vix explorato morbo, inſtitutis intra VI. dies triginta per V. S. revulſionibus & derivationibus, injecto quidem primo Clyſtere acri, cùm tamen ſanguis acrimoniâ peccaret, poſteaque exhibitâ purgatione, ad puarefactum ſemen evacuandum, (juxtà Methodum Gallicam, quam ad oculum delineavit Medicorum Gallicorum Momus *Dn. Moliere*, in Ludo ſcenico, inſcripto: *Le malade imaginaire: ſcilicet Clyſterium donare, poſtea ſeignare enſvitte purgare*) in ultimâ inſtitutâ phlebotomiâ, quæ erat trigeſima grima, ita curavit ſcil. ægram, ut cum ſanguine impurum ſimul ſpiritum efflaverit, incaſto illi Amatori nupturum, quem immundiſſimum vocare ſolent ſpiritum, dum ultimus adhuc de rebus Venereis halitus increbuiſſet, nam

Caſta Venus cygnis vehitur, Venus improba Corvis.

Poſtquam verò Juſſu Parentum in viſcera defunctæ inquirere licuerat, præter Clitoridem mira magnitudine prominentem, ulterius poſtquam curioſas manus admovimus, ovarium ſive teſtes muliebres deprehendimus, maximæ magnitudinis, ovulaque inſperſa piſum, ſi non ſuperantia, certè adæquantia; obſtupuimus horum aſpectu, cùm vix credam tale quid annotatum fuiſſe in Libris Practicorum, excepto *Cl. Blancardo im Hollandſchen Tyden Jahr-Regiſter Ann. I. obſ. XXXV.* qui ſimile exemplum recenſuit; ſed quænam Phænomeni hujus admirandi cauſa? ex ſuperioribus jam conſtat, inſignem adfuiſſe ſanguinis & ſpirituum orgasmum, quid mirum, igitur ſimilem in humore ovulorum factum, ipſa in tantam magnitudinem diſtendiſſe?

CAS.

CASUS XXIII.

De ABORTU.

NObilissima & formosa Fœmina, calidioris, & humidi temperamenti, sexo mense gravida, non ita pridem, circa horam octavam matutinam, die XXII. Novembr. (febribus malignis petechialibus grassantibus,) ætatis anno XXXII. sibi Climacterico, nullâ ceteroquin præviâ causâ externâ, dolores crebros circa ventrem & lumbos, versus pubem & os sacrum desinentes, magnumque ex utero egerendi conatum sentiens, cum copiosæ aquæ & sanguinis ex utero fluxu, fœtum benè formatum, sed mortuum, totôque corporis habitu luteum & ictericum, enormiq; molâ stipatum, cum secundinâ livida planè, inter animi deliquia minimè simulata, excluſit. Cum verò prædicta Matrona jam binâ vice peperisset filios, intra decendium à partu ictero extinctos; Fœtus hic mortuus, adstantium jussu à me dissectus, monstravit non tantùm ventriculum cum intestinis bile refertum, sed & ipsum hepar aridum, splenem scirrhosum, pulmones corruptos, & cor flaccidum; causas interitûs sat evidentes.

ΕΞΗΓΙΣΙΣ.

ΦΑινομένων horum, Anatomicâ sectione, in id generis Casibus utilissimâ, detectorum brevem per causas explicationem delineaturus, *Fœtum* hunc

Abortivum dico: non quidem propterea, quod *mortuus* fuerit; hoc enim ad abortum minim sufficit, cum etiam perfectos legitimosque fœtus non rarò mortuos in lucem edi, quotidianâ experientiâ constet; Sed quòd ante justum ac legitimum tempus, Uteri expultrice irritatâ, evenerit; in quô formalis ratio abortûs consistit, autore *Galen. l. 3. facult. Natural. c. 12.* Quodnam verò tempus pariendi legitimum sit, inter autores disceptatur. Sunt enim, qui, etsi *sextimestres* & *septimestres* fœtus vitales esse cum non paucis statuant, *octimestres* tamen vitales negent; cum quibus ego tantò minùs sentire possum, quantò rationi magis consentaneum est, octimestres propterea, quòd longius temporis spacium ad eorum perfectionem Naturæ concessum fuerit,

præ

præ reliquis, jam dictis, vitales & esse & judicari debere. Neque est, ut quisquam urgeat *Hippocratus*, partum octimestrem haut vitalem pronunciantis, autoritatem, cùm non tàm ex propriâ, quàm mulierculârum potiùs mente, ita locutus Senex videatur. Ceterum justum partûs terminum mensem ego statuo decimum, quô ipsum Servatorem nostrum JESUM CHRISTUM nasci voluisse, doctorum non pauci contendunt.

Matrem formosam notanter dixi: nam si quis mecum consulat experientiam, deprehendet, formosis maximè & pulchris fœminis præ cœteris gravia morborum ac symptomatum pericula imminere, ut non malè poëta, formam *bonum fragile* & Theophrastus *silentem fraudem* appellârit. At qualis fraus? inquies. Sunt pravi succi in corpore latentes; sunt massæ sanguineæ particulæ bilioſæ & melancholicæ, & ferocientis seri cuspides tactu potiùs, quàm visu perceptibiles. Videas hinc nobiliores fœminas, quæ pulchritudini corporis ac munditiei religiosè nimis student, & vitâ sedentariâ gaudent, longè frequentiùs, quàm vilioris conditionis, sortisque mulierculas, cancrô, idque genus aliis affectibus, obnoxias esse; ut forsan, non sine ratione, hancce Nostram Matronam rarioris formæ suæ elegantiæ aliquam incommodorum partem debere judicem.

Præterea *calidum & humidum Temperamentum*, quô Nostram esse præditam innui, symbolum quoque suum hic contribuisse arbitror. Quamvis enim *Galenus l. 6. de sanit. tuend. c.* 3. temperiem calidam & humidam humanæ naturæ maximè convenientem esse doceat, & ipsemet *Hipp.* vernum tempus, quod saluberrimum esse *3. aphoris. 9.* asserit, calidum humidumque perhibeat *l. 1. de Nat. hum. tx. 35.* certum tamen est, nisi moderatus tantùm calidi & humidi excessus emineat, temperiem talem non modò non saluberrimam, verùm etiam multis morbis obnoxiam esse, vel ipsum hoc fatente *Galeno l. 1. de Temp. c.* 4. usque adeò verissimum hic evadit illud πολυτρήματον, quo, optimi corruptio pessima, dici consuevit.

Cum verò nihil fiat sine causâ, neque huic abortui ea deneganda venit. Hanc ergò Uteri expultricis irritationem superiùs innui. Unde verò tanta irritatio? In præsenti *Casu* à nullâ præviâ *causâ externâ* abortum eveniſſe *notanter dixi:* non quod illam planè ineptam, sive insufficientem judicem, sed quod harum nulla huic effectui occasionem, quantum constat, præbuerit. Aliàs res ipsa loquitur, quanta vis insit causis externis ad provocandum abortum, adeò, ut, si inficias hoc ire vellem, quàm plurimæ mulieres me refutatum irent, quarum alia ex maligno & fœtente aëre; alia ex casu, saltatione alia, ex ira itidem, terrore, metu &c. abortum passa fuit. Sic etiam annotârunt autores fide dignissimi, aliquando gravidam mulierem, cum infantem in

terram

terram cadentem conſpexiſſet, illicò abortum feciſſe: eundemque in aliâ effectum bombardæ exploſionem, in aliâ viperæ tranſitum; in aliâ ſubitam animi conſternationem, præſertim febribus peſtilentialibus, ipsâque peſte graſſantibus, produxiſſe. In *Noſtra* verò nihil tale adverti potuit, ſed *interna* potius *diſpoſitio p. n.* turbas movit, accedente ichoroſi humoris excrementitii maſſæ ſanguineæ permiſti copiâ, unde & mola enaſci potuit, quæ mole ſuâ naturæ moleſtiam creans, dolores, inquam, *circa ventrem & lumbos verſus pubem & os ſacrum deſinentes* excitans, Uteri expultricem ad *egerendi conatum* non tàm elapsò juſtò tempore invitavit, quàm præmaturò potiùs coëgit, ſub ſeqq. *uteri hæmorrhagia & aquoſi humoris fluxu*, velut certis peractæ violentiæ teſtibus.

Paſſa autem eſt hæc triſtia Matrona Noſtra anno ætatis XXXII., quem quòd ipſi maximè *Climactericum* pronunciaverim, movit me quorundam opinio, qui non tàm ætatis annos *ſeptenarios* & *novenarios*, vulgò *Climactericos* dictos, quàm potiùs *Chaldæorum*, ac *Ægyptiorum à Decanis geneſeos* promanantes, intelligendos eſſe putant. Verùm de his, utpote altioris indaginis, erudiri, quàm ſententiam dicere, malo, quippe qui cæteroquin nec temerè ſpernendos annos climactericos, neque nimis religiosè obſervandos eſſe ſtatuo.

Quod verò prodierit Embryo *Ictericus*, mirum videri non debet, quando Mater alios jam filios, à partu *icteroo* correptos peperit, ipſaque valdè bilioſa eſt, hocque præprimis geſtationis tempore ſuperfluæ bilis præternaturalis, & peccantis moleſtias perſenſit; cumque experientia teſtetur, recens natos aliquoties correptos fuiſſe tophis venereis, variolis, leprâ, calculo, quòd Matres iisdem affectibus laborarint, bilioſi quoque humoris abundantiam *Embryoni* à Matre communicari potuiſſe, non eſt, ut in dubium vocemus.

Sponte hinc fluit, quod ſuprà innui, morbos gravidarum ſæpe abortum cauſari, eò quòd non ſolummodò Uterum malè afficiant, ſed etiam fœtum debilitent atque frequenter interficiant, uti hoc manifeſtum fit in febribus malignis, peſte, lipothymiâ, ſyncope & aliis morbis periculoſis gravidarum. Suppetias his dant nativa uteri debilitas, & anguſtia, molæque præſentia, promovent denique tàm triſtem cataſtrophen ipſius fœtus debilitas, morbus, & mors, ſummâque fœtum excernendi difficultas, quæ omnia noſtræ hiſtoriæ propoſitæ certò modò accommodari poſſunt.

A bilioſa enim Matris cacochymiâ Embryoni huic Icterica labes pariter eſt communicata; dumque Mola præcipuam alimenti, tàm per os, quàm vaſa umbilicalia fœtui ſuppeditandi partem in augmentum proprium rapuit, geniò ſuò miſer defraudatus, cum reliquiis ſuccorum pravorum diu benè habere haut potuit, quin potius vitam cum morte commutare eſt coactus.

actus. Nihil enim unquam boni molitur Mola, & rarò hac præsente Embryoni lucem sano adspicere conceditur, quin potius, uti innumera autorum exempla testantur, in Materno utero cerebri, hepatis, lienis, & pulmonum corruptioni obnoxius redditur, sicque tandem, supervenientibus Lipothymiis minimè simulatis, excluditur.

Lipothymiis dico, *minimè simulatis*; propterea quòd non inconsuetum sit fœminis, præsertim parturientibus, morbos simulare, sive ex metu, sive ex verecundia, sive quod è dolore partûs laborare præ nimiâ mollitie detrectent. Non rarò quoque ad evitandam famæ jacturam Medicis imponere conantur; sic legimus, *Argenidem* ob causam similem ex præscripto cadentem sponte vultum collegisse manu, seque ad *Seleniſſam* excipisse, voce demissa, pessime sibi esse, dixisse; quem tamen dolum & morbum simulatum contra Siculum detegere appositè tentavit *Radirobanis* Medicus, non passus suam artem contemni. *Ecquod enim*, ajebat, *mali tanti indicium videtur? Quid vultus? quid labellorum color? num sudor in frigida fronte? num à se dissentiret arteria.* Ita ille! simulatio certe & dissimulatio morborum multa sæpe mala pariunt, ut merito Magistratus morbos simulantes (de quibus peculiarem conscripsit libellum *Galenus*) eâdem quâ falsarios, pœnâ affligat. *Sed* ad rem nostram!

Ipsum igitur *Ictery̆um* quod concernit, Est ille, si formalem ejus rationem consideremus, nihil aliud, quàm *color universi corporis p. n. flavus, citrinus, vel niger, exortus ab excrementitio humore, ejusdem coloris, in corporis habitum effuso.* Hinc patet, quodnam ejus *subjectum*; quæ *causa proxima* sit? Universus nempè corporis habitus p. n. hunc colorem recipit; in flavo quidem Ictero, hepar præcipuè, cum vesiculâ felleâ, in nigro verò Lien affligitur, teste *Galeno 6. de loc. affect. c. 1.* Interdum etiam corrupta bilis in cystide felleâ originem huic malo præbet, quò respicere videtur *Galen. 5. loc. aff. 7.* quando, Non semper in morbô regiô, inquit, affectus locus est hepar, sed quædam alia dispositio hunc affectum inducit, &c. Causa proxima humor excrementitius est, imprimis per cutim effusus: eleganter *Cous l. de humorib.* Humorum color, ait, nisi ii ad profunda corporis se receperint, velut in cute efflorescens conspicitur. Remotiores verò causæ, quas *Galen. d. l. 5. de loc. aff. c. 7.* recenset, commodè ad tres referuntur classes; aliquæ enim bilem copiosiorem generando; aliæ evacuationem impediendo; aliæ tandem cumulatam ad corporis ambitum movendo id præstant. Ab hac *Veterum* doctrinâ non procul abire *Paracelsum, Helmontium* & *Recentiorum* alios videbit, qui istorum meditationes paulô accuratius examinaverit. Quando enim *Paracelsus* à felle ægritudines fieri posse negat, procul dubio bonam, & nutritivam bilem,

lem, vitæ balsamum, intelligit : Sic porrò, dum *Ictheritiam*, uti corruptè loqui amat, *cerebri, cordis, pulmonum, ventriculi, ossium, carnium, sanguinis, ligamentorum, medullarum, oculorum, manum, pedum, suffocationis* denique *hystericæ* refert, in laxissimâ significatione, pro quacunque sc. coloris mutatione, ex quacunque causâ quoquomodo factâ, *Ictheritiam* usurpat. *De coloribus* differens, ùt ùt videatur verbis obscuris, & mirè excogitatis aliquid novi adferre, dum *illos oriri*, ait, *à commixtione salium, & hinc oriri Ictheritiam citrinam ex vitriolo enthalico, & sulphure liquido; nigram ex myseo vitriolo & sulphure dissoluto, quando calor p. n. nimium reverberet, & ita accendat Athlanar microcosmicum, ut liquor accensus etiam calore non tantùm interna, sed & cutim per poros penetret*, exinde tamen *Hipp.* & *Galen.* dogmata, quæ istiusmodi comparationem, artis & naturæ ex operibus deductam, facilè admittunt, tantum abest, ut subvertantur, ut potiùs confirmentur, idque tanto validiùs, quòd ipsemet *Paracelsus* sanguinem, & humores exempli loco proponat. Ita quoque *Helmontio* assentire possumus, quòd *Icterus fiat ex digestionis vitio, & errore digestivæ facultatis, eò quòd stercus liquidum rapiatur sursum, quod infernè purgari debebat; hoc autem vitium causari à veneno anodyno, quod chylum bonum faciat degenerem in stercus liquidum alienando facultatem distributivam, & hinc humores flavescere vitio digestivæ & distributivæ facultatis.* Stercus enim liquidum est ipsa bilis regurgitans sic sc. præternaturaliter in venenum ipsi anodynum dictum degenerans, quia absente stercora alba fiunt & crassa canum excrementa æmulantia, unde merito mala digestio colligenda & pejor distributio, quæ per *alcalia, calcinata, millepedes, lumbricos, stercus anserinum, rhabarbarum, crocum, lapatum acutum, radices berberum, & chelidonii*, sublatâ, ipse cessat *Icterus*.

Quomodo autem ejusmodi Abortus (ut in viam redeuntes finem instituto imponamus) præcaveri possit? operæ potissimum est pretium, ut inquiratur. Suaderem ego Gravidæ, ut medio gestationis tempore pro viis primis evacuandis lene purgans sumeret ex Mannæ ℥ij. & postea sanguinem mitteret non ex venis crurum, sed ex medianâ venâ dextri brachii, hisque præmissis & servatâ bonâ diætâ, omnes res sex naturales complectente, alterantia, bilem edulcorantia, ab Ictero præservantia atque roborantia v. g. *Sir.* corall. agrestæ, acetos. citri, rubi idæi. ceras. acid. *Rob.* rib. berber. ceras. condit. *Pulveres* margarit. corall. & lapid. pretios. C. C. alcis, eboris &c. de *quibus* paulo post, usurparet, uti in aliis, ab hac differentibus corporis constitutionibus, diversa gravidis dari solent. Ita memini, præterita æstate, lue venerea infectam juvenculam gravidam, salivatione à *Mercurio* ritè exhibito excitatâ, non tantùm curatam esse, sed

& abortum hoc modo præcaviſſe, infantemque incolumem peperiſſe.

Quoad DIÆTAM, talis Gravida fugiat *aërem* caliditate aut frigiditate nimiâ excedentem, putridum, fœtentem, herbas fortiter olentes, fumum ſulphuris, caſtorei, lucernarum extinctarum. *Cibi* ſint boni ſucci & facilis coctionis, abſtineat amaris, ſalſis, piperatis, & crudis cibis, atque omnibus aliis rebus bilem augentibus. *Potus* ſit, ſi cereviſiæ adſueta fuerit, cereviſia tenuis defæcata, infuſione radicum caryophillatæ, & corticibus citri condita: ſin vino, bibat album tenue, acidulis, ubi haberi poſſunt, permixtum, quarum loco interdum aliquot guttas Cliſſi poſſet inſtillare.

Ex PHARMACIA, præter ſupra enumerata, geſtationis tempore ſæpe ſumat drachmam unam ſequentis *Electuarii*, & quandoque aqu. deſcriptæ ℥j. proderit etiam uſus rotularum inferius deſcriptarum, ſi unam alteramque per vices aſſumpſerit. Singula enim hæcce medicamenta bilem alterant, ejus fervorem mitigant, vires quoque tum Matris, tum Embryonis, roborant, ipſumque abortum præcavent.

℞. *Conſerv. roſar.* ℥j.
borrag.
bugloſſ.
papav. errat. aa. ʒß.
Cort. citr. condit. ʒiß.
Extr. lign. aloes. ∋ß.
Spec. diamarg. frig. ∋i.
Sir. corallor. q. ſ.
M. F. l. a. Electuar.

℞. *Spec. Diamarg. frig.* ʒij.
Sacchari aq. borrag. ſolut. ʒiiß.
M. f. Rotulæ.

℞. *Balſam. Embryon.* ʒij.
aq. borrag.
bugloſſ. aa. ʒiß.
Tinct. corall. cum ſpiritu panis parat. ʒß.
Sirup. corall. ʒiij. *M.*

Si ſitus nimium urgeat, oris amaritudo moleſtiam pariat, & vomitus accidant, frequenter ſumat ſirupum de agreſta, ſiruptum corallorum, ſuccum citri, in cibo frequenter uſurpet mala citria, ſuccum granatorum, rubi idæi, & poſt cibum ſuccum cydoniorum. Pro ipſo *fœtu* roborando externè abdomini ſæpius linteamine exceptus applicetur Balſamus Embryonum, panis item mellitus aut ſaccharatus vino Hiſpanico irroratus, dorſum inungatur unguento Comitiſſæ compoſito, e. g.

℞. *Unguent. Comitiſſ.* ℥i.
ol. nuciſt. expreſſ. ∋i.
maſtich. elect. ∋ij.
Miſce lent. △, adde ol. ovorum q. s, pro linimentô.

CAS.

CASUS XXIV.

De

EPILEPSIA PUERORUM.

PUerulus quidam, qui unius fere anni spatium emensus, honestis, vegetis, tam publico, quam privato sedulo fungentibus officio parentibus oriundus, nondum ablactatus, omnis generis alios cibos, simul cum lacte matris (quæ acidorum & frigidorum seu delectabatur) capiens, in prandio satis repletus, alvum insolito more habens sicciorem, horis pomeridianis in lectum somnum capessendi gratia repositus, placide quidem requievit, mox autem in somno corpusculum cum anxietate circa præcordia hinc indè movere cœpit, donec ex improviso oculi aperti, labia, mandibulæ, reciproco motu per horæ penè quadrantis spatium convellerentur, à quo paullulum quidem symptomatum cessavit vehementia, mox autem rediit, unde Parentes, spectaculo hoc commoti, sollicite Medici exposcunt consilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, quo noster Æger tenellus laborat, est EPILEPSIA, quod ex symptomatum concurrentium colluvie facilè perspicere licet; I. enim *Actiones læsas* & quidè *depravatas* testantur illi motus clonici oculorum, labiorum, & mandibularum ob nuum animalium impetuosum & inordinatum ad musculos motum, & nihilominus tamen eorum vigorem sensorium fixatum & inhibitum. II. *Anxietas* verò *circa præcordia* ob sanguinis vaporosi impediti orem per pulmones & cor motum oriri videtur. III. Inter *Excreta læsa Alvi siccitas* ob acidas particulas, sive succi pancreatici, sive etiam bilis ex assumtis cò collectas excrementitias intestinorum motum peristalticum cohibentes urget.

Est verò *Epilepsia varia & mixta actionum, præsertim animalium, læsio, cum aliorum symptomatum sæpe concursu, imprimis motus localis depravatus, vel totius corporis, vel certorum saltem ejus membrorum, cum sensuum hebetudine ab aura vitiosa acidâ nus animales & lympham potissimum diversimodè inquinante, dependens.*

SUBIECTUM in nostro ægro po issimum patiens, sive pars recipiens, sunt *Organa sensuum*, qua externorum, qua internorum, quorum agendi facultates & functiones in ipso paroxysmo abolentur, aut nimium imminuuntur; nec non *Musculosæ partes*

earumq; *fibræ*, præsertim oculorum, labiorum, & mandibularum, quamvis sine dubio musculi quoque thoracis & intercostales ipsumq; Diaphragma, ceu primarium respirationis instrumentum, compatiantur. Pars verò mandans non tam Cerebrum, Cerebellum, & Principium nervorum, quam consensualis, *Ventriculus* corrupto acescente chylosò liquore effluvia vitiosa acida exspirante refertus, & nervoso generi communicans hic potissimum attendi debet, Intestinis non exclusis, præsertim tenuioribus.

DIFFERENTIA enim datur inter Epilepsiam *per essentiam*, cujus causa interna & proxima in ipso cerebro & cerebello sedem suam & originem obtinet; & *per consensum*, quæ causam recipit aliunde è ventriculo, liene, utero & similibus. *vid. Willis. d. l. c. 3. aliiq;*. Nostri instituti non concedit ratio, ea prolixius declarare. In nostro verò ægro puerulo *consensualem* esse affectum, extra dubitationis aleam positum est.

CAUSA PROXIMA irritans est Halitus quidem mixtus ex acido ☽oso & ☿laceo, aut Onoso styptico cum ☊ibus animalibus sive ad principium nervorum commune delatus, & sensuum vigorem obtundens, sive in fibras motrices partium affectarum sese insinuans, ibidemque notatam irritationem convulsivam instituens. ANTECEDENS hic gemina concurrere videtur, partim fermenti in ventriculo dispositio vitiosa & acida assumta alimenta facilè corrumpens; partim etiam sanguinis crudis chylosis portionibus multum referti ad fermentationem inordinatam proni mala constitutio. PROCATARCTICÆ in historia recensita duplices occurrunt, quarum quædam ad infantem, quædam ad matrem spectant. *Illæ* sunt vitiosa alimentorum variorum ætati tenellæ inconvenientium assumtio, & per copiam majorem ventriculi aggravatio, ut rite chylificare nequiverit: Hæc est lactis materni vitium, quod acidorum alimentorum & frigidorum frequenti usu contractum est: Qualis enim cibus & potus, talis etiam habetur chylus, lac & sanguis. Nonnulli cum *Willisio* causam proximam per auram explicant, & quidem ☽osam explosivam, qualis excitatur à pulvere pyrio accenso: de cujus tamen universali veritate meritò dubitant alii, ob duas præsertim rationes, (1.) quod febres supervenientes epilepsiam plerumque solvant, causam hujus rarefaciendo & dissolvendo. (2.) prorer curationem sæpe per volatilia, spirituosa, rarefacientia instituendam; Alii spiritum sylvestrem appellant. Ex *Helmontii* hypothesibus *Gas* nomine venire posset, non quidem vitalis, quod lumen est atque balsamus à corruptione præservans, solari lumini adæquatum, sed sylvestris, qui in se est spiritus concretus & corporis more coagulatus, sed accedente fermento excitatur, quemadmodum utriusque Gas naturam prolixius descripsi *tract. Complex. atque Mist. Elem. figm. n. 14.*

n. 14. 21, 42. Caussas antecedentes internas in aliis subjectis occurrentes per essentiam & per consensum ob temporis penuriam non licet hoc loco exponere. Ad *Procatarcticas* aliàs quoque pertinent *Dentitio*, quæ fortassis etiam in nostro infante concurrere potuit, suadente hoc ipsa ætate dentitioni favente; licet in historia mentio non fiat, contagium quoque salivæ per pocula communia communicatum inter caussas Epilepsiæ procatarcticas scil. retulit historia observata à *D. D. Vito Riedlino obs. 33.* Inter caussas procatarcticas haud infrequentes etiam esse solent vermes sive Lumbrici qua Ascarides, quâ Teretes oblongi, quibus pueri obnoxii esse solent sæpissime, quoniam generantur ex crudis portionibus ab infantis cibis copiosis atque corruptis, imprimis carnium & victuum horariorum ingurgitatione, qui postea mordentes fibrosas intestinorum partes interiores, in motus convulsivos irritari & per consensum & interventum halituum acidorum acrium ipsum principium nervorum afficere possunt, *teste Sylvio. d. l. c. 10. De caussis fortuitis & contingentibus*, quales sunt terror ex tonitru, mora longa in balneo, Epilepticus alius repente in terram prostratus videatur *Sennertus Med. Prax. L. 1. part. 2. c. 21.* Alias & *variolæ, morbilli, & febres malignæ acutæ* ansam quoque ad generationem hujus affectus præbere solent, ob sanguinis crudis acidis chylosis aut malignè coagulativis portionibus ac seri effervescentiam halitus vitiosos similes nervoso quoque generi impertientem. Verum de his satis.

Quoad PROGNOSIN: *Ratione effectûs* hic affectus minime lethalis in hoc subjecto, sed salutaris erit. 1. Quia non Essentialis, sed per consensum. 2. Quia non connatus vel hæreditarius, ut ex historia liquet, sed ab errore externo proveniens. 3. Quia recens nec inveteratus. 4. Quia paroxysmi breviores; Longiores enim majorem caussæ peccantis copiam ac vehementiam arguunt, hinc & lethalem eventum afferre, licet à pleniori etiam victu fuerit malum, testatur *Casus VIII. l. 5.* apud *Timæum de Guldenklee.* 5. Quia acidum peccans volatile explosivum cum acrimonia conjunctum. 6. Quia epilepsia ante pubertatem curabilis, Comitiales morbi aut convulsiones epilepticæ, quibus ante pubertatem eveniunt, curationem recipiunt; at quibus eæ veniunt vigesimo quinto ætatis anno maximam partem commoriuntur; cujus rationem petere licet ex *2. aph. 45.* In aliis casibus eventus etiam lethalis præsagiendus v. g. si post febres malignas succedit ob coagulationem & putredinem sanguinis acidioris serosi. Ita etiam ob eandem rationem si variolis & morbillis supervenit, non tam morbi quam errorum in rebus non naturalibus commissorum culpa mortem infert. Rursus in aliis subjectis licet non mortem acceleret, malum tamen inveterascit, & per

& per periodos sive certas, sive plerumque incertas suos habet insultus, atque ad vitæ finem usque comitatur, v. g. quando caussa vel hereditaria fuerit, vel mox à nativitate propter labem ab utero contractam, uti loquitur *Willis*, infestare solet, aut quando tenelli adhuc terroribus gravioribus percelluntur, à quo periculo neque adultiores plane immunes esse, exemplum quoque puellæ cujusdam hoc in oppido Epilepsiâ curationem nullam admittente, sed per intervalla adhuc redeunte, afflictæ relatum nobis fuit.

Cura: Quid verò nunc consilii? anxiè quærunt exposcentes auxilium omnis moræ expers mœsti atq; animo consternati Parentes, filioli vibrari membra videntes. Desiderio igitur illorum ut pro virili satisfaciamus, solutio partim methodo extraordinaria, partim ordinaria procuranda. Cum enim *paroxysmi Epileptici* rationem habeant symptomatum urgentium, quæ flammæ vitali interitum minantur, scil. ob caussas proximæ internæ vehementiorem motum curationem quoq; & hi non ad se trahunt sed rapiunt. Quamvis verò in ægro hoc puerulo paroxysmi hactenus sint breviores, omni tamen studio cavendum, ne sæpius redeant, & infestent remedia exhibendo talia, quæ spiritus animales inimicos dissipent, vel eos exilire & efferari aptos reprimant quod fit, quando acidum illud volatile & explosivum cohibetur præcipitantibus & imbibentibus, ne principium spinalis medullæ irritare, cerebrique concussionem inducere valeant. Applicentur igitur extemplo frictiones artuum paullo asperiores & ligaturæ, sique in promtu sit Emplastrum vesicatorium, vel saltem rubificans ad umbilicum & nucham, vel sacculus ex rad. pœon. recenti cum ⊙ sem. sinapi paratus, imponatur. Inunguntur nares balsamo rutæ vel succini, si manuum digiti contracti fuerint, leniter in rectum ocyus extendantur. Lignum Aloës vel pennæ Perdicum & similia accendantur. In aliis casibus, ubi aciditas convulsiva magis prædominaverit, in paroxysmo etiam fortioribus opus est redemiis, inprimis os apertum servandum, interposito aliquo corpore non duro, aut frangibili, sed tenaci, sive sacculus è tela linea crassiori antepilepticis refertus fuerit, sive è corio, ne linguam morsu lædere possit. Umbilicalia. Topica extrahentia minime negligantur, quæ ex propria experientia laudavit nunquam satis laudandus *Excellentissimus* Dn. D. Hoffmannus *Senior Prud. Med. Disp. XIII. Corall.*

Extra paroxysmum Curatio extraordinaria partim prosequenda, partim ordinaria secundum tres indicationes adjungenda. Cum igitur malum in nostro puerulo à nimiâ repletione proveniisse cognoverimus, operæ pretium esse censemus, remittente paroxysmo, mox offerre infanti leve vomitorium v. g. syr. emet. Fo-

rest.

rest. ʒj. dilutum pauca quantitate ▽. destillatæ alicujus, aut etiam cerevisiæ tenuioris calidæ, vel gr. 1. Tartari Emet. aut unum cum dimidio, ut ita saburra cruda accescens è ventriculo maturius rejiciatur. Exhibeantur deindè alia remedia paroxysmi novi insultum inhibentia. Pulver. Marchion. ℈ß. aut similis alius v. g.

℞. C. C. s. ▵ ʒj.
Cran. human. Philosoph. calcin. ℈ij.
Sem. pæon.
visc. quern. vel corylini. aa. ʒß.
Margarit. ppt.
Corall. rubr. ppt. aa. ℈i.
Smaragd. ppt. ℈ß.
Croc. orient. gr. v.
M. f. pulv. tenuiss.
S. Pulver öffters davon zu geben.

Dosis ℈ß. aut etiam paullo plus minusve pro lubitu.

Potest etiam adei pulveribus Cinnab. nativa aut ʒii rite ppta. ad gr. iij. 4. vel ʃ. vel etiam ⊖ succin. aut C. C. volat

Vehiculum sit ▽ usitata. v. g.

℞. ▽ *fl. pæon.*
tiliæ.
cerasf. nigr. aa. ʒiß.
epilept. Lang. ʒi.
manus Chr. perlat. ʒij.
vel q. s.
Pro grata edulcoratione.
S. Krafftwasser/zu dem Pulver/auch sonst darvon zu gebrauchen.

Externa quoque applicari possunt non quidem superstitiosa, qualia sunt characteres, numismata, sed naturalia amuleta, inter quæ radix Pœoniæ maris ejusque semina palmam obtinent, uti patet ex *Foresti observ. l. 10. obs. 59.* si remiserint paroxysmi, occasione commodâ alvi quoque siccitas tempestivè corrigi debet vel Lenitivo per os assumendo v. g. syr. de cichor. cum Rhabarb. Rosar. solut. simpl. Infus. Laxativo *D. Mannagettæ* in debita dosi, & per intervalla propinandis, vel crem. tartar. à gr. vj. ad ℈ß. aut ultrà in jusculo offerendo. Vel Clyster aliquis facilè parabilis malvaceus ab ʒiij. ad ℔ß. pro varietate ætatis injici potest, quales formulæ passim in *Materiæ Medicæ scriptoribus* prostant. Cœterum cum ab errore in victu & nimia ἀδδηφαγίᾳ infans in horrendum hunc inciderit affectum, *è fonte Diætetico* talis victus ratio infanti & matri, quandiu lactaverit, ordinanda, quæ nec quantitate excessiva, nec qualitate vitiosa præsertim aciditate peccante nocere possit, cum reliquarum rerum non naturalium debito regimine, quale etiam non solum præservationis, sed & curationis gratia probe inculcavit *Sylv. d. l. §. 66. seqq.* pluribus. Inprimis verò terrores omnes animique commotiones præcavere necesse est. Quibus ritè & ex præscripto observatis per Divinam benedictionem reconvalescentia perfecta erit speranda, & filiolus vitam in posterum vivet gravissimi hujus mali prorsus immunem.

CASUS XXV.

De VARIOLIS.

INfantes, pueri puellæque diversæ ætatis & pauci adulti conqueruntur de insigni capitis spinæque dorsi dolore, præcordiorum anxietate gravi, corporis horripilatione. Subsequuntur nausea, vomitus, interdum solùm inanes vomendi conatus, sitis immoderata cum continuâ potus querela. Noctes adsunt inquietæ, delirium, insultus epileptici immanes, dolor tumorq; colli in quibusdam cum levi tussicula junctus. Die 4. interdum 5. post primum insultum, subinde in coporis peripheriâ, præsertim facie, manibus pedibusque, efflorescunt maculæ rubræ, pulicum punctura æmulantes, successivè exsurgentes in bullas, nunc majores nunc minores, lymphâ pellucidâ turgidas, paucis interjectis diebus, pus crassum fœtidumque manantes. Interea pulsus percipitur frequens celer, magnus. Ræ minguntur turbidæ, copioso sedimento infarctæ. Excrementa alvi croceo sunt tincta colore, instar fæcum spumosa propter malcolentiam præsentibus molestia.

RESOLUTIO.

PRæsens Affectus sunt VARIOLÆ, quæ quibusdam ita dicuntur, quod cutim varient; i. e. nitidam & æqualem defœdent & inæqualem reddant. Græcis vocantur ἐξανθήματα, sensu tamen nimis generali, non enim solùm variolæ, sed & aliæ cutaneæ efflorescentiæ hoc nomine subintelliguntur. Nostris audiunt Bocken qſ Bockel / weil sie die Haut gleichsam mit Bockeln ausziehren; vel prout Langio Disp. de Morbill. placuit derivatio à Picken / græcè πείκειν, pungere, lancinare; hinc die Griebel-Kranckheit / quia excretionis tempore punctione molestâ partibus sunt infensæ. Aliàs & dicuntur Blattern / Papeln / Durchschlechten.

Sunt a. *Variolæ* pustulæ cutis & interdum internarum partium ulcerosæ, oriundæ à lympha vitiosa, acida, acri, &c. in fermenti naturam exaltata in glandulis corporis conglobatis, quæ data occasione exasperata. Mæque Sæ infusa, febrem acutam febriliaque symptomata excitat, donec edomatum & præcipitatum peregrinum

num hunc hospitem, motu critico hæc sese expurgatura, ad cutim & huic intertextas miliares glandulas trajiciat, qui indolis suæ acrimoniæ nimirum rosivæ quadantenus adhuc memor, nutrimentum harum partium proximum corrumpendo, pustulas tales crustosas (formaliter enim in sanguine non latent) ceu proclum morbosum conspectui nostro fistit.

SUBIECTUM præsentis nostri affectus duplex omninò faciendum, morbi nimirum seu inhæsionis & causæ morbificæ s. radicationis. *Morbi s. inhæsionis subjectum*, non solùm est superficies corporis externa, cutis sc. sed & partes internæ, fauces, imò testibus. *Fernel. l. 2. cap. 12. p. m. 503. de Abdit. Rerum Caus. Horst. Obs. Anat. Kerckring. Spicil. Obs. 62.* pulmones, hepar, lien, intestina, omniaque viscera interna. Quò facit &, quod matres variolis infestatæ fœtum variolosum ediderint, qualia exempla *Plat. Prax. Tom. 3. p. 520. Hild. Cent. 4. Obs. 55. & Bartholin. Cent. 2. Epist. 85.* annotarunt, unde etiam ægri sæpius de ardore viscerum interiorum conqueruntur. *Causæ v. morbificæ s. radicationis* sunt primario glandulæ; secundariò M. S. Glandulæ sunt nidus & focus, in quibus omnium primò cuditur fomes morbosus, quatenus hæ ratione ingeniti sui fermenti (in statu s. n. præperantis lympham dulc. acidam) corrupti, lympham minus temperatam, sed qualitatibus excessivis, disponentibus sic rebus non-naturalibus, corpori noxiis, imbutam gignunt, genitam ad Mm. Sam distribuunt, hancque simili labe inficiunt. Et nec hoc sine ratione à nobis ita statui credas, adi *Horst. lib. 6. Obs. Append. p. 308.* affirmantem, quod suscepti è Parentibus lue gallica infectis omnium gravissime variolis decubuerint. Jam verò omnium suffragio certum est, luis gallicæ radicem hærere in glandulis. Quod si ergò lue gallicâ infectorum liberi ob vitium hæreditarium & connatum, in glandulis hospitans, variolis, majoribus quidem stipatis symptomatis, affecti sint, quidni & in illis, ab infectione hæreditaria immunibus glandulæ subjecti locum tueantur. Nec minus & hoc confirmant glandularum, circa fauces & collum situatarum dolores tumoresque, de quibus subindè variolantes conqueruntur; item tusses, raucedines aliaque symptomata variolarum eruptionem antecedentia: quatenus lympha vitiosè genita nunc proprio domicilio & generationis suæ loco; nunc cœteris partibus, quibus certos ob usus infunditur, est exitiosa. M. S. a. secundarium morbi subjectum meritò constituitur, quatenus nimirum hæc lympham vitiosè in glandulis genitam, legeque circuli hujus humoris sibi infusam, ad tempus fovet, sustinet, & motus inordinatos, ut febrilia symptomata aliaque mala sufferre cogitur, donec edomito & in corporis peripheriam ejecto fero hoc hoste, se in pristinum statum vindicet.

Causam proximam multi, quos inter & est certo modo *D. Willis Tr. de Febribus cap. 15. in XII. p. m. 254.* cum Arabibus in menstrui sanguinis inquinamento, tempore formationis in utero materno hauriendo, quæsivêre. Quæ opinio cum non solùm apud vulgus, sed Eruditos etiam consequi videatur applausum, operæ pretium esse duximus, paulò fusius huic inhærere. Ante omnia sciendum autem, quid per fluxum mensium veniat intelligendum Medicis: nimirum fluxus denotatur ille, qui certâ periodo utplurimùm (licet ratione peculiaris sanguinis craseos in quibusdam nunc anticipet, in quibusdam verò postponat) Sexui sequiori majorenni (rarissimis siquidem adscribendus infantibus tenellis obveniens) ob peculiarem sanguinis, ab aura ex genitalibus M. Sam. inspirante, fermentationem, ortam, est solennis. Hujus nunc intuitu, quatenus omninò sanguis tunc temporis, maximè à dicta aura genitali alteratus (hinc forsan etiam effectus in alienis corporibus p. naturales Zenith. l. adultiorum sanguinis menstrui derivandi videntur) existit, primò intuitu sententiæ huic subesse aliquid videtur. Verum exactius intuenti, vix omnem, ut dicitur, sustinet probam. I. Enim ex Veterum hypothesi falsum est, quod fœtus H. ex sanguine menstruo mulierum & semine virili in utero formetur nutriaturque eôdem. II. Modernorum experientiâ constat, quod non in instantibus mensibus, neque actu jam fluentibus, sed finitis fiat conceptio; quò, vasis uteri adhuc non nihil laxatis quasi, aura genitalis seminis virilis per hæc ad M. Sam. penetrare, hinc ova muliebria fœcundari, fœcundataque per ductus Fallopianos ad uteri cavitatem deponi queant. *Vid. Barbat. de Sang. & Sero Exerc. p. 56. 58.* III. Fermentum seu aura genitalis, tempore menstruationis sanguinem alterans & fermentans exitumque circa genitalia determinans, gravidationis tempore feriari planè videtur, adeo, ut, pleræque gravidæ ab hoc fluxu immunes omninò degant. IV. Plerorumque Medicorum Historicorum suffragiò sancitum, primi ævi temporibus nemini, d. saltem Avicennæ aliorumque tunc temporis Medicorum, variolas innotuisse, quod tamen omninò factum, si à menstruo sanguine hæ derivandæ forent.

Firmiori fundamento inniti videntur illi, quibus & accensendus *B. Langius in Prælect. de Affect. Infant.* malum hoc toti ferè mundo endemium vitiò hæreditario & principio firmiter in nobis radicanti, adscribentes, persvasi his præpr. argumentis, quod malum omnibus utpl. sit inevitabile, & quod hoc præprimis in consanguineos plerumque grassetur. Et sanè hoc testantur exempla, inter quæ notabilia sequentia. Sic fratrem & sororem gemellos, hanc Lipsiæ, illum Wittebergæ degentes; Nobilem quendam Giessæ studiorum gratiâ com-

comorantem, alterum apud matrem domi negotia curantem domestica, fratres germanos, correptos variolis eôdem tempore, ex ore *Excell. Ettmüllerî*, relatum habemus. Verum & nec heic tuta fides. Quoad primum enim argumentum, quô omnes utplurimum, hoc morbi genere affici dicuntur, perplacet laudati Doctoris sententia, derivantis *Valetud. Infant. Cap. 2. §. 27.* hujus causam ex lacte nutritivo tam in quam extra uterum hausto ab infantulis; quatenus hoc, more omnium lacticiniorum facillimæ corruptionis, abeat in liquamen acido-⊖num, quod postmodum vitiando corporis succos musteos, & in specie lympham, millia mala producat. Nec desunt præter illa cit. loc. adducta, quæ hoc confirmant. Frequentissimè enim in recens natis observantur pustulæ molestissimæ latè interdum serpentes (wie Tauben-Eyer groß) quas nostræ mulierculæ vocant die Hautblasen/interdum cum purpura alba miliacea conjunctæ, lympham primò pellucidam, acrem, cutem excorantem (inquiunt es wird lauter rohe Fleisch) hinc subflavam, ob longiorem (mulierculæ enim in aperiendis his meticulosæ sunt) sub cuticula hærendo, moram, plorantes. In his manifestò apparet lymphæ acrimonia ex vitiô lactis maternæ genita, corrupti, i. à meconio non ritè (quod sæpè observatur) expurgato, vel digestionis primæ propriæ errato. Quoad alterum argumentum, quô in consanguineos utpl. grassare coalum inquitur, dici potest, hoc citra vitium posse contingere hereditarium. Cum enim consanguinei utpl. æquali gaudeant temperamento, æquali humorum motu, quid mirum! si, causa occasionali, aëre, epidemicorum affectuum præcipuo autore sic disponente, unô eôdemque tempore simili affectu hi afficiantur.

Videtur, salvo aliorum judicio, *causæ proximæ* locum mereri lympham quovis modo s. vitio digestionum s. inspiratorum corruptam, alteratam & in liquamen acido-salinum p. n. transmutatam. Notetur a. non quodvis acidum in corpore peccans memet heic velle intellectum; his enim latum quoq; concedendum est imperium; nam aliud in podagra, aliud in epilepsia, aliud in morbillis, aliud in variolis concipiendum est. Differunt a. saltem in modo, ita ut aliud magis fixum, aliud magis volatile, aliud alio se habeat modo pro sapore specifico hoc vel illud constituente, nobis verò inexplicabili. Præsumitur a. variolarum acidum de natura volatili, ex eo præpr. dignoscenda, quod hoc fermentorum more (mediantibus particulis volatilibus effectus suos exserentium) contagiosum, ob effluvia è morbido corpore exspirantia, plures inficiat, præterque alias turbas effervescentias febriles, ab acido haud sperandas fixiori, excitare potest.

CAUSA REMOTA seu OCCASIONALIS lympham corrumpens & in fermentū acido-salinum acre abire hanc permit-

tens, præter digestionú errata, & præprimis in malo epidemicè grassante, est aër, & in specie hujus ☉. ♀eo ☽sum quibusdam ex causis sufflaminatum, deficiente humido qs. concentratum, sicque corporibus nostris haut sufficienter sub respirationis actu communicatum. Supponimus enim missâ tanquam rationi minus congrua quorundam sententiâ, sanguinem, per arteriam pulmonalem advectum, nimis, ob calorem in dextro susceptum cordis ventriculo, ebullientem, refrigerare aërem (quæ veterum est hypothesis) vel (quæ Sylvii, ad stylum saltem Modernorum magis sese accommodantis *Disp. 7. p. 78.* est) ratione salis sui purioris condensare denuò in pulmonum vasis sanguinem in cordis ventriculo dextro rarefactum, statuentium; aërem inspiratum, tanquam fermentum universale omnia vivificans & conservans, multum adjuvare sanguinis, hinc natorum humorum attenuationem & volatilisationem, indeque dependentem fermentativum motum (aëris enim præsentia sive omnis fermentatio, experientiâ teste, est frustranea. Cum enim hic in perennenda vita simpliciter necessarius sit; Sanguis autem & chylus ex primis viis advectus, sine attenuatione & volatilisatione fermentationem admittant ægrius, utique aliquid supponendum quod hanc promoveat. Præstat autem omnium optimè hoc aër, qui sanguini hujusque sero in pulmonum vesiculis (vesiculare enim experientiâ Cl. Malpigii Anatomici incomparabilis, corpus pulmones sunt) in minima quasi discerpto, hos ratione ~ seu balsami ætherei ♀eo ☉ini attenuando (forsan & virtute astrali balsamica dotando) volatilisat, ut à statu, ut dicitur, cruditatis ad statum volatilitatis sponte transeat. Hinc nunc, prout legitima temperie & crasi gaudens sanguis etiam fermentationem cœterorumque humorum corporis determinat, & moderatam, nisi aliud circa assumpta & digesta vitium accedat, nostris corporibus conciliat; ita hic ob sufflaminatum, concentratum, plus minus depauperatum, debita humiditate non dilutum, vel nimis interdum, &c. balsamum suum ♀eo ☉num sanguinem & exin derivatos humores, ad varias ataxias disponit, statumque corporum sanum in morbosum mutare valet. Sed veniendum ad rem dicendumque, quomodo hic in nostro casu causam proximam in actum deducere operosus extiterit. Nimirum præterita æstate nostri horizontis plaga cœlum semper habuit lætum, sudum, nullis nubibus pluifluis ferè, ne precibus quidem ab Omnipotente efflagitandis, abductum: exin factum, quod ☉ aëris ♀eo-balsamicum (aliàs à particulis aqueis sursum elevatis imbutum & terræ tanquam matrici insinuatum, corpora varia producens, productaque egregiè restaurans) ex defectu vehiculi humidi socii, qs. concentratum sub libero dio hæserit, hinc super-

perveniente autumno primitus quidem temperato, statim verò summè rigido; post hyeme, frigoribus, nivibus, grandinibus ingentibus intermista, concentratius rigidiusque adhuc factum fiet. Stantibus nunc sic rebus aliter fieri non potuit, quam quod ob defectum aliqualem hujus (instar balsami aliàs condientis M. Sam. cœterosque honores) ad putredinalem resolutionem M. S. disposita sit, ex qua febres malignæ ex genere petechialium, arthritides vagæ scorbuticæ cum maculis scorbuticis, in adultioribus, in tenerioribus verò subjectis, ob musteos humores facillimè alterabiles & corruptibiles, variolæ ortum traxerunt.

Cœterum antequam progressus fiat ad alia, *duæ* primitus decidendæ veniunt *quæstiones*, communiter à vulgo etiam propositæ, qui nimirum veniat 1. quod quidam à variolis infestentur minimè? 2. quod quidam has semel passi nihilominus 2. 3. & pluribus vicibus, notante Borello *Cent. 3. obs. 10.* ab his obruantur. *Respondemus* pro nostra quidem tenuitate ad primam: lympham corruptam sub alio posse prodire morbi genere & schemate; capitis nimirum tineâ, scabie, pustulis, uleribus scordidis &c. prout & quotidiana testatur experientia, quod scabiel. tinea maculati, licet variolas antea nondum experti fuerint, rarò l. nunquam his decumbant, l. decumbentes licet, non adeò gravem statum experiantur. *Ad 2. Respondemus*, hoc contingere ob fermentum malignum non radicitus extirpatum, d. ob neglectam l. negligenter institutam curam, in corpore relictum, quod data occasione levi denuò expergiscere anteactamque tragœdiam repetere pote est. Experimur hoc quotidie in ulceribus sordidis, semper, semel licet coaluerint, recidivantibus, tamdiu, donec penitus spina evellatur removeaturque. Nolo jam prolixus esse in adducendis exemplis, ut anginis, pleuritidibus, ob fermentum relictum recrudescentibus aliisque ab Autoribus passim notatis, d. ea duntaxat producam à memet notata. Sic obtigit hâc ipsa hyeme matri meæ tumor (qui ipsam, aliàs doloribus lancinantibus vagis arthriticis in brachiis & pedibus præpr. valdè vexatam, ab his immunem degere permisit) in osse sacro circa spinam satis grandis ovi anserini ad instar. Pro hoc, eâ quidem parte in præprimis molesto, tollendo suppurandoque, suasimus empl. diachyl. c. gnmm. Vigô. malaxat. c. bals. ♃ terebinth; sed applicatô hoc, sine suppuratione, quam tamen expectabamus, tumor omninò, maculâ saltem rubrâ relictâ, disparuit, cum ægræ non minimo gaudio. Sed quid macula rubra sibi vult? Certè recidivam tumoris, paucis præterlapsis septimanis, majoribus quidem stipatam doloribus, insequutam, minabatur. Qua propter mutatô consiliô applicabatur empl. composit. ex empl. de melilot. diachyl. farina triticea, melle & ☍ ♌ succini, molliusculum

lum brevi suppurans tumorem, suppuratus post balsamo ♃is mundificabatur, ægraque à molestissimo hoc malo liberabatur. Similiter in Sartoris filiolo observatum ulcus sordidum in alterutra mala, neutiquam sine recidiva, m. superstitiosis (mit versprechen) consolidabile remediis, donec hoc (quod notandum, cum variolis planè disparuit; tumorem in superiori maxilla circa gingivam, hyberno præsertim tempore sæpius recidivantem in Materialista quodam, notatum, tacendo ut præteream.

Differentias variolæ partim à Medicis, partim mulierculis sortitæ sunt varias, ita ut aliæ ratione symptomatum nunc mitiorum, nunc graviorum vocentur vel benignæ vel malignæ. Aliæ à pustularum materia ex vulgi impositione die Wasser-Bocken/ Wind-Bocken (quam natam puto ex lympha primò pellucida in maculis ad suppurationem tendentibus conspicienda.) A forma aliæ die Spitzbocken/ (faciem enim acuminatam præ se ferunt) aliæ die Fließ-Bocken (majorem in corpore ambitum occupantes & æqualem cristam formantes) Nostræ benignis accensendæ videntur, symptomata enim doleranda in quamplurimis fuêre, & ex tot decumbentibus vix unus periit. Interim si quæ malignitas his subfuisse visa fuerit, ex symptomatum truculentia dijudicanda, hanc imputatam pro nunc mallem subjectis ipsis, ratione constitutionis tenerioribus, adeoque minus ferundis malô quam causæ morbificæ, aliàs æque multum facienti ad morbi vel benignitatem vel malignitatem. Formam non habuêre æqualem, sed in diversis subjectis diversam; ita ut nunc acuminatæ & pauco pure refertæ; in quibusdam latè serpentes fuerint; in aliis verò saltem instar macularum rubrarum acuminatarum, sine notabili pure, scabiem siccam æmulantium, sub squammarum forma foveis nullis relictis, deciderint. Cœterùm causam sufficientem quidam non habent in totum disterminantes affectum nostrum à morbillis & petechiis: in radice enim convenire, & certis saltem quibusdam circumstantiis inter se differre hi affectus videntur; ita ut morbillorum & petechiarum formale consistat in materia plus minus volatili minusque rosiva & fixa, adeoque facilè sine pure dissipabili; è contrario variolarum, in materia fixiori, viscidiori, & rosiva, ratione cujus sub cute immobilis & diutius hærendo, in ulcera plus minùs purulenta, hujus fibras erodentia abit; ita ut hæ deinceps inæqualiter denuò coalitæ inæqualitatem sub fovearum formâ in hac derelinquant, gratiam & nitorem interdum summè defœdantem. *Conf. Misc. Curios. Ann. 3. p. 378.* ubi variolæ in morbillos, petechias & vice versa degenerasse notantur. It. *Ann. 6. & 7. Obs. 53. p. 86.* ubi c. petechiis nigris se exhibuerunt.

Symptomatum in casu enumeratorum explicatio paucis expedienda venit verbis, unum enim omnia simplicem & communem agnoscunt fontem, fermentum nimirum acre plus minus

minus rosivum, pro partium diversitate saltem, nunc in hoc, nunc in aliud se transformans pathema. Quatenus enim hoc qualitate rosiva & morsicante insignitum, ad genus nervosum, cerebriq; in specie defertur membranas, hinc medullam nervorumq; principia, post nervorũ qs. vicarium principiũ spinæ medullam; insignes *cephalalgias, vigilias, deliria, epilepsiam*, dorsi lancinationes aliaq; symptomata infert. Quatenus ad M. Sam. deponitur, ob luctam cum hac intestinam, *symptomata febrilia, pulsum inordinatum* &c. quatenus cum lympha fermentali ad glandulas stomachales, ob irritationem orificio superioris molestam, *nauseam, vomitus, anxietates præcordiorum;* quatenus ad fauces, ob acrimoniam ⊖so-acidam (omnia enim acria sitim excitandi vim habent) harum *siccitatem* & hanc insequentem sitim; quatenus ad asperam arteriam, ob irritationem molestam, *tussim, raucedines* aliaq; organorum respirationis vitia causatur, donec subactum hoc & præcipitatum per triplicem evacuationis viam; volatilis nim. magis pars ad glandulas subcutaneas, successivè in ulcuscula erodendas; fixior verò partim ad renes, sub ☐æ turbulentæ; partim ad intestina, subfæcum crocearum & malè olentium (formaliter quidem non in sanguine latentium, sed ex loci natura in talia mutandarum) formâ proscribantur.

Nunc ad PROGNOSIN, tam de variolarum statu præsenti, quam futuro, post horum evanescentiam, formandam. *In præsenti statu* perpendenda veniunt præpr. epilepsia, febris, vomitus, diarrhœa & pustulæ. Quoad epilepsiam, hæc in principio ante eruptionem neminem terreat, cum sine sit periculo; post eruptionem verò adhuc persistens mali ominis est. *Febris acuta* cum variolarum excretione copiosa bonum; ast, intensa licet, paucis interim protuberantibus pustulis, pessimum suggerit κενόμενον. *Vomitus* in principio subortus tolerabilem variolarum cursum, post excretionem verò recrudescens, interiora versus earum regressum certò monstrat. *Diarrhœa* in augmento, & statu utpl. est funesta, valdè enim remoratur, nî impedit omninò, variolarum egressum aut eosdem recedere cogit. *Pustulæ d. 4. l. 7.* provenientes copiosæ, bonum; paucæ, cœruleæ, lividæ, nigræ (ad necrosin enim M. Sam dispositam indicant) malum portendunt. *Retrocedentes*, nî quam citissimè revocantur, utpl. mortem accelerant. *Fauces, collum* cœteraque respirationis organa obsidentes ægri suffocationem; oculos visus hebetudinem, non raro cœcitatem, minantur. *Quoad statum futurum* pertimescenda impr. vitia capitis, ut tinea; organorum respirationis & loquelæ, ut tusses ferinæ, phthises tabidæ, raucedines ozenæ ulceraque faucium; oculorum, ut panni phlyctenæ, opthalmiæ; artuum, ut dolores vagi imprimis dearticulationis scapulæ cum humero, apostemata cariem ossium ut taceam.

Superest CURA, ad quam antequam me converto præfigendi sunt

prius quidam ſcopi, ſecundum quos hæc abſolvi debeat. I. Eſto, ut fermentum acre, M. Sam. in motum fermentativum inordinatum concitans, corrigatur & præcipitetur. II. Ut correctum & præcipitatum è M. S. eliminetur & ad corporis peripheriam extrudatur. III. Ut ſuppuratio promoveatur. IV. Ut ſymptomatibus ſub curſu morbi, ægris vel metuendis, vel præſentibus, debitis remediis occurratur. V. Ut Morbi variolas utplurimum inſequuturi præcaveantur; inſequuti verò curentur.

Hos autem ut eò promptius feliciusq; conſequamur, conſultum omninò eſt, ut ſtatim in primo principio, quando infantes incipiunt eſſe queruli, ad imitationem egregii, caſu licet, inventi, notati in *Ephim. Germ. Ann. 3. p. 13. & 93.* præmittamus purgans appropriatum ex ☿io dulci ritè parato. Et ſanè laudem merentur quoad hoc punctum ☿lia, quod expertus ipſemet in diverſis ſubjectis teſtor, quæ ex exhibitione ☿lium, in tempore factâ, felicem experti ſunt variolarum curſum, ita ut præter paucitatem ſine ullo ſtigmate iterum diſparuerint. Certè, quicquid oblatrent miſo-chymici de ☿libus medicamentis, non vereor aſſerere, perfectam & radicalem variolarum curationem, ut & cæterorum morborum lymphaticorum, in his ritè paratis primum, hinc myrrhatis, conſiſtere. Ex omnibus enim metallicis medicamentis, quotquot in officinis proſtant præparata, tanta penetrabilitate minime pollent, quâ ☿ noſter, qui ex omnibus volatiſſimum metallum, intimos corporis penetrandi receſſus, fermentaq; morboſa corrigendi extinguendique vim habet, adeò, ut ritè paratus & depuratus (de quô infra) etiam citra ſalivationis notam hæc è corpore proſcribat expellatque. Nec moror heic illos, qui in priſtina forma elegans illud ☿le medicamentum & lymphæ acidæ acris correctivum (ſoli ☿io omnem virtutem debens) cinnabarim cum fæcibus iterum prodire, ſine ulla ad M. Sam. traductione, perhibent: nullum enim ſic in epilepſia per eſſentiam aliisq; morbis ſpasmadicis ſperandum, ab omnibus ferè promiſſum Practicis, levamen, ſi hujus contractus corporalis (virtus enim anodyna & archæi turbati irradiativa, in ♀e fundenda ☿li naturæ ☉ris, non ſufficit) cum cauſa morbifica, lympha nimirum acida acri, quam corrigit, non fiat. Nec dixiſſe ſufficit, cinnabaris per anum iterum excernitur, E. omnis, & per conſequens effectus ſperandus nullus: minimè. Licet enim ☿ in compedibus ♀is ☿lis, in receſſu acidi, valdè detineatur, neutiquàm tamen in tantum, ut mirus hic artifex datâ occaſione & loco, ex his denuò ſeſe extricare ex parte nequeat; notorium namque eſt, quod quovis etiam modo vulgari ligatus & fixatus, nihilominus crebrius adhibitus, ſolita phœnomena, tremorem, ☉vationem aliaq; introducat, abunde contactum hujus corporalem, etiam in abſtruſioribus locis, teſtantia.

Juxta *purgantia* appropriata ſi laudavero vomitoria, debito cum moderami-

ramine adhibita, res non parùm ſuſpecta videbitur iis meticuloſis præprimis, quibus aliàs hoc medicamenti genus malè audit. Quicquid tamen ſit, non eſt quod hiſce, hoc in caſu etiâ, ſua detrahatur laus: Ipſa enim natura monſtravit viam, quam miniſter Medicus, ſi citô, tutò & jucunde, infringere morborum impetum intendit, omni ex parte ſequi debet. Experimur autem, quod in principio ſubortus vomitus morbi curſum reddat tolerandum, ſemperque, nî aliud quid gravius accedat, eventum polliceatur bonum. Quod ſi igitur vomitus ſpontanei à natura ipſa concitati cum ægri contingant evphoria; quidni & arte prolecti præſtent corpori ægroto commodum. Hinc adſtipulatur Cl. Virorum experientia: Sic obſervatione Cl. *Bohnii* benevolè communicatâ, ſcimus, non rarò hoc evacuationis genus cum proſpero ſucceſſu & cita variolarum eruptione adminiſtratum fuiſſe. Clarè etiam hinc patet intentio Cl. Ettmülleri, tantoperè commendantis uſum pulveris epileptici ♃lis in principio ſtatim adhibendi, ſæpius in tenellis vomitum, non ſine inſigni effectu, concitantis, expulſionem adjuvantis, aliaque graviora mala præcaventis. Quò & collimaſſe videtur *Autor Anonymus* in Tentam. *Medic. de Natura Variol. Londini Ann. 1674.* excuſo, qui vomitoria debitè adhibita expertus *commendat. p. 58.*

De *V. Sne* præmittenda noſtris ſcopis, dubius hæreo, an hæc ſemper & tutò in variolis adminiſtrari queat? Proſtant nihilominùs apud Autores proſperæ ſucceſſionis exempla, ab aliis tamen non ſine ratione refutata. Sic Amatus noſter profitetur *Cent. 3. Cur. 16.* ſe puero quinquenni incidiſſe venam internam brachii, & detraxiſſe 4. Uncias ſanguinis cum optimo ſucceſſu. Idem confirmat *Horſt. p. 2. Manual ad Medic. S. 1. p. 131. Miſc. Curioſ. Ann. 3. Obſ. 55. p. 92.* Accedit & quod natura ipſa evacuationem ſanguinis per narium hæmorrhagiam interdum moliatur. Meo judicio heic cautô opus eſt, ſemper enim & ubivis hoc remedii genus eligere velle omninò inſulſum; ſed reſpectus habendus ætatis, regionis, conſtitutionis, virium, qualitatis morbi &c. ne temerè in uſum vocatô excretionem retardemus, de quo *Will. de Feb. p. 268.* vel detractô ſic virium robore eam omninò impediamus & ægros ad orcum detrudamus.

Hic debito modô præmiſſis, cura ſecundùm datam methodum eſt dirigenda. Ubi ſimul notaſſe liceat diſtinctionem Practicis familiarem, inter *tempus ebullitionis* excretionis. Illo tempore attendendus venit ſcopus noſter primus, jubens, ut fermentum acre corrigatur & præcipitetur. Aſſequimur autem hunc medicamentis præcipitantibus abſorbentibus vulgò dictis, ut Terreo-alcalinis C. C. S. △. ebure ſ. △. Unic. foſſil. & marino; alcalinis propriè dictis tàm volatilibus ut ☋e C. C. viperam, ☿i &c. quam fixis, ut alcali abſinth. carduibened. ☿i (omnibus ejusd. in medicina effectus & uſus) acidum acre deſtruentibus ♄ibus, ut ♄ diaph. bez. min. ♃li &c. ☿libus ut cinab. vel nativâ correcta vel

☿li. Cum his tamen ſemper conjungenda myrrha tanquam appropriatum lymphæ corrigens, caſtoreum & opium ritè correctum in legitimâ doſi in adultioribus; in tenellis verò theriaca ad pauca grana impr. ſi jectigationes corporis nimiæ papularum efflorescentiam impedire videantur.

Tempore excretionis, vi ſcopi noſtri ſecundi, variolarum ad peripheriam corporis, præeunte naturâ, expulſio adjuvanda, medicamentis expulſivis vulgò dictis. Horum numerus latè ſe extendit, & nulla vetula medicaſtrix eſt, quæ non peculiare poſſideat; Sufficit heîc tradere ſelectiora, (ſelecta enim materia medica & uſu comprobata Medicum prudentem decet, ne cum erronea plebe quævis occurſantia arripiat & ad uſum parvô commodo trahat) inter quæ uſitatiora ſunt ſemina expulſiva dicta, ut ſem. cardui bened. napi, citri, aquileg. (quibus, ſi ægri inquieti & jungendum ſem. papav. albi) cum ▽ appropriata in emulſionis formam redacta. Cui optimo conſiliô addi poſſunt Eſſ. Caſtor. myrrh. bez. min ☿ liaph. C. C. ſ. △. unic. marin. &c. ut ſic eò promptius excretio expediatur. Cum autem hæ emulſiones, in ſe aliàs ſufficientiſſimæ, licet edulcoratæ, amaritiem non penitus celent, ſed tenellis, præprimis ſubhauſtus doſi, nauſeoſæ exiſtant, meliùs fallimus hos ſequentibus guttulis pacis, & non minori cum fructu, aſſumendis. nim. Eſſ. myrrh. c. Sp. vin. ☿ſato vel Tinct. ☿i parata. Eſſ. Caſtorei alcaliſata ſeu ante extractionem probè c. ♌☿ p. d. imbibiti; vel ex his unà cum aſa compoſita Eſſ. anonyma B. Langii: Elix. propriet. alcaliſato ſ. fine acido coloris aurei, omnibus vehiculis aqueis ſine præcipitatione jungendo. Elix. Propr. volatili cum ♏ci vinoſo parato, itidem ſine præcipitatione aquoſis nubendo.

Externè mulierculis in uſu ſunt frequenti frictiones cum pannis ſcarlatis; quæ licet determinatæ materiæ ratione (ab aliâ enim, non quidem ratione coloris ſimili, idem ſperandus effectus) ſuperſtitionem redoleant, non prorſus tamen damnandæ ſunt: irritatæ enim h. m. ſuperficietenus fibræ, ſicq; criſpatæ, lymphæ allectæ aliquo modo remorantur gradum (ubi enim dolor, ibi ſecundum Veteres humorũ affluxus) ut hæc eò citiùs pedem figat, cutemq; exulceret. Convenientiora hoc in paſſu videntur (eô ſc. in caſu ubi ægrius prorumpunt) veſicatoria, hic nunquàm ſatis laudanda, de quibus infra pluribus.

Tertio ſcopo, ſuppurationi nimirum promovendæ, ſatisfaciunt marina, ut corallia, mater perlarum (cùm hujus fructus margaritæ juvencularum corollariis & armillis aptiora videantur) & polychreſti ♋rum oculi, ſeu potiùs lapilli, quibus tamen ſemper ſocianda myrrha; ita inſigniter reſtitantia adhuc ſymptomata mitigabimus, eradicabimus, ſuppurationem promovebimus, adeò ut ſine notabili fovearum veſtigio variolarum cruſtæ decidant.

Propero *ad quartum ſcopum*, quô jubemur, ut ſymptomatum tempore

morbi

morbi obvententium ratio habeatur. Inter hæc primum locum sibi vindicat *vomitus*, plerumq; tragœdiæ prodromum agens. Hic tanquam faustum omen (ni aliâ accedant graviora mala) morbi levioris cursus felicitorisque eventus, in principio cohibendus neutiquam, desinendus est; nimius verò diutiusque, excretionem sic rerardando, protractus, sistendus alexipharmacis, additis aromaticis moderatè adstringentibus; externè ordinando litus ex aromatum, aromaticorum, v. g. caryoph. macis cinamom. succin. menth. spicæ &c. ♎is, nunc simpliciter mistis, nunc pro consistentia meliori exceptis in ♎ N. M. expr. scrobiculo cordis applicandos unà cum latere calefacto.

Epilepsiam optimè præcavemus suasu *Dn. D. Ettmüll. in Valetud.* sumpto, debita in dosi in primo statim principio, pulv. epileptico ☿li ſ. ♆e ☉to ☿ii ultimæ ♍tionis, odoris alliati. Eliminatâ enim sic nunc per secessum, nunc vomitum, in primis viis excrementorum saburrâ, optimè ansam huic malo, utpl. affligente, præscindimus, &, si non in totum, in tantum tamen, tollimus. Quod si nihilominus in morbi incremento hæc appareat, ob non, præterlapsô sic morbi principio, adhibendum dictum pulv. ☿lem, aliàs summè proficuum, ad tutiora melioraque vix accedimus, quam cinnabarina suprà laudata, aliis, vel ☿libus, cervinis &c. socianda & liquorem C. C. succinatum præpr. c. ▽. antepileptica rubra D. D. Glassii, epotum; adjungendo tamen simul externè paulò ante memoratos litus aromaticos.

Accidit sæpiùs, ut in statu ægri, vel ex morbi vehementia, vel sudatione nimiâ maximam patiantur *virium prostrationem* (sie liegen/als wenn sie todt wären) His ut succurratur, in priori casu nil melius dabimus Tinct. corall. si cui obtigit, verâ, vel hujus in defectu, corallor. solutione c. ♏ Cord. cervi D. Mich. ob ingredientem ambræ essentiam egregiâ: In posteriori verò haustulo vini, vel pane similagineo vino intinctô. Aliàs non nimis simus liberales in exhibendo vino, ne acoris ratione noxa patientibus inferatur.

In defendendis partibus præ cœteris considerationem merentur oculi & collum, ne à variolis infestentur, ab illis enim cœcitas, ab hoc suffocatio metuenda. *Præservationis oculorum* ergò multa, tam à Practicis quam mulierculis offeruntur, oculi bulbo applicanda, ut allii comesti halitus, languentium oculis, repetitis vicibus, jejuno stomacho, inspirat⁹, infusum croci in ▽ quadam ophthalmica, oculis instillandũ; succ⁹ rutæ recenter expr. depuratus, cumq; ▽ fœnic. chel. maj. vel aliâ ophthalmica mistus applicandus oculis. Frustum carnis bubulæ vel vitulinæ, magnitudine Joachimici imponendum &c. *Verum cum hæc omnia* non virtutis specificæ ratione, sed saltem materiam morbosam repellendo, seu potius cohibendo, ne influat facilè, operari videantur, horum loco sufficiat *chrystallus montana*, optimè

in oculi bulbo præcautura variolarum insultum. Bulbô à variolis immuni licet, nihilominus utplurimum palpebrarũ cilia à lympha viscida invisicantur, adeò ut aperiri nequeant. Pro his reserandis, ne noxa à sanie inferatur, multa tentantur, ut lactis (ob acorem tamen facilè contrahendum non semper tutus) cremor, decoct. malv. melil. lini. fœnugr. quæ omnia emolliendo & corrigendo *acrimoniam* lymphæ operari videantur. Raræ commiserat onis exemplum annotat *Cl. Bartholin. Cent. 1. Obs. 29. p. 46.* nutricis, linguâ lingendo propriâ, oculos variolantis pueri, recludentis, qui valdè aliàs de oculis perclitabatur.

Collo faucibusq; præservandis commendantur à Practicis mucil. sem. cydon. lini fœnugr. succ. ♋. ♓fluv. expr. mist. cum ▽. sedi maj. ☉ de purat, (☊ prunellæ, quia semi alcalisatum & fixatum cum ♀e est nullius hic in casibus, ut & nec in anginis, existit usus) Decoct. balaust. succ. granat. rob. dianuc. diamor. quibus, si ficca tussis simul affligit, add. syr. scabios. liquirit. de jujub. papav. rhead. lo h. passul. &c. Addatur, sordidum licet, exporiston, stercus equinum in potu ordinario datum, quod ratione, ☊is ☉si polychresta est medicina. Vel ad imit. Anglorum stercus ovillum vel caprillum cum haustulo vini expr. epotum.

Haut rarò experimur *variolas, protuberantes licet intro serpere* ægrorũ maximo cum damno. In his igitur, si salus ægrorum nobis curæ est, revocandis, nihil utilius censemus internè sumptis volatilibus salinis, externè verò applicatis vesicatoriis. Inter interna expeditius non habemus quam essent, myrrh. cum ♏ ☊ ♐ci vinoso paratam, vel magis compositum medicamentum Elix. propr. volatil. Et sanè fateor, me hujus usum in talibus morbis, ubi expulsione opus fuerit, scabie nim. repulsâ, mensibus & lochiis deficientibus, vel non ritè fluentibus &c. semper deprehendisse felicem. Nec hoc mireris; cum myrrha, alias in scopo expulsionis multa promittens, valdè è menstruo, ut mihi quidem constat volatilissimo & penetrantissimo, in virtute exaltetur, adeò, ut raro Med cum, nobilissima hæc medicina, exoptatissima, hac in parte, spe frustretur. De vesicatoriis externè applicandis non parum habeo quod prædicem: Nihil jam dicam de horum commodo in petechiis, quibus mediantibus innumeros valetudini pristinæ restituisse juratus testatur *Horst. Decad. Epist. Med. Ep. 10. p. 53.* cum quo conferatur *Lotich. Obs. Med. l. 1. cap. 7. obs. 15.* in febribus malignis, de quo *Misc. Curios. Ann. 2. Obs 214. p 315.* Sed eo saltem, quod subinde Viri docti, & ego cum his, in variolarum in corpus remigrantium, revocatione, experti sumus. Ulterioris confirmationis ergò subnectere liceat historiolam quandam grassante hoc affectu notatam. Puella nimirum VI. annorum, tam ob animi quam corporis dotes Parentibus charissim a variolis afflicta, propter delirium perpetuum corporisque hinc inde jectigationes, sub lectulo neutiquam detinenda,

nenda, loco ſymptomatum, poſt protuberantes papulas, mitiorum, patitur graviora, fit anxia magis, vires inſigniter poſternuntur, repetunt vomitus, omnia in pejorem mutantur ſtatum. Hinc vocatus, tanquam malum omen excipiebam vomitus repetentes, ſtatimque ſuſpicabar variolarum introrſum verſus iter, quod & confirmabat accurata harum inſpectio, violaceo enim viſebantur tinctæ colore, inque ſui medio foveam monſtrabant. Quare præſentius remedium in his revocandis arripere vix potui, quam, ut juxta interna expellentia laudata, excitarem veſicas, utpote quas experientiâ Cl. Borrichii ex Act. Med. Haffn. ſummè proficuas ſciebam; nec hoc ſine inani effectu: præterlapſis enim 9. præter propter horis, unà cum veſicis lympha acri pellucidaq; turgidis, redeunt denuò variolæ, ſimulq; ſalutis, valdè antea dubiæ, iterum ſpes affulget. Notetur autem poſt veſicas factas, vulnuſcula eſſe per aliquot dies, ſervanda aperta; non quidem more imprudentum Chirurgorum, folia braſſicæ, empl. ſperm. aliaq; ſaturnina ſolùm applicantium, cum hæc brevi coaleſcere denuò verſicas ſinant, ſed emplaſtris aptis, non veſicantibus, ſed ſtimulantibus ſaltem cutem, ut lympham ſuam eò promptius ploret. Nim. Recip. Empl quodcunque, diapalm. Norimb. vel ſaltè cera therebinthinata, huic add. empl. veſicatorii tantum, quantum ad irritationem non autem veſicationem ſufficit; ita, præſertim, ubi neceſſitas hoc exigit, non ſolùm ad aliquot dies, & ſeptimanas, imò menſes lymphæ effluxum citra noxam promovere quamoptimè poterimus. Conf. quoad veſicatoriorum uſum præter *Act. Haffn. cit. Miſc. Cur. Ann. 4. & 5.* ubi natura ipſa mediante veſica in corpore excitata poſt lymphæ acris affluxum ſe â petechiis liberaverit.

Non parum etiam faceſſant negotium nobis *ulcuſcula ſanie turgida*, idq; dublicem ob metum; I. quod interdum latè ſerpant, &, fibras cutaneas erodendo, corpus & in ſpecie faciem, dehoneſtent. II. quod, licet non confluant, foveas tamen faciei gratiam detrahentes relinquant. In præcavendis nunc his malis anxiæ ſunt mulierculæ, variis remediis his obviam ituræ. Quædam lactis cremorem puſtulis; quædam folia betæ albæ, ſtolido conſilio, & damno haut carente, de quô *Foreſt. lib. 6. Obſ. 50. 51.* applicant: quædam pingued. capon. alb. magis laudant; quædam ♃ amygd. dulc. Verum cum pinguia poros obſtruendo inſenſibilem tranſpirationē valdè vel omninò impediant, hinc innumera mala delicatis corporibus inducant, magis placet Cl. Knôfelii remedium in *Miſc. cur. An. 4. & 5. Obſ. 60. p. 50.* communicatum, quò, brevitatis rationem habentes, B. L. remittimus. Puſtulis perfectum pus monſtrantibus, exſiccationis gratia ſuaſi cerevifiam ſecundariam lupulatam recentem (quod benè notandum, fermentata enim, ob contractum, ſub fermentatione, acorem, non modò non opem fert, ſed etiam noxia exiſtit) quam cum ♃♀.p d. vel & lixivio com-

communi paulò fortiori parum alcalisatam, non sine brevi pustularum exsiccatione applicatam vidimꝰ. Quo facto pro facie detergenda obtuli ▽. sperm. ran. itid. non nihil imprægnatam ☌ ♀i, & Cosmet. Clavii ex bismatho parat. vel aliis ♄nis, excepto saccharô ♄ni, alcalinum consortium, ratione acidi ✝ti, minimè ferente. Plura qui cupit, adeat *Misc. Cur. An. 6. & c. Append. p. 192. Rosencreutzer. Astronom. Infer. Mynsicht.* aliosque.

Hæc fuit methodus medendi variolis præsentibus, quam potuit, brevissimè proposita; Haud rarò tamen contingit, ut post sui *disparitionem* molestiam adhuc nobis creent, ob plurima mala, quæ utplurimum post se trahunt (sie lassen immer ein Stänckgen hinter sich) nim. vitia totius habitus corporis, atrophiam, cachexiam: partium, lancinationes dolorosas, phtisin, tusses ferinas, loquelæ amissionem, oculorum auriumque vitia, capitis tineas, scabiem &c. Hæc ergo metuenda partim sunt præcavenda, partim præsentia, curanda. *Præcavemus hæc optimè*, suppuratione nimirum peractâ, & squammulis nunc decidentibus, purgatione institutâ per ☿ dulc. acuatum stimulô cujusdam purgantis fortioris, v. g. gr. aliquot pulveris jalap excipiendo hæc in paucula rosarum conserva. Curatio horum specialem meretur considerationem, interim non pigeat frequentiorum saltem, eorumque hac vice notatorum, adjicere medelam. Nimirum, cum institutâ laudata purgatione ☿li nihilominus infantes incurrerent oculorum vitia (utplurimum ob corporis intempestivam nimis, aëri frigido inclementiorique, expositionem) v. g. inflammationes, phlyctenas, aliaque, his medicabatur debitis ophthalmicis Recep. ▽. ophthalmicam quamcunque, euphras. fœnic. chel. maj. leviter vitriolatam infudi croco metall. vel vitro ☿ii, spatiô noctimeri in loco calido digesti pro sufficiente vitrioli ☿lis extractione: hinc depuratam filtrando, pro rei exigentia conjunxi cum pulveribus absorbentibus (ubi nimirum suspicio lachrymarum acriorum aderat) Terreis, ♄ninis, Sach. cand. aliisque ad hoc negotium aptis. Externè, aversionis, ut vulgò dicitur, gratia, vel in nucha, vel pone aures applicatum vesicatorium est, servando per 8. vel plures dies vulnusculum supra citatô empl. pro lymphæ effluxu, apertum; cum optimo successu.

Præter oculorum vitia in & quibusdam notati molesti *artuum dolores & lancinationes* præprimis circa scapulæ & humeri diarticulationem. Pro his infringendis internè datum est decoct. lign. sassafr. cum passul. aliisque lympham acrem temperantibus, paratum, super addendo omni haustui vel essent. Lign. Sassafras cum ♏ serpill. paratam vel Essent. myrrh. alcalisatam vel Elix propr. alcalisatum vel liq. C. C. succinatum D. Mich. Externè verò prospectum partibus est ♏⊖⚹c. vinoso temperato tamen vel cum Sp. V. rectif. solo, vel meliori ex instituto ▽ articulari ad extra D. Mich.

Tertium

Tertium vitium à variolis relictum observare licuit aliquam partium *atrophiam*, insigni cum vocis raucedine, maximisque infra umbilicum torminibus, conjunctam, in filiola fabri lignarii quinquenni. Huic, cùm viscida pituita, vermes non pauci (quorum etiam quosdam non rarò, cum fecibus spumosis excernere solebat) circa primas vias stabulare viderentur, præmissa purgatione ex ☿io dulci, egregiè viscida incidente & vermes enecante exturbanteque, dedi pulverem pect. D. Mich. c. eleosaccharo anisi sociatum, ex cujus usu maxima ex parte à materia viscida glutinosa liberabatur; verùm cum adhuc tussicula cum reliquiis mucaginis ægrá molestaret, suasi usurpandam potionem pectoralem paratam ex ▽is appropriatis ⌒⊖✳ci anisato sympisq; incidentibus resolventibus, expectorantibusque, & ita ægram sanam dimisi.

Jubeor nonnulla adhuc de DIÆTA, sub cursu morbi instituenda, adferre, quam paucis adornabo verbis. *Alimentorum solidiorum*, quia utpl. in principio & statu ægris adversantur, adjungere selectum supervacaneum duxi; nec hæc obtrudenda absq; appetitu ægris sunt; cum nullus, etiam acutissimâ laborans febre, fame pereat unquam. Redeunte verò appetitu offerenda fermento stomachico adhuc debili nullum negotium facientia, ut ova sorbilia, juscula, in specie avenacea cum passulis con quassatis parata, in casu ubi abest diarrhœa. *Quoad potum* perperamà quamplurimis interdictum, parum habeo quod maneam, cum hujus intermissio neutiquàm à patientulis, præsertim nonnihil adultis, sit impetranda; quapropter, ut evitemus noxam, is non adeò frigidus, insimulque sub eruptione medicatus per gelat. C. C. recentem super △e prius solutam, vel pomum equinum, est præbendus, ut sic unâ fideliâ, ut proverbio dicitur, duos dealbemus parietes, sitim nempè temperando & expulsionem promovendo. Vinum liberali adeò manu porrigendum non est imprimis acido-austerum, malum ab acido p. n. oriundum, exasperans: exigente tamen necessitate & in virium nimio languore hoc, & in specie Rhenanum, cum debito tamen moderamine, & denegari haut omnimodè debet. Malo profligato ægri, præsertim tempore hyberno, adhuc aliquandiu domi sunt detinendi; cum plurimos, ob aëris externi intempestivum usum, morbis denuo afflictos gravissimis non semel imò mortuos quotidiana & lugenda testetur experientia.

Tandem & antequam colophonem discursibus hisce imponam, ventilare liceat adhuc *quæstionem* Medicis satis ambiguam, *an nimirum præservatio à variolis sit possibilis?* Autores heic in diversas trahi lites experieris horum evoluturus scripta. Autoritate ingeniosissimi Helmontii Tr. de Tempore §. *54. p. m. 509.* & fiduciâ sublimiorum remediorum, fermenta morbosa penitus destruentium, amplecti affirmativam confessum sit.

Mens autem præclariſſimi hujus Philoſophi & Medici eſt, ut ſpretis criſibus, non ſine tædio à Medico & patiente expectatis, morbum aptis remediis, in primo ſtatim principio profligamus, & ſic in prima, ut dicitur, herba obtruncemus, ne altas agat radices. Egregium ſanè effatum! Sed quî ſunt, mi Helmonti, hoc ritè perpendentes & non potius cachinnô excipientes; & ſi qui eſſent, quibus meliora finxit præcordia Titan, hoc verum cenſentes, unde depromenda remedia, divinum ejusmodi effectum præſtantia? Proſtant equidem, obſervatione Præclarorum in re medica Virorum, quædam, ſpem nobis facientia aliquam. Sic Eſſent. ſuam anonym. Præclar. laudat Langius ☿um dulcem Miſc. Curioſ. aliquoties jam citata Elix. Propr. Paracelſ. aliaque alii; aſt vereor, ut hæc ſemper ſperatum præſtent officium, nosque excidere ſpe ſinant. Mihi, ſalvâ tamen aliorum prærogativâ, duo ad hoc negotium eligenda ſimplicia arrident, ☿ nimirum & ♄, intimos corporis perreptantia receſſus, latitantesque in his morboſas mineras invertentia & eliminantia. Abſit autem, ut hæc ſvadeam uſurpanda cruda, ſed ſpagiricè & non vulgari modo præparata. Nimirum ambo hæc corpore ab impuritatibus, quas ſecum vehunt, quam optimè ſunt liberanda, quod in ☿io aſſequimur duplici viâ. 1. Præſtò ſit retorta terrea tubulata, cui adaptandæ aliæ, duæ (ſie müſſen fein feſte zuſammen gebacken ſeyn) firmiter. His, convenienti impoſitis furno oblongo excandefactisq; probè, injiciatur debita in quantitate ☿. viv. prolabens, agitatus ♎e (er praſſelt gewaltig hindurch) fumi ſub forma in vas recipiens appoſitum. Finitâ operatione eximendus eſt ☿, & percorium pro ſeparatione ♀is impar, copioſè undique vaſi adhærentis, trajiciendus. Hic labor 2. 3. 4. ad lubitum reiterandus, prout nimirum magis vel minus finiſatum eſſentificatumque ☿um volumus. Aliâ viâ ita proceditur. Nim. cum ⊖e com. viº triolo &c. ☿ eſt ♎ndus hinc per alcalia ut Calce viva ⊖. ☐. it. ☐. crud. limat. ♂ &c. in priſtinam ☿ii formam reducendus eſt; hinc denuò ♎ndus, reducendus &c. quoad lubuerit, & magis purum hunc exoptamus. Ex eodem fundamento & procedit ☿ magneſiacus ſeu magneſia ♄ni Veterum, qui nihil aliud quam ☿ ☽ii per cryſtallos ♄ni, ex hujus vitro conficiendos, ſæpius ♎tus, hinc per alcalia reductus, ob ſplendentem & lucidum fulgorem de ſe emittentem certè miraculoſus, præprimis ideo, quia magnetis ad inſtar ☉ laminatum ad ulnæ ſpatium diſtans licet, trahit, cumque hoc jungitur inſeparabiliter, ita, ut nulla arte iterum divelli queat; ſed tranſeat hæc cùm ſublimiorem ad chemiam ſpectet, ſecretioribusque laboribus inſerviat.

Ex noſtro ☿io nunc ita finiſato, à ♀e impuro depurato & aſtrali, quæ tibi promittere, in morbis præprimis à vitioſa lympha pronatis, ut lue ♀ea, morbis cum excretione cutanea conjunctis &c. queas remedia, Tu

Ipſe

Ipse judicabêre B. L. ego hoc saltem addo, quod exin parata medicamenta planè alia sint, multis à vulgaribus parasangis differant, citraque salivationis, à ♀e impuro derivandæ, notam, in corpore nostro optatissimum effectum exserant.

Alterum subjectum, propter suam in medicina nobilitatem, multis extollere laudibus non vacat, cum factum hoc sufficienter sciamus à *B. Valentino*, *Kerck. in Carr. Triumph.* Commentatore, aliisque &c. Sufficiat proposuisse medicinam haut fucatam, sed veram adque *Basilii* mentem, magis tamen apertè & absque ullis difficultatibus, concinnatam. Nempe Recip. Mineræ ☿ii, prout ex Hungaria affertur, silicibus partim flavis, partim crystallinis, intermixtæ q. p. huic subtilissimè tritæ add. æris concentrati ⊖is. ♀i. (⊖bus enim sine opus aggrediendum non est) ana partem dimidiam. Hæc omnia inferantur phiolæ, seponanturque superfuso rore majali vel ▽ pluviali Martia, vase aperto (ne rumpatur ob fermentantem mineram) ad fermentationem. Hâc peractâ procedatur secundum modum à Basilio Kerckringioque descriptum, ut acquiratur ✠ ☿le philosophicum. Hoc ita paratum superfundatur mineræ novæ optimè itidem levigatæ ad 3. digit. eminentiam, repetendo laborem, donec omnis extracta Tinctura sit. Hanc de novo supra dictis salibus legitimo pondere additis, fermentare oportet, hinc ☊re, primò lento △e & qui saltem sufficit ad prolectionem phlegmatis, seorsim servandi; post fortiori, evecturo ☍ rubicundum, pellucidum, millibus striis in recipiens depluens. His ita peractis cum phlegmate primò stillante servatoque ex capite mortuo extrahe ⊖, quod coagulatum ☍oque junctum rubicundo, prægressa ☊one, hoc exaltat in ☍ rubino rubicundius, nobilissimam in desperatissimis casibus, iisque imprimis ex sanguinis succorumque cæterorum impuritatibus, natis, medicinam.

Hisce nunc tam ☿libus quam ☽libus medicamentis, legitimâ methodo succurrendum censemus variolis metuendis: ab his enim harum fomes, ob summos, quos habent, penetrandi corporis intimos recessus, dotes, extinguitur, certeque sine crisеos i. e. ulcuscularum seu ipsarum variolarum, criticâ evacuatione à natura protrusarum, metu, secundum laudati Helmontii effatum, evanescet. O utinam ☿lium & ☽lium osores, hæc cane & angue pejus fugientes, secum reputarent, qualia arcana, non dicam arcanorum miracula, sub horum tegmine natura occultârit; sanè non ejusmodi indigni, nobilissimorum horum subjectorum, censores, contemptores, & sic in Creatorem perjura capita existerent!

Interim si qui sint, quibus ob certas adhuc enchereses Chemico versatiori tamen haut difficilè aucupandas, vel laboris sumptuumq; tædium, adire Corinthum non liceat, illi in vulgaribus etiam, licet non adeo expeditum, habebunt hac in parte suc-

cessum, forsan ita impetrandum. Nempe facti certiores de grassantibus variolis, infantibus, quibus timendæ hæ sunt, porrigãt purgans appropriatum supra laudatum ex ☿io dulci ritè parato & quasi variolarum alexipharmaco ad *imit. Misc. Cur. Ann. 3. c. l.* repetantque pro rei exigentia. Hinc in usum vocent cinnabarina itidem ratione ☿ii egregia; myrrhata, ut Ess. myrrh. alcalis. castor. Anonym. Langii; succinata, ut ♎ ⊖ ✳ci succinatum, liq. C. C. succinat. aliaq; egregiè in hunc finem profutura.

CASUS XXVI.

De VULNERE CAPITIS.

JUvenis XXVII. annorum, Temperamenti sanguinei, è bello redux, aeris frigidi, laboribus & aliis vitæ militaris incommodis adsuetus, habitus succipleni, cum familiaribus aliquot sociis vino & tabaco litat. Post pastum largiorem cum adsidentibus aliis, non minus ac ipse, ebriis, inter pocula lites ipsi moventur, à verbis ad verbera devenientibus rixantibus. Ipse verò ligneo duriori baculo, è fcamno petito, tribus circiter plagis in caput verberatur, quarum una sinistro bregmatis latere per pericranium ad calvariam usq; pertingit. Corruit statim cum stupore, excitatus verò domum portatur, adscripto ebrietati somnolento torpore, emplastro stictico deligato vulnere. Manè excussâ licet vinolentiâ, pro temporis ratione non evigilat tamen, sed excitatus mox in somnum relabitur, nec ad quæsita debito modo respondet, quin inter quietem istam subinde pavet & concutitur. Queritur gestibus de dolore graviori, sequenti tempore etiam de vertigine. Alvus non respondet, nec urina etiam primo tempore. Parentes petunt consilium.

RESOLUTIO.

UT in foro nunquam jus dicitur, causâ prius non cognitâ; Sic etiam morbo æger absolvi minus potest, casu & circumstantiis ejusdem haut probè perspectis.

Laborat autem hic Noster VULNERE CAPITIS, primo intuitu & ex malè æstimato levi & parvi habendo, virtute verò seu effectu sat gravi, gravibus itidem symptomatibus stipato, quæ non maturè curata vel extirpata lethalitatem sæpius inducunt.

AFFECTUS ergò hic non simplex est,

est, solo curando vulnere, quà tali, sed complicatus cum *contusione*, quæ hîc potissimam absolvit paginam. Quamvis verò prius illud satis constet, ut tamen de genuinâ affectûs naturâ nullum restet dubium, nec more vulgi minus æstimemus & negligendo morbum graviorem reddamus, patet.

I. EX ESSENTIALITER INHÆRENTI, seu signo pathognomonico, læsione manifestâ externâ, corporis duri & obtusi ad durum alterum factâ collisione violentâ, unde sinistro bregmatis latere pericranium ad calvariam usque manifesto hiatu divisum est, quamvis nec reliqua verbera inefficacia fuisse statuenda sint.

Confirmant id II. ESSENTIALITER CONSEQVENTIA, ut vocant, seu symptomata varii generis. Adsunt enim in *actionibus læsis animalibus* sensus ac motus ἀῤῥωστία, quam satis superque indicant prolapsus ad terram subitaneus, stupor omnimodus, impotentia eundi, torpor somnolentus, loquendi difficultas, concussio & pavor inter quietem, dolor intensè gravis, succedente etiam tempore vertigo. In *excretis* & *retentis* alvi & urinæ excretio cessans.

III CAUSÆ PRÆGRESSÆ etiam consentiunt, tum violentia externa lædens, tum modificantes ejus effectum errores in usu rerum sex non naturalium, largior præsertim cibus ac potus, motusque tum corporis, tum irâ concitati excedens, quorum cum aliis posteà fusior erit recensio: ita tamen ut non ebrietati adscribamus, quod extraneo violento debetur.

IV. His adjungi potest Similitudo, non tam quoad evidentem læsionem seu vulnus, quàm ejus intimiorem ambitum, comparato ægro & ad alios similiter affectos, qui à medicis & chirurgis habiti sunt in graviùs læsorum numero; & ad seipsum, quod homo cœteroquin sanus & robustus è vestigio, præviis repetitis plagis, in animali facultate sentit læsiones.

Subiectum Primarium, seu πρῶτον πάσχον, respectu læsionis fientis, & vulneris sunt partes extimæ continentes, tum molles cutaceæ & membranosæ, nominatim pericranium & periostium, tum duræ osseæ, cranium ipsum ab illis cinctum.

Hoc verò collisum hîc minus fissuram patitur, ictu non tam duro existente, ut osseum hunc fornicem perrumperet; capitis enim sphæra, verbis *D. Præsidis Ephemer. Germ. Ann. III. obs. LXXI.* non æquè fracturæ patet, quia ipsius figura rotunda est perfectissima, quæ ubique se sustinet, & contra externarum injuriarum impetum particulis & nexibus quasi concatenatis armat, nullibi facilè admittens aditum.

Subiectum Adæquatum, quod symptomatum meritò dixeris, æstimandæ veniunt partes totius peripheriæ capitis, & præcipuè simul intra positæ. Istæ autem sunt utræque meninges, quarum una cavitates

tes cranii ſuccingit, extima & robuſtior, quam duram matrem appellant vulgò, altera intimior, corticem cerebri immediatè inveſtiens & cerebrum ipſum. Compati hoc neceſſum habet per conſenſum & concuſſionem, qualicunq; etiam & ad ſenſum nullâ cranii factâ læſione, cui dicta ſymptomata non æquè ac cerebro ipſi coafflicto adſcribi debent. Id quod patet tum à priori, ſiquidem poris ibidem compreſſis ſpirituum limites cohibentur, tum à poſteriori, quatenus actionum animalium in ſenſu & motu facta eſt interpolatio. Reſpectu verò contuſionis & læſionis factæ ipſæ hæ partes cõtentæ pro principali ſunt habendæ parte affectâ.

Causa Immediata vulneris ipſius eſt ſoluta unitas recens & cruenta; ipſius verò contuſionis, tanquam potioris, dicto ſenſu acceptæ, cauſa immediata aſſignanda venit, noſtro judicio, confuſio & inordinatio ſpirituum animalium.

Mediata Proximior videtur quidem primâ fronte ſtatuenda contuſio ab inſtrumento duro, gravi atq; obtuſo, ipſi cranio & pericranio illata; Sed cum hæc cauſa agere ceſſet, neq; niſi inutilem indicationem præbeat, rectiùs nobis dicetur circulatio ſanguinis & lymphæ læſa, cedentibus partibus mollibus forti ac repetito ictui, & ab illâ violentiâ actu diviſis.

Hoc ipſo innuitur humor, quoad *eſſentiam* ſanguis & lympha; ille in vaſis magis, hæc in poris, ac ventriculis undulans, & largius præ ſanguine hîc loci viſenda.

Peccant, ab extraneâ quidem illâ læſione, corpore alioqui ſatis ſano & athletico, inprimis affecta, *quantitate*, quòd in corpore plethorico concipere facile eſt, largiùs ſic etiam in cerebrum redundantes. Ob victum enim pleniorem adaucti per rivulos vaſorum turgidulos non tàm liberè vagantur, impeditis & debilitatis hinc ſpiritibus.

Excedunt in *qualitate*, tum læsâ facultate, tum ab errore externo, Læſa fuit facultas ab unitate & conformatione læſis, unde & temperiem nativam tutari nequeunt, ſed alterantur, &, σῆψις ſi concedatur, vappeſcunt, in pus ipſum abituri, acrimoniam concipiunt. Error externus, non minus in confeſſo eſt, ebrietate velut geminatâ præcedente, unde & per ſe jam confuſi fuêre ſpiritus, ac lymphæ halituoſæ immerſi, adeoque totius naturæ torpor & ἀταξία promptius conſecuta.

Multum huc faciunt particulæ indigeſtæ ac reſpectu tum cerebri, tum ſui ipſius improportionatæ, cum ſanguine advectæ, blandamque ejus dulcedinem pervertentes, ſpiritus ſulphure vaporoſo ligantes, agilitatemque eorundem figentes, ut duplici hâc clade de ſtatione ſuâ dejiciantur.

Peccant imprimis *Motu* generationis & locali. Extra locum affectum genitæ & congeſtæ cruditates ex chylo vitioſo in ventris infimi culinis hinc amandatæ ſunt ad caput læſum debiliusque redditum, hinc tantò màgis affectum, & ad recipiendum aptum reddi-

redditum, convocatis huc quibuscunque aliis noxis, quæ promptè in laticem, vectorem ſpirituum, & ſpiritus ipſos derivantur.

In loco affecto ipſo, oſſe, tam firmo licet, injuriam paſſo, à concuſſione productâ per poros, & continuatâ per mobiles ſpiritus, ipſumque aerem facta fuit confuſio, obſtructio, ſubſidentia, imò, quòd admodum credibile eſt, extravaſatio lymphæ & ſanguinis ipſius. Quantas verò noxas horum extravaſatio, grumeſcentia & corruptio non impedita parturiat in aprico eſt. Poſſumus itaq; & hîc applicare reliqua hujus commatis. Appulſu continuato per vaſa arterioſa carotica, non recipitur in poros & vaſa reciprocè humor mobilis uterque, ſed fit συναθροισμὸς & ϛάσις, tantò gravior, quod extravaſatus humor hîc inveniat ſpatium amplum ſatis. *Viæ* ſunt tum jam laudatæ patulæ, tum pori, notum enim eſt, quovis duro percuſſo corpore propagari impetum per totum, & tanquam cum ſono, aeris verberati indice, labem intrò ferri.

Nunc ad CAUSAS MEDIATAS REMOTIORES pergendum erit, quæ quidem hoc loco non ad producendam cauſam morbificam, modificandum tamen morbum & ſymptomata faciunt.

EX NATURALIUM numero HABITUS CORPORIS licet ſucciplenus & ſic optimus videatur, ſpecioſus tamen ſaltem & ſuſpectus haberi debet, imò juxta 1. *aph.* 3. periculoſus, inſtabilis, quia hujusmodi corpus ſuis viribus oneratum eſt, ad ſanitatis læſæ præſidia minus aptum. Adde, quòd à vi externâ quoque ruptio vaſorum, profluvium hinc ſanguinis & virium jactura major facilius contingere potuit.

Conſentit TEMPERAMENTUM SANGUINEUM, quod ut particulis oleoſis, balſamicis, aqueis roſcidiſve æqualiter ſat imprægnatum; ſic idem tantò præſentius vitium concipit, in membro principali læſione inductâ. Ubi enim abundant humores, ſi lædantur, tantò magis vitiantur, unde ſpiritus eo facilius immergi potuêre vehiculis hiſce. Videtur verò & hæc craſis in *Cholericum* ſtatum proclivis, unde in jurgia pronitas occurrit.

ÆTAS, media ac ſatis florida, nimis tamen, ut fit, ſibi fidens ac licentiosè vivens fervore ſuo nimium audaci ſimilem fortunam ſiniſtram accerſivit.

Nec prætereundum VITÆ GENUS, quod gravemartis onus ſuſtinuit, hactenus, ita, ut rerum SEX NON-NATURALIUM abuſu, vel ſaltim indifferenti uſu, non habito reſpectu, an rectè, vel perperam fiat, natura quaſi altera inducta ſit, injurisq; occaleſcere viſa externis easdem vix præſentiverit. Ferri ſolent iſta à naturâ per ætatem & bonitatem fortiori, aſt, quando hinc impetitur corpus ſemel, dilatæ quaſi illuc noxæ præſentiori gradu ſe exerunt. AERIS quippe, nebuloſi præcipuè, frigidi, particulis heterogeneis fœti, ventorum,

rum, pluviarumque incommoda plura multùm ad infirmandos ſuccos vitales contulêre, cùm inſpiratione, tum tranſpiratione mediante, quod ἀδιαπνευσίας malum, habitioribus non infrequens, archéo ſimul pœnas inflixit, quò magè tacitas, eò pòſt graviores, ſicubi per læſionem externam evigilârunt.

Quid verò de erroribus aliis dicemus, qui non minus culpandi veniunt? CIBUS & POTUS nimium ingurgitatus, vini & tabaci contrarius hauſtus ſulphure ſuo narcotico cerebri oras percellere norunt ac ſtupefacere, unde gas ſuo fulignioſo ſpirituum undas inquinant, ligant, porosque obſtruunt, ut graviores hæ longè ſint æſtimandæ plagæ, vino turbatis ſpiritibus inflictæ, cum ſic minùs eluctari vel reſiſtere norint, ſed labaſcant magis & obnubilentur cum animales, tum vitales.

Tacemus, negligentiùs omninò hinc tractari vulnera, non attendente ægro, vel cavente ſibi maturè, non adſtantibus & ipſis ebriis, aut ebrietati adſcribentibus graviorem ſoporem; Unde obſervati ſunt fatis ceſſiſſe, qui, non admodum graviter vulnerati in capite, aëri frigido expoſiti incuriâ & propriâ & alienâ anſam dedêre humorum ſtaſi majori, ac coagulo.

MOTUS ANIMI in mentem nobis vocant, quàm periculoſum ſit, & naturæ inconveniens, ſi ab uno extremo ad alterum fiat progreſſus, citra decentem mediationem. IRA effe-

rati ſpiritus & citati vulnere facto oppreſſi ſunt. Ira ultionis cupidine inflata, omnium affectuum, juxta *Gaſſendum*, congeſtio eſt, & juxta Poëtam furor brevis, unde definitur: θυμὸς ζέσις ἐςὶ τῦ περὶ τὴν καρδίαν θερμῦ, *ira eſt fermentatio calidi circa cor*; Flamma vitalis ſic efferatur, commovetur, & accenditur. Vehemens hæc mutatio, verba ſunt *Hoffmanni l. de ſpiritib. c. 2. p. 89.* puta in pulſu, in calore, in aliis non eſt, niſi à reciprocatione ſpirituum cum ſanguine. Nihil ſub ſole eſt, quod ita moveat humores, quàm ira. Et videmus, quid accidat tandem iratis, præcipuè ſi ſubitò comedant, bibant, laborent, antequam motus humorum ſedatus ſit. Hinc & plura mala inde orta paſſim legas, uti & *Williſius* convulſiones horrificas, inſultusque epilepticos ab irâ notavit, *Pathol. cerebr. cap. 1. p. m. 12.* Confer. *Galenus lib. de cognoſc. anim. morb. cap. 4.*

Omne tandem abſolvit punctum EX PRÆTER-NATURALIUM CLASSE percuſſio repetita violenta, in fornicem capitis facta, unde quaſſato eodem ſequentia ſymptomata, ſuperius ſignorum loco recenſita, orta fuêre, rationem ſui jam poſtulantia.

1. *Corruit ſtatim cum ſtupore*, ceſſante ad tempus influxu ſpirituum animalium confuſorum plenario in partes infra caput poſitas, unde non libratum ſpiritibus portitoribus corpus mole ſuâ ruit. Concipi id & conferri poteſt cum fornice vel etiam

faſtigio

fastigio ædium, quæ fulmine tacta, omnimodum harum collapsum minantur.

2. *Somnolentus adest torpor & continua in somnum propensio*: Positâ enim hâc spirituum debilitate, poris item cerebri à lymphâ stagnante obstructis, fieri aliter haut potuit, quin sulphure vaporoso accedente somni hæc species p. n. mortis imago, inducta fuerit, phosphoro animali obscurato; quemadmodum spiritu mundi solari absente sublunaria quæque induunt torporem, & tenebræ ingruunt horrendæ.

3. *Ad quæsita debito modo non respondet*, ob eccentricitatem aliquam mentis à motore erroneo inductam, quare cum irradiatio spirituum rectorum vacillet, non tàm linguæ usus depravatur & difficilis redditur, quàm conceptuum imminuta formatio; ut videmus, horologium, exorbitante aliquâ rotulâ, horas nunc sonitu, nunc gnomone solùm perversè sæpè metiri.

4. *Inter quietem subinde pavet & concutitur*; ob irritationem meningum, in fibras usquè nerveas, delicatissimi sensûs, spiritibus non blandè undulantibus, & acrimoniâ vellicante musculosarum partium vibratâ, ut chorda solet uno extremo compulsa ad alterum usque motitari.

5. *Queritur gestibus de dolore graviori*: orto nimirum à violentâ nimis impressione in fibrillas membranosas, quæ nimis vellicatæ graviorem edunt molestiam, ab indice animi sat ostensâm, depositâ jam omni ebrietatis & παρώσεως larvâ. Et hic sanè videtur morbi meridies, eò ardentior, quò nebuloso magis vapore abacto dolorum faces hiantia jam intervallâ adurunt.

6. *Vertiginem etiam sequenti tempore patitur*, tum ob positivam causam, ab effluviis halituosis cum spiritibus animalibus sociatis, quibus irretiti ἀταξίαν & inordinationem subeunt; tum privativam, seu defectum eorundem, & deperditum vigorem, unde nutantes ipsi corpus æquali influxu irradiare nequeunt.

7. *Neque tandem alvus respondet*, & quidem culpâ archéi, actionibus ut in totâ corporis œconomiâ, ita secretioni inutilium non ritè invigilantis, ductibus intestinalibus & vesicæ pigrè commonitis commotisque; Non aliter, ac, quod mechanicè contingit in machinâ hydraulicâ, læsione factâ rotarum, affabrè aliàs sibi inhærentium, unde per cœtera vasa & tubos minus promoventur, eò quod primo impulsu destituantur. Eadem ratio est *urinæ*, quæ non promptè redditur, etiam ob id, quòd mens laboret, neque satis stimulum illum sentiat.

Perspectis huc usque satis, quæ ad Theoriam faciunt, instituenda jam erit PROGNOSIS SALUTIS & MORTIS, quæ dubia & periculosa satis primâ fronte apparet. Morbus est magnus ratione essentiæ, contusio gravissima præ cœteris eò pejor, quò majorem incussionem corpori factam notat;

magnus intuitu remotioris à ſtatu naturali diſpoſitionis & ſymptomatum, magnus ratione partis affectæ principalis. Non ſolùm illud vulnus eſt κακὸν ſeu θανατῶδες, quod ad cerebrum ipſum pertingit, elogio *6. aph. 18.* ſed &, quod concutere nimis ipſum & incolas, vitæ autores, peſſundare poteſt. Attamen benè ſperare jubent ætas adhuc florida, naturæ robur, febris & vomitus bilioſi abſentia, quæ gravius affectum per vulnera cerebrum conſequuntur; *6. aph. 50.* aëre ſimul regionis noſtræ temperato benignius adſpirante, & quod palmarium eſt, legitima, ſi à DEO abierimus, vulneris tractatio. N ſi enim id fiat, & æger curatiſſimè morem gerat, timenda eſt inflammatio, phrenitis, ſanies, abſceſſus, corruptio cerebri fœda, & oriunda exinde ſymptomata, febris, vigiliæ, delirium, horrores, ſuperiorum æſtus, vomitus, ciborum faſtidium, mors.

Neque ſic LONGIOR affectus noſter metuendus erit, ſi, poſito medici & ægri æquali concurſu, in tempore ac debito modo tractetur, ſymptomata ulteriùs præcaveantur, leviora quæ videntur, non floccifiant, ſiquidem, quod *Hippocrates* monet, nullum capitis vulnus leviter contemni vel negligi debet.

His demum obſervatis MODUM EVENTUS SALUTAREM certò ſperamus per diſcuſſionem materiæ morbificæ collectæ, ſpirituum &, naturâ duce, humorum animalium reductionem ad priorem ſtatum, licet debilitatem quandam capitis ad functiones ordinarias conſecuturam timendum ſit, ad aëris mutationem, erroresque diætæ cumprimis manifeſtandam.

Morbi ac ſignorum indole jam prævisâ CURATIO nunc eò facilior & felicior, i.e. methodica, ſuſcipienda eſt, tribus innixa INDICATIONIBUS, quibus fragile corpus reſtitui firmiter poteſt.

CURATORIA morbi ipſius & ſymptomatum urgentium curam habet, vulneri, dolori, ſtupori, ſomnolentiæ proſpiciens.

PRÆSERVATORIA cauſas reſpicit, continentem & fovențes, humores extrà ſphæram activitatis ſuæ abiturientes; ſic enim tutò agere absque inſidiis timendis licet.

VITALIS viribus animalibus & vitalibus partiumque & ſpirituum tono proſpicit, per confortantia nervina & analeptica.

Singulis hiſce indicata ſubveniunt præſidia, CHIRURGICA, PHARMACEUTICA, DIÆTETICA.

Primo loco Fons CHIRURGICUS ſe ſiſtit, duplicis generis præſidia exhibens, *propria* & *communia*. *Hæc* vulnus & contuſionem ſpectant proximiùs; *illa* mediatè, ad ſanguinis & lymphæ circulum habito reſpectu.

Explorato igitur probè vulneri, quod ſimplex ſit citra ullam cranii fracturam, quod cum contuſione inſigni, capillis ſuo loco abraſis, duplici ſolet ſuccurri modo, vel ſtuppâ cannabinâ, albumine ovorum imbutâ,

tâ, replendo hiatum ad hujus aliquam diductionem, sistendam hæmorrhagiam & arcendum affluxum: quem in finem & pulvis stegnoticocephalicus ex *fl. beton. balaust. spicâ Indicâ, succino, masticbe* stuppæ jam dictæ adspergi vel per se immitti potest, patulis jam ad cranium viis; vel solùm, detersо priùs sanguine, *empl. sticticum, opoteldoch,* vel *de betonicâ, de gummi hederæ Al. Benedicti*, ab *Heerio* descriptum *obs. 21. p. 250.* imponi. Partes autem vicinæ *oleo rosaceo, myrtino, castorino* illini possunt ad defensionem majorem.

Hinc pars læsa fovenda diligenter sacculis, consutis ex speciebus cephalicis, (quas inferiùs describemus,) cum vino coctis, singulis horis alternandis; fasciâ desuper positâ, ut probè hæc contineantur. Cumque in vulneribus cum contusione sanguis extravasetur, qui in pus abit sensim è poris ichoresçens, hinc aptandum ad consolidationem vulnus est etiam *digestivis*, quantùm quidem partis constitutio admittit; quo nomine *unguentum digestivum* ex *terebinthinâ* ∇ *beton.* lotâ & *vitello ovi*, tanquam basi, parari potest, additis pro lubitu *thuris* ac *myrrhæ* parum, cum gr. j. vel altero *camphoræ*, linteis concerptis cranio substratis, adhibendum.

Tacemus splenia pro fasciatione sublevandâ, & quod ab aëre extrinseco, à frigido, probè defendendum sit vulnus, fovendum si quod aliud, argumento 5. *aph. 22.* ut archeus partialis vigorem suum recuperet, sine ulteriori phlegmone & affluxu. Eadem hæc sunt simul *mundificantia* & detergentia, quæ cum illis maximè cognata volatili blando constant, temperata, nervina, balsamica, quotidianâ deligatione, & repetitâ quidem, pure exterso. Olea verò absint, nec huc quadrant facilè, sordidum reddentia vulnus, nisi forsan balsamum de Peru, vel de Capaiba, nervinum aliis miscendum videatur.

Neque opus est seorsim mundato ulceri adhibere *sarcotica*; satis est, naturam sic adjutam staminibus fibrosis γλισχρῷ vitali succurrere, interventu liquoris nutritii partem divulsam reunire, ut ita, fibris coarctatis, coalitus perfectus fiat, & cicatrisatione demum vulnus sigilletur tempore legitimo, quam *Scultet. Armam. Chirurg p. 1. p. m. 42.* cerato divino aut filamentis aridis absolvit.

Nec verò ullum indicans gravius, qualismodi superiùs in Prognosi citavimus, videtur h. l. majora præsidia efflagitare v. g. *scalpra, modiolos, trepana,* pro cutis, pericranii, calvariæ ipsius solutione, cum non solùm nostræ huic, sed graviori etiam capitis læsioni satisfaciant superius dicta, inprimis fomenta. Testaturq; id hodiè accuratior experientia, inprimis *D. Præsidis*, qui hujusmodi fotûs, tanquam ἐυπορίστως & ut unicè necessarios, ita proficuos sæpius expertus est citra ullam trepanationem. Si enim his ipsis optimis præsidiis discutiamus humores subsistentes, ut, na-

turâ sibi vias inveniente, recipiantur in vasa, mittantur in loca excretioni apta, exhalent, adeoque in ichorem purulentum non facessant, nec opus est trepano, pro ejus eductione. Confirmat idem præter alios *Roonhuysius p. 2. obs. 1. & seq.* asserens, se pluries in contusione cum & sine fracturâ fotus hosce summè probatos invenisse, & magis ferè, ac ipsum trepani usum, simili huic malo eâdem medicinâ factâ; & citat præterea alios ὁμοψήφους, fide dignissimos, *Foreſtum, Lanfranc. Vid. Vidium*, multis rationibus pugnantem contra ipsum trepani usum, *expos. in lib. Hippocr. de cap. vulner.*

Consultiùs sæpe operationes talismodi, utut aliàs satis proficuæ, cæteris paribus, & in ægro nostro, omittuntur, quàm cum parentum dissensu, ægri periculo, medici molestiâ in usum vocantur.

Inter *communia* præsidia memorari dignissima est VENÆSECTIO, quæ pro præstandâ revulsione necessaria est, ut parte demptâ exundans sanguis invitetur promptius in vasa, & à naturâ etiam subigi ac disjici possit magis, neque febrile μίασμα concipiatur. Educatur sanguis maturè ad ℥ij. iij. vel paulò plus, ad ἐυφορίαν, è saphænâ vel cephalicâ pedis. Alibi enim citatiori urgente sic fluxu affluxus sanguinis p. n. præcavetur & corrigitur.

Venæ Sectionis vicariæ esse queunt CUCURBITULÆ, in sequens tempus cum scarificatione scapulis & brachiis adhibendæ, pro ciendis & evacuandis, quibus æger scatet, humoribus extraneis, subcutaneis, parti vicinæ læsæ nocituris.

FRICTIONES quoque in plantis pedum & extremis reliquis usu non carebunt, quæ, excitatis unà viribus archéi somno vinoque sepulti, στάσιν humorum removeant rarefactasque fuligines per poros hinc inde excutiant, ita tamen, ne discussione seri factâ per motum hunc intendatur sanguinis calor, & affluxus ad partem debilem concitetur, sed arceatur potiùs longius.

Sin urgeat seri στάσις & debilitas organi sensuum, successu temporis, pro re natâ, alia quoque remedia suadenda fuerint, quæ sero eliminando & coërcendo in specie vacant, ut sunt VESICANTIA & SETACEUM, in nuchâ, FONTICULUS, in brachio vel pede adhibendus.

